JOHANNIS VVANCKELII

Scriptorum Academicorum

Volumen II.

CONTINENS PROGRAMmata proximo hoc triennio ab excessu V. Cl. FRIDERICI TAUBMANNI, publicè proposita,

Nunc verò præmissa editioni Intimationum nondum post priora volumina editarum.

VVITTEBERGÆ,

In Typograph. Iohan. Matthæi, Sumptibus Zachariæ Schureri

ANNO M. DC. XVI.

Digitized by Google



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

AD MAGNIFICUM

Rectorem Academiæ VVittebergensis,

PERILLUSTREM COMITEM EMERICUM THURZO DE Bethlemffalva, Liberum ac hæreditarium Comitem de Arua, ejusdemq; Comitatus Aruensis Supremum ac perpetuum Comitem, PALATINI Hungariæ &c. Filium,

JOHANNIS WANCKELII

Epistola Dedicatoria.

Cùm multa viri Sapientes ad dignitatem summi Magistratus maximeq; Regum & Principum illustrandam dixerint: Non è postremis videtur hoc Plutarchi, qui *Regem* ait *DEI omnia digerentis imaginem & administrumesse, ad tutandam hominum salu-*

Digitized by Google

tem, ut quæ DEUS bona hominibus largitur, ea partim quidem distribuat, partim verò conservet.

Ad hoc autem munus salutariter administrandum, parium diadema & sceptrum confert; Sed *mens est, quæ imperat.* Itaque præclarè Plato dixit: πρέπει τῷ τῶν μειζόνων προστατεύοντι μειζόνος φρονήσεως μετέχειν.

Ad illam verò Prudentiam consequendam etsi non parum ipsa natura confert: *Nam fortes creantur fortibus:* Tamen nisi disciplina & educatio accedat accurata & laudabilis, quid natura sola præstet, res ipsa loquitur.

Ut autem ab historicis prædicantur Persarum Monarchæ, qui filios & potissimùm successioni destinatos, regis Pædagogis, viris omni virtutum genere præstantissimis, in disciplinam tradere soliti: Sic laudem hodiéque merentur Principes immortalem, qui ad illorum exemplum in erudiendis Filiis, divinitus concessis, nulli curæ parcunt & diligentiæ.

Inter

Inter eos cùm Heros laudat-mus, perilluſtris Magnificentiæ I. Parens emineat: Tum perilluſtri, li. V. æ de tali Patre, tum huic ipſi de filio cum bonis omnibus gratulor. Interemim ex Filii unici & cariſsimi profectibus in pietatis, virtutum & eruditæ doctrinæ ſtudio præclaris ita fructum jam percipit optatum, ut pleniorem in dies ſperare, & poſteritati, quod Deus ratum faciat! polliceri poſsit uberrimum.

Qui verò tanta cum laude primos adoleſcentiæ peregit annos; de hujus ætate quid non ſperandum confirmatore? Qui omnia, quibus naturâ aſtringimur, caritatis vincula, Academicæ vitæ & diſcendi plura deſiderio poſt habuit: Eum quis operam, Deo proſperante, ſedulam daturum dubitet, ut concitatam de ſe ſpem & expectationem omnium vincat?

Nec verò minùs & Academiæ tantũ ab utroq; honorem habitum gaudeo & gratulor, quòd huic potiſsimùm vota ſua committere ſunt dignati, Deumque

)(3 æter-

Digitized by Google

ternum precor, ut ita tum perilluſtris
P. V. æ ſtudia gubernet, tum Præce-
ptorum labores fortunet, ut neq; con-
ſilium ſuſceptum Patri Filioque inclyto
ſplicere unquam incipiat, neque inde
fructus ad Patriam univerſam redire
deſinat copioſus.

Quoniam verò illuſtriſſimus M.æ
V.æ Parens literis ſemel atque iterum
clementiſſimè ſcriptis ſuam de me opi-
nionem & fiduciam abunde declaravit:
Quid à me expectetur, ſanè video: Quid
autem à tenuitate mea proficiſci queat,
quod ſpei de me cõceptæ aliqua ex par-
te reſpondeat, vix invenio.

Interim tamen ad declarandam ani-
mi ad omnia debitæ obſervantiæ, di-
ligentiæ fideiq; officia prompti ac pro-
penſi affectionem; ſub illuſtris M.æ V.æ
nomine & patrocinio prodire in publi-
cum volui ſecundum hoc ſcriptorum
Academicorum volumen; indubitata
cum ſpe, magis animum meum, quam
munuſculum hoc charta ceum reſpe-
ctura m perilluſtrem Magnificentiam

Ve-

Digitized by Google

Vestram, idque ut faciat, officiosè etiam atq; etiam rogo.

Quod reliquum est, quod antè feci, idem nunc animo devoto repeto, Deumque æternũ supplex veneror & oro, ut ad divini nominis suis gloriam, & Ecclesiæ afflictissimæ solatium & emolumentum, non solùm Parentem Filio, Filium Parenti, quàm diutissimè incolumem & florentem conservet: Sed utriusque etiam vitam ad illud usque tempus proroget ac producat, quo lætitiam, quam nunc Parens inclytus ex Filii unici pietate & virtute, DEO propitiante, percipit; Eam magno cum fœnore vicissim Filio carissimo contigisse, salva Patria, florente Ecclesia, augescente indies stirpe & familia tua illustrissima, lætari possit.

Perscriptum VVitteberga Feriis natalitiis Filii DEI & Mariæ semper-Virginis, Domini nostri JESU CHRISTI, inchoantibus annum Christianum

M. DC. XVI.

Errata

Digitized by Google

Errata nonnulla quo pacto corrigenda.

Pag. 72. v. 2. lege Stiram.
135. 1. pugna tum.
193. 1. Invitatio ad.
202. 17. fuit mors mors.
356. 1. Prorecto is.
415. 4. apparerer.
420. 27. unquam.
459. 11. feriatis.
496. ult. laudatos.
549. 8. coruscos
575. 10. statui.
621. 15. Caveant.
627. 18. dicit.

Occurrere plura non ignoramus. Sed ea Lectoris, quem candidum & benevolum optamus ac speramus, eruditioni nihil moræ aut molestiæ afferent.

Digitized by Google

Programmata in Academia Vvitte-bergensi publicè proposita.

RECTORE MAGNIFICO,

Viro Clarissimo & Consultissimo,

ERASMO UNRUH J.U.D.

& Professore publico.

I.

Exequias Virginis nobilissimæ MARTHÆ von Schönberg.

SOlon & Theognis, lumina illa Græciæ, tum alia reliquerunt doctrinæ suæ monimenta sanè egregia; tum in hoc sententiarum consensionem declararunt prorsus mirificam, quòd illequidem tam infelices, quàm prosperos eventus δώρα ἄφατα θεῶν vocat; Hic verò non indulgendum esse dolori in rebus miseris præcipiens, θεῶν ἀπαρέμφατα δῶρα non facilè effugi posse ait. Quæ Sapientum verba si quis penitiùs introspiciat, admirari omnino cogetur, humanam sapientiam accipere in eam partem potuisse

Digitized by Google

tuisse omnia, quæ acciderent, ut non modo immitti illa divinitus statueret; sed ad divinam quoque benignitatem referret.

Verum enimvero si quis tempora consideret, in quæ Sapientum illorum ætas incidit; Iudicijs haud obscuris deprehendet, non in cerebro ea hominum quantumvis sapientia laude celebratorum nata vel ex veritatis cœlestis Schola propagata, sed ipsos fuisse sententias, quæ humani ingenii captum longissimè superant. Vigebat enim utrique illis temporibus, quibus divinitus excitatus, communis omnium nationum moderator atque arbiter, CYRUS universas undique gentes in unum veluti corpus conduxit, & sapientiæ studio, si optatam præstitit in suis peregrinationibus securitatem. Itaque vero omnino consentaneum videtur à Iudæis, qui gratiorum illis Monarcharum florebant, sapientiam è Prophetis per manus traditam, cum populis, inter quos exulaverant, omnibus communicatam fuisse.

Porrò hæc cum Græci illi tam commode dixerint, nos CHRISTIANI, è quorum fontibus ea sunt hausta, non & dicemus eadem melius, & constantius sentiemus? Hoc enim illud est, quod multis ante Solonem & Theognidem seculis IOBUM virum

sanctissimum in liberorum fortunarumque omnium jacturâ dixisse legimus : *DOMINUS dedit, DOMINUS abstulit : Sit nomen DOMINI benedictum.*

Etsi autem cum & aliis, & nobis hæc & id genus alia subjicimus, illud nihilominus recurrit,

Ῥᾷον παραινεῖν, ἢ πάθεσι καρτερεῖν :
Monere pronum ; ferre fortiter arduum :

Tamen cùm extra veram Dei Ecclesiam quoque videmus inventos fuisse, qui voluntatis divinæ consideratione, quicquid evenisset, illud non solùm non culparunt ; sed etiam in optimam partem interpretati sunt : Quanto æquius esse judicabimus veritatis æternæ discipulos, qui in ludum hunc istâ potissimum ratione ac via deducuntur, ut discant, λυπήμενοι χαίρειν, ita esse comparatè, ut quemadmodum contra voluntatem DEI nihil evenire cuiquam posse ; sic quod factum est, quamvis affectio animi tristis refragetur, & rectè illud & utiliter factum esse firmissimè credant.

Cùm his cogitationibus si ad exequias piorum comitandas accederemus : futurum scilicet esset, ut cum Regum sapientissimo *stilus* esse statueremus *ad exequias funeris*,

Digitized by Google

quàm ad domum ire convivii : Quia ibi recordatione conditionis nostræ & fragilitatis humanæ, ex præsenti, ut cum Hieronymo loquamur; *cadavere commonemur : In convivii autem laticia, etiamsi quid timoris habere videbamur, amittimus.* Quamobrem cùm hodiernus etiam dies in domum luctus nos convocet; hortamur vos, quiqui estis, Cives Academici, ut ad pompam hanc non minore frequentia, quàm si ad convivium vocaremur, confluatis.

Obdormiit enim potiùs, quàm mortua est die abhinc quarto VIRGO & natalium splendore, & omni virtutum, quæ in hunc sexum cadere possunt, genere nobilissima, MARTHA von Schönberg: De cujus parentibus ut longa instituatur oratio, neque præsens patitur locus, neque res ipsa magnopere postulat. De Matre enim BARBARA von Kitzscher/ante triennium hoc ipso mense piè defunctâ, & in templo arci contiguo sepultâ, quæ potuerunt aut debuerunt dici, in recenti multorum hærent memoria, & ex narratione publicè tum proposita reperi possunt. De Patre autem viro nobilissimo & strenuo, JOHANNE FRIDERICO von Schönberg/ domino hæreditario in Falckenberg/ serenissimi Electoris Saxoniæ Capitaneo, & dicasterii in hac urbe provincialis Præside dignissimo, Sene venerando

&

& de Academia ab annis jam multis præclarissimè merito, ut verbosiores simus; neque vos expectare debetis, neque ipse expetit.

Unum hoc satis fuerit, nihil hoc tempore à nobis posse proficisci, quod in luctu acerbissimo patri Consolatio gratius accidere queat, quàm si affectum animi pium, atque humanum erga superstites modis omnibus declaremus, & nos virtutem ac pietatem in hoc sexu magni facere ac venerari testemur. Fuit enim Martha Schönbergia sic à parentibus nobilissimis educata, & ad amandum discendumque Dei verbum à teneris unguiculis assuefacta, ut exemplum evaserit Pietatis, Castitatis, & Sedulitatis in Oeconomiâ, quam fermè gubernabat, paternâ prorsus singulare. Quarum virtutum ut testimonium apud notos omnes luculentum; sic desiderium apud suos, quibus cum vixit concordissimè, præcipuè verò apud Patrem mœstissimum reliquit tantò magis indelebile, quantò carius erat senectutis paternæ fulcrum atque solatium, & quanto convenientius legi naturæ videtur, qui priores sunt in hoc vitæ theatrum venêrunt, priores etiam exire atque evocari. Attigit enim Martha Schönbergia Ubigæ nata, vitæ annum duntaxat XXIIX. qui ex septenario quadruplicato constans, inter climactericos numeratur, quibus mutationes in

Digitized by Google

vita humana insignes evenire non ignobilis est multorum opinio.

Funus ex arce, in qua domicilium Capitaneus noster habet, hora I. pomeridiana prodibit, deportandum in Cœmeterium extra Oppidum, spectaculo quidem tristi atque lucuculo; sed in quod tamen intuentes, repetere subinde cum animis nostris debemus, id, quod initio dicebamus; Opus & hoc esse benignitatis divinæ, cui carior est HOMO, quam sibi. Simul etiam nos singuli Deo commendemus, & vitam ita instituamus, ut quocunque nos loco & tempore ex ea Deus emigrare jusserit; Voluntati ipsius semper optimæ haud inviti obsequamur. Oremus etiam CHRISTUM liberatorem generis humani, ut tum sustentet animos lugentium afflictos suo salvifico numine, & prostratos benignitate sua clementer erigat: tum *Angelis suis præcipiat, ut in omnibus viis nostris nos custodiant, manibusq; nos bajulent, ne ad lapides offendamus pedes nostros. Hujus enim veritas fidesq; si pro scuto parmaq; nobis fuerit; neque mali nobis quicquam accidet, neque clades ulla domos nostras attinget.*

P. P. Witebergæ III. Non. Majas, anno M. DC. XIII.

Digitized by Google

II.

Exequiæ Annæ Gerin.

Cùm Regum, quos Sol hic vidit, sapientissimus animo perlustrasset omnia, quæ cogitatione, visu, auribus discimus; ad extremum pronunciat, quicquid olim fuit, nunc esse, & simile esse illi, quod paulò post futurum est: quicquid factum est, nunc fieri, & aliquanto post simile quid illi factum iri; omninò nihil esse sub Sole novum, quod huic vicissitudini obnoxium non sit. Hujus verò contemplationis fructus quinam esse debeat, etiam sapientes extra Ecclesiam perspexisse aliquatenus, vel unus Cicero satis docet, cùm, *Hæc*, inquit, *est præstans illa & divina Sapientia, perceptas penitus & penetratas humanas res habere; nihil admirari; quod acciderit; nihil antequam evenerit, non evelluere posse arbitrari.* Hanc verò provisionem animi & præparationem necessariam iis ait, qui volunt hoc, quod datum est, vitæ placidè tranquilleque traducere. *Nihil enim tam obtundit elevatque, ægritudinem dolorem minuit, quam perpetua in omni vita cogitatio, nihil esse, quod accidere non possit; quam meditatio conditionis humanæ; quam vitæ lex, commentatio, parendi.*

Digitized by Google

que filias duas fuscepit, superstites relinquit filiam unicam MARIAM, conjugem CHRISTOPHORI SCHELERI, Senatoris apud Lipsenses primarii. Ex posteriore verò, cui anno M. D. LXXVI. nupsit, & funus prid. e Idus Majas anno superiore fecit, cùm totidem filiorum ac filiarum mater facta fuerit: Eos omnes superstites relinquit. Vitæ sanctè religioseque actæ præmia tum alia, tum hæc etiam divinitus accepit, longæ vitæ tempus scilicet, quoniam ad ætatis annum LXXII. qui inter Climactericos numeratur, pervenit; & Quartana, febri assidente diorum pentulorum, soluta à vinculis corporeis pridie Non. Maj. horâ quasi III. vespertina, & CHRISTO Servatori commendatâ animulâ. Reliquum est, ut supremum illi honorem exhibentes, DEO nos & Academiam hanc precibus piis commendemus, & implorato Spiritus sancti auxilio, *sic viam mortalis vitæ peragere studeamus, ut ad æternam vitam valeamus pervenire.* P. P. VII. Idus Majas, Anno reparatæ salutis M. DC. XIII.

III.

Exequiæ Georgii Olai Suomalenii Sueci.

SVECIÆ regnum, quo regiones longè latèque patentes continent nostrum est, FINLANDIA etiam habet peninsulam amplissimam, in qua ABO urbs Episcopali sede celebris. In ea urbe natus fuit vir honestus & eruditus, OLAUS GEORGII Suomalenius, Parentibus, quos ipse versibus epitaphiis celebravit, piis & honoratis. Pater fuit GEORGIUS OLAI Suomalenius, vir elegantèr doctus, qui post alia munera laudabiliter administrata, non uno in loco scribæ provincialis operam Regi suo navavit & probavit. Is ex matrona honesta MAGDALENA, ANDREÆ OLAI filia, cùm filias aliquot, & filium unicum, de quo dicere cœpimus, suscepisset: eandem amisit anno CHRISTI M. D. XXXIV. Filius matris pientissimæ præsidio in tenera statim infantia orbatus, patris curâ ad pietatis & artium liberalium studia cùm fuisset adhibitus, & in Gymnasio patriæ suæ celeberrimo profectus non contemnendos fecisset: ad Academiam nostram anno M. D. C. IIX. Augusti mensis die XX. accessit.

Ac

Ac primis quidem adventus sui annis, rebus adhuc in patria pacatis & tranquillis, sumptus ad studia literarū necessarios à suis r[illegible] accepit, & optimè collocavit. Verùm exorto in regnis illis septentrionalibus belli incendio, fuit & ipse experiri coactus, verissimum esse Poetarum Principis effatum, NULLA SALUS BELLO. Pecuniis enim & reculis illis, è quibus pecunia confici posset, interceptis, unde studiorum cursum felicier continuarum, ad finem destinatum ac speratum perduceret, non habuit. Itaque in illis rerum suarum angustiis, ut æruminarum levamen aliquod v[illegible]que subsidium sibi compararet: conjugem duxit & operam suam typographo in corrigendis libris, qui publicantur, addixit.

Etsi autem in re admodum tenui biennium hoc proximum toleravit? Tamen illa se[illegible] spe sustentavit, quòd affulgente pacis sidere felici, in patriam primo quoque tempore redicturum se confideret; idque ut magno plurimorum cum emolumento suaque laude aliquando fieret. Post degustatam Philosophiam, THEOLOGIÆ totum sese tradidit. In ea verò ut tanto majore cum fructu progrederetur; præter Græcam & Hebræam, etiam Syriacam & Chaldaicam linguam ita pertractavit, ut omnium illarum cognitionem non vulgarem fuerit consecutus.

Sed

Digitized by Google

Sed ecce! dum reditum in patriam parat, & ante discessum una eademque opera urbes vicinas perlustrare, & uxoris suæ cognatos in Misniæ opidis hinc inde dispersos cupit invisere: Calamitate opprimitur præsusinopinatâ. Lipsiam enim cùm die Martij XXIV. Sueco studioso comitatus venisset, & biduum ibi commoratus, Fribergam cogitaret, jamque die XXVII. ejusdem mensis horis matutinis, in hospitio suburbano literis ad uxorem de itinere suo scribendis intentus esset: Inermes ipse & comes à duobus lictoribus vino sublimato inebriatis invaduntur, & post diuturnam colluctationem, non absque evidente præsentiæ divinæ testimonio intentatos capitibus jugulisque suis gladios vix effugiunt. Ex plaga tamen temporibus pugno impuri hominis illatâ, OLAUS noster mox ita malè habere cœpit, ut die demum Aprilis XXII. à gratus Lipsiâ fuerit ad suos ab amica reportatus, & ingravescente indies valetudine, vitam in terris suam nudius tertius inter quintam & sextam matutinam horam placidè finierit.

Qui familiarius hominem noverunt, vivum veræ pietatis ac probitatis exemplum fuisse sanctè attestantur. Qui verò agonis extremi spectatores fuerunt, hoc etiam bonâ fide referunt, quòd ex tentatis non acerri-

marum

marum Symplegadibus eluctatus, hosti salutis humanæ jurato, Satanæ tanquam jam victor animo tam præsenti insultarit, ut vix uldum efficaciæ Spiritus Sancti in Christiano moriente signum cogitari possit evidentius. Epiniciis quippe lingua Finnonica decantatis, Latino sermone admisceri audierunt Sententias è sacris Bibliis lectissimas, & vivæ consolationis plenissimas. Unde colligi haud difficulter posset, quantam in hoc viro jacturam Ecclesia Suecica faceret. Vitæ annum attigisse creditur XXXIII. Viduam cum filiola septimestri reliquit in summo quidem mœrore & squalore: sed Deo tamen viduarum patrono, & pupillorum patri fidissimo unicè commendatas. Is vindex erit injuriæ viro optimo tam atrociter illatæ justissimus: nec duo magistratus decrit officio.

Vestrum verò est, Cives Academici, communi hoc vestro eò frequentiores ire exequias, quò major debetur illorum memoriæ honos, qui ex remotissimis mundi plagis huc profecti, omnia natalis soli commoda, & quidem tam cara Lutheranæ religionis amori, & optimarum artium linguarumque studiis ubique vel cum vitæ periculo & rei familiaris detrimento, postponunt; & quò majorem tum viri innocentis exitus indignus, tum superstitum calamitas & solitudo commiserationem promeretur. Effere-

tur

tur autem funus hora tertia pomeridiana, ex ædibus MARTINI HENCKELII Typographi P. P. die festo Ascensionis CHRISTI Anno M. DC. XIII.

IV.

Rectoris & Consilii publici significatio, de ordine lectionum.

SI etiam post malam segetem bonus agricola serit, futurum sperans, ut præteriti temporis sterilitatem felicioris anni compenset ubertas: Quanto rectius nos in officio nostro perseveramus? Etsi enim semestri elapso præsentissimum Academiæ periculū à pestilentia visum fuit imminere; Tamen singulari misericordis Dei beneficio neq; cœtus docentium ac discentiū omnino dissipatus; neq; labor eorundem prorsus fuit inanis atq; inanis. Quamobrem ut ineloquibilem Dei benignitatem gratis animis jure meritoque celebramus: Sic eadem freti una constantiam in perferendis officii nostri laboribus porrò etiam pro virili retinebimus; tum evehitū cœrū fructumq; illum sperabimus, qui sit divino ipsius nomini gloriosus, utilis patriæ, & nobis universis salutaris.

Digitized by Google

Quod ergo felix faustumq; CHRISTUS esse velit, specimen vobis in tabellâ subjectâ exhibemus operarum scholasticarum, ut, quid expectare à nobis hoc semestri in prælectionibus publicis debeatis, intelligere, & rationes ad id studiorum instituere atque accommodare valeatis. Etsi autem superioribus septimanis in metu non exiguo versati fuerimus, ne semina contagii quædam, hominum vitæ suæ prodigorum incuriâ, rursus spargerentur: tamen est quòd tum grates agamus æterno & omnipotenti Deo immortales, cujus bonitate gratiâque à formidine illâ respirare per aliquot jam dies cœpimus; tum spe nos sustentemus optimâ, fore, ut ab hac Sione suâ, numero studiosæ juventutis indies augescente, malum omne porrò etiam clementissimè avertat, ut Ecclesiæ Christianæ seminarium in ea florens atque incolume ad finem usque mundi conservetur. Quæ spes ut successum habeat optatum, intra officii vos limites metasque continentes, vota pia cum precibus nostris conjungetis: Et nostram neque diligentiam fidemque in officio, neq; curam ac vigilantiam, quanta DEO propitiante præstari ab hominibus potest, ullo loco defuturam certò vobis persuadebitis. P. P. Dominica Exaudi, Anno Christiano M. DC. XIII.

IN

Digitized by Google

IN FACULTATE THEOLOGICA.

LEONHARTUS HUTTERUS S. Theol. D. & Professor P. Collegii Theologici Senior, ac p. t. Decanus, hac æstate ἐν ἐπιτόμῳ exped et diexodon clarissicæ ac vere nobilis Controversiæ, de æterna Prædestinatione sive Electione filiorum Dei ad salutem: eamque ex professo opponet strophis ac Sophismatis Calvinianorum, Hubertianorum, & recentiorum Photinianorum. Hora consueta IX.

FRIDERICUS BALDUINUS, D. Pastor & Superintendens auspicabitur juvante Domino, Explicationem Posterioris Epistolæ ad Corinthios, usitata methodo, quam in præcedentibus hactenus observavit. Hora IV.

WOLFGANGUS FRANZIUS, D. Templi arcis Præpositus, ad Levitici, seu tertii libri Mosis enucleationem accedet. Hora II.

IN FACULTATE IURIDICA.

BARTHOLOMÆUS REUSNERUS, U. I. D. & Decretalium Professor, juri-

dici Collegij ORDINARIUS & SENIOR, in nuper cæptâ materiâ JUDICIARIA perget, Horâ IX.

LUCAS BEECKMANNUS, J.U.D. continuabit prælectiones suas Feudales, Horâ III.

WOLFGANGUS HIRSBACHIUS, U.J.D. post explicatas hactenus & absolutas varias Codicis leges, quæ agunt de causis criminalibus & testamentariis, Materiam contractuum ex quarto Codicis libro enarrabit, Horâ IV.

ERASMUS UNRUH, U.J.D. hoc tempore Rector, in materia Testamentaria, quantum officii ratio permittet, progredietur, Horâ VII.

VALENTINUS GUILIELMUS FORSTERUS, U.J.D. continuabit tractatum de legatis: & eo perfecto, juxta seriem Institutionum alia proponet, Horâ I.

IN FACULTATE MEDICA.

ERNESTUS HETTENBACH, Phil. & Med. D. & Collegii Medicorum Senior, quæ in Tertio de victu acutorum restant,

stant, aliquot paucis lectionibus absolvet, indeque ad Nonum Rhasis, ex præscripto statutorum reversurus. Horâ IX.

DANIEL SENNERTUS, Phil. & Med. D. quod valetudine adversâ impeditus, elapso semestri hyberno præstare non potuit, hoc semestri, cum Deo, effectum dabit, & doctrinam de Febribus pertexet. Horâ IV.

TOBIAS TANDLERUS, Phil. & Med. D. ea quæ restant in Anatome, continuabit; postmodum ad fruticum explicationem deventurus. Horâ I.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

LAURENTIUS FABRICIUS, M. facultatis Philosophicæ Senior, tribus libris Salomonis styli difficillimi apud Hebræos, absolutis; reversus ad explicationem præceptionum Grammaticarum, eam hac æstate continuabit. Horâ I.

GEORGIUS WECKERUS, Med. D. Librum de Animâ Dn. Philippi Melanch. explicabit. Horâ III.

ADAMUS THEODORUS SIBERUS, post divinationem jam absolutam ipsas

deinceps in Verrem actiones ordine explanabit. Horâ IV.

ERASMUS SCHMIDT, M. Græc. Professf. postquam hactenus in Oratorio, Lyrico & Epico dicendi genere versatus fuit, ut ad Organum redeat, Sophoclis Trachinias explanabit, Horâ VIII.

IACOBUS MARTINI, M. ordinarius & extraordinarius demonstrabit & refutabit defectus & ἀλογίας, quæ in præceptis & exemplis Logicæ Keckermannianæ habentur, Horâ VII. & IX.

IOHANNES WANCKELIUS, Historiarum Professor P. Conditoris tertiæ Monarchiæ, Alexandri M. Historiam à Q. Curtio expositam, ἐαν ὁ κύριος θέλήσῃ, enarrabit, Horâ III.

AMBROSIUS RHODIUS Phil. & Med. D. tres ultimos Revolutionum Copernici libros de Luna & quinque Planetis pertractet, Horâ VII.

BALTHASAR MEISNERUS Th. D. capram de ultimo fine Hominis materiam absolvet. Horâ IX.

TOBIAS TILEMANUS, M. absolvet paucula ea, quæ in tractatione Primi mobilis adhuc restant, inde ad utilissimam & cognitu perquam necessariam doctrinam, quæ est de Temporis ratione & distinctione petita

Digitized by Google

petita à motu syderum, Solis cum primis & Lunæ, accessum faciet. Horâ I.

V.

Ad mensæ communis convivatores.

MAgna est omnium occasionum celeritas, & simillima undarum fluxibus. Neque enim ullus in idem flumen bis descendere, neque amissâ occasione itezum fruipotest. Sumus autem vel hoc nomine mortales infelicis sortis, quòd cùm malum accepimus, tum demum sentimus. Quorsum ista? Ut ex veterno scilicet incogitantiæ nonnullos excitemus, & ad legum, quibus obedientiam debent, observantiam revocemus.

Indulget Deus interminatâ, certè indebitâ clementiâ nobis otium tranquillum & securum; Suppeditat Serenissimi Principis Electoris, Domini nostri clementissimi munificentia, quæ sunt ad victum minimo in hac rerum omnium caritate precio comparandum necessaria: ut nihil curarum iis, qui communi hic mensâ utuntur, relinqui videatur, nisi ut legibus numero paucis, observa-

Digitized by Google

tu facillimis, citra tumultum contumeliamque cujusquam obtemperent. Qui secus fecerint, & disciplinæ, modestiæ verecundiæq; ordini suo & huic potissimum loco, verè sacrosancto, convenientis obliti fuerint: ijs pœna barbaricæ inhumanitatis jã dictata est, ut summâ notati infamiâ à convictu honestissimi contubernii arceantur & excludantur. Leve hoc nonnullis videri solet. Sed profectò ad rem ubi ventum est, ibi tum serâ pœnitentiâ plerosq; haud leviter excruciari, experientiâ magistrâ didicimus. Quare cùm paternũ erga universos & singulos animum geramus; eumq; modis omnibus declarare, quàm severiùs in quenquam animadvertere malimus: Si qui sunt, ut nonnullos esse admodum inviti audimus, qui judicii imbecillitate potiùs, quàm malitiâ petulantiâq; obstinatâ parum sese observantes legum aliquoties gesserunt, & molestiam, quam ipsi ferre nollent, suis commilitonibus, aut etiam Pro-inspectori Academiæ nomine constituto crearunt: Eos monitos volumus, ut sibiipsi parcant, neq; ad severitatem cum detrimento suo exercendam nos tantùm non reluctantes adigant & compellant.

Legum violationes præfractas opera Satanæ esse qui audiunt ac legunt, quæ destrui atque è medio auferri mentes piæ gemitibus suspi-

Digitized by Google

suspiriisq; calidissimis orant: Ij si quid humani, ne dicamus Christiani sanguinis habent, toto cohorrescent pectore, ubi ejusmodi operum organa se esse aut fuisse cogitaverint; & nisi maturè resipiscant, pœnarum plagis irretiti, occasionem semel è manibus dimissam, frustra deinceps requirent. P.P. pridie Dominicæ EXAUDI, anno Christiano M. DC. XIII.

VI.

Exequiæ Martini Olearii Magdeburgensis.

TRiennium hîc studiorum gratiâ versatus est, cùm antea quadriennio Helmstadij, quod ex fide dignis testibus accepimus, commoratus fuisset, MARTINUS OLEARIUS Magdeburgensis, patri viro honesto, & ante plures annos præmortuo cognominis. Is cùm ab aliquot jam septimanis adversâ valetudine correptus, in ædibus, quas, dum nobiscum esset, Vir Reverendus & Clarissimus, Dn. JOHANNES FÖRSTERUS, S. S. Theologiæ D. & Collega quondam noster, in platea, quâ vocant, Judæorum, inhabitavit, decubuisset, & lentâ tabe consumptis viribus, vitæ finem appetere intelli-

Digitized by Google

intelligeret; utin nosocomion Academiæ, quod ad vallum intra oppidum est, deportaretur, petiit, & heri circa horam decimam vespertinam placidè in agnitione & invocatione Filii DEI obdormivit, anno, ut creditur, ætatis tricesimo.

Inde ergo cùm postea hora quarta in cœmeterium suburbanum & efferendæ, & ritu Christiano terræ matri mandandæ sint illius exuviæ: Ut in illis honesto comitatu ornandis, supremum pietatis ac humanitatis officium, Cives Academici, præstetis, magnopere censemus. Neminem enim non mortalium favere hominis sepulturæ convenit, quia hæc una res est, cujus exemplum ad omnes pertinet. Immò ipsa rerum natura nobis quandam insevit adversus exanimes non solùm miserationem, quæ cogitationi nostræ subit; sed etiam religionem. Inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura, & injecta ab alienis humus.

Quanto ergò æquius hunc honorem Vos illi exhibere, quem & studiorum eorundem, dum fata Deusque sinebant, socium, & ejusdem tum religionis, tum fidei speique participem habuistis? Præterillam autem religionem, qua defunctos Ethnici quoque prosecuti sunt, sepulturæ atque exequiarum

honorem

honorem corporibus nostris deberi, Christiani norunt, tanquam olim rursus revicturis, & maximè iis, quæ oculos manusque ad effectorem suum Deum aliquando sustulerunt, quæ pedibus ad audiendum Dei verbum processerunt, & ut omnium primum dicamus, quæ carne & sanguine CHRISTI pasta sunt, quæque membra CHRISTI & templa, ut cum Apostolo loquamur, fuêre SPIRITUS SANCTI. Ite ergo exequias commilitoni vestro, & quemadmodum ille fuit, ita vos quoque mortales esse cogitantes, votum hoc pium cum animo quisque suo reperite:

Vivens, da pie CHRISTE, talis ut sim,
Qualis, cùm moriar, fuisse vellem!

P.P. die XX. Maij. Anno M. DC. XIII.

VII.

Ad studiosam juventutem.

Postquam Tartarea perrupit claustra catena
Antiqui domitor, calcata morte, Colubri,
Et vacuo caput exeruit cœleste sepulcro:
Septima septenos lux consummaverat orbes,
Optatoq; dies jam quinquagesimus ortu
Attulerat promissa DEI. Sonus, ecce! repente

Vehementis cœlo flatus ruit, undiq; totam
Pervadit q; domum, qua se statione caterva
Cœtus Apostolicæ concordi in pace tenebat.
Conspicuo simul allapsu SACER imbuit ora
SPIRITUS, & blanda demulcet pectora flamma.
At mox dividuis peragit præconia linguis
Admiranda, rudis rerum modò concio; sed jam
Plena DEO. Stupet insolito confusa tumultu
Gens Solymæa; suæ peregrinus & advena gentis
Miratur fundi Galilæo ex ore loquelam:
Tantum facundus rudibus decus addidit ignis.
Nec mora, dū verbi permiscent cuncta potentis
Fulmine cum sociis PETRUS, externata salutis
Turba viam affectat, Veteres q; in flumine sese
Noxas diluere, & post crimina posse renasci
Gaudens, certatim Regi dat nomina CHRISTO:
Abjiciuntur opes, coëunt in fœdera mentes,
Fidaq; inabrupto conspirant pectora nexu.
Ex illo in toto surgit gens aurea mundo,
Christianos q; suo dictos de nomine CHRISTUS,
Tantus sectorum dum volvitur ordo, tuetur.
Hujus opus, gratâ memorandū voce, quòd inter
Tot tantos q; metus formidandas q; ruinas,
Audimus variis mysteria cælica linguis.
Annua quòd cultu celebramus festa paterno,
Livida non omnes nescis in consortia tracti;
Hujus opus, bonda qui facit omnia, factaq; servat.
Hunc precibus veneremur, & integritate pudici
Quisq; animi placemus, ut inflammata Parentis

Offensi

Offensi cadat ira, nec ullo LEUCORIS ævo
Delecto careat Studiosa flore Juventa,
Qua mentem SANCTI perfusa charismate Flatus
In variis discat mysteria cœlica linguis,
Augusteq; DEUM venerata Deiq; ministros,
Largifluis certet cumulare altaria DONIS.
P.P. Solemnibus SPIRITUS SANCTI.

IIX.

Exequiæ V. C. Bartholomæi Krugeri Medicinæ D.

POsse etiam ex casa virum magnum exire, FRIDERICUS TAUBMANUS & BARTHOLOMÆUS KRUGERUS, Viri incõparabiles, & immortalia Academiæ nostræ lumina atque ornamenta docuerunt. Horum priori cùm ante duos menses è rebus humanis præmaturâ morte sublato justa fecerimus, & ex dolore luctuq; vix respirare cæperimus: Ecce in posteriorem etiã nudius quartus nobis jacturâ insperatâ ereptum officio tristi ac luctuoso, non tantùm muneris, quod nunc gerimus; sed etiam affinitatis propinquæ ratione, fungi cogimur. Ut ergo TAUBMANI VVonsesium; sic KRUGERI jam non amplius eheu! nostri

nostri ortu & incunabulis Dannito pagus non longè à Magdeburgo distans, nobilitatus fuit. Ibi enim cùm parentibus piis & honestis natus in lucem prodiisset, Aprilis die XXX. an. M. D. LXXIX. primisq; veræ pietatis initiis cum lacte materno haustis, literarum quoque rudimenta posuisset; Undecim jam annorum puer in Schola Leoburgensi studiorum curriculum feliciter fuit ingressus, & præceptorem nactus industrium ac fidelem, quem non ita pridem honorificè à discipulo grato tractatum vidimus, ita processit ac profecit, ut decurso, triennii spatio, trivialium artium stadio, Magdeburgum sese, ad altiora contendens, transtulerit.

Ibi quadriennium ita collocavit, ut anno M. D. XCVII. mense Aprili in ordinem civium Academicorum receptus, mox auditorem simul & doctorem agere cæperit. Incredibili quippe aviditate flagrans disciplinas omnes percipiendi & percolendi, quæ celerrimè ingenii felicis ac divina acrimonia fuerat assecutus, ea cum aliis communicare gestit. Atque ita una eademque opera & subsidia quædam studiorum, & incrementa doctrinæ tam miranda sibi comparavit, ut & discere, & docere, & facere simul visus fuerit.

Quod

Quod cùm in uno aliquo disciplinarum genere præstare magnum sit; Quanto majus est in pluribus & diversis ita versari, ut singulis totum te addixisse videaris? Nam ut Latinæ ac Græcæ linguæ peritiam taceamus: Hebræam ita percognovit, ut cum artificibus certare posset, & Wittebergæ nostræ haberet, quem Andreæ Masio, multorum elogiis celebrato, compararet. At in Mathematicis quantus fuerit, res ipsa loquitur, & prædicatione perpetua dignum hoc est, quòd ad summos jam honores evectus, & faciendæ Medicinæ occupatissimus, Mathematum Professionem recusaturus minimè fuerit, nisi ad ampliora reservandum summus Magistratus clementissimè censuisset.

In ipsa verò Medicina quid à primis adventus in hanc Academiam sui temporibus præstiterit; notius est, quàm ut verbosiùs debeat exponi. Meminerunt, qui paullò diutius hîc vixerunt, quantâ cum laude & utilitate multorum artem suam illo jam tempore factitarit, quo locum inter tirones habere adhuc credebatur. Quantam verò nominis celebritatem sibi pepererit, postquam Doctoris honore Basileæ ornatus, quod Maji die V. anno M. DC. III. factum, ad hos feliciter fuit reversus, quid attinet dicere? Non solùm enim curandis ægrotis, ad quos

Digitized by Google

singulis pene diebus etiam in remotiora loca vocabatur, operam felicem ac plurimis salutarem navavit; Verum etiam prælegendo ac disputando studiosæ juventuti prodesse contendit.

Verum enimvero in hoc etiam tantæ celebritatis viro fragilitatis humanæ exemplum cunctis proponere DEO æterno placuit. Ecce enim, dum operam suam nulli neque civi neque peregrino negat, & hisce inprimis temporibus saluti aliorum consulere satagit; seipsum minus curare potuit. Nam cum à septimanis jam aliquot, quibus febres malignas grassari hinc inde videmus, tentationes valetudinis parum integræ nonnullas sensisset, iisque antea se facili negotio occurrisse meminisset: Dum idem nunc se factum sperat, principiis obstare non quidem neglexit; sed propter excursiones ad ægrotos crebras & paullo longiores, distulit. Accessisse die ante obitum octavo ex ipso auditum fuit, ex esu piscium stomacho jam languenti minus gratorum nauseam peregre quandam, cui depellendæ adhibita eo ipso & sequentibus, quod tamen conjunctissimos latere voluit, diebus medicamenta vires jam nonnihil afflictas magis debilitasse, quam confirmasse visa sunt, ita ut recuperandarum spem citò abjecerit.

Ut

Ut autem erat in colligendo curationis suæ successu & eventu sagacissimus; Ita in proprio morbo idem maxime declaravit. Cumq; annum vitæ XXXIV. ante pauculas hebdomadas ingrederetur; ad plures tum eo sermone usus fuit, ex quo periculum vitæ ipsius propinquum imminere appareret. Qui enim in aliorum valetudine ingeniosè æstimanda tam perspicax fuisset; quomodo in propria cæcutiret? Fuit ergo de vitæ suæ fine vates nimiùm verus. Nam die Maji XXI. viatico cœnæ Dominicæ, ut Christianum hominem decebat, instructus; ultra biduum se non victurum, & quæ morbi symptomata eventura essent, quemadmodum prædixerat, ad eum planè modum singula evenerunt. Cùm enim medicamentorum, quibus antea fuerat usus, felicissimè, jam nullam sentiret efficaciam: Totum se à curarum terrenarum abduxit, & meditationibus precibusq; pijs, quantum per morbi inclementiam licuit, biduum ultimum peregit; tandemque die Maji XXIII. ipso scilicet die Pentecostes, vesperi inter VI. & VII. horam placidè expiravit. Etsi enim sensus ad extremum paullò segnius officium suum facere viderentur: anima tamen præsentia inter pronunciationes sententiarum sacrarum, & precum piarum recitationem, efficaciam & auxilium Spiritus S. adstantib. satis declaravit.

Qua-

Digitized by Google

Quæ de Conjugio utroque, ut & reliqua vitæ laudabiliter actæ curriculo dici poterant, partim ex funebribus scriptis, his ipsis mensis Maji diebus anno superiore publicatis, cognosci possunt; partim propter iterati matrimonij festivitatem mensis Februarij die IX. celebratæ, in recenti omnium memoria hærent, partim ex concione funebri, quâ exequiæ postea hora I. honestabuntur, cognoscuntur.

Vos autem, Cives Academici, hortamur, ut tanti Viri in ipso ætatis flore, tempore suo, ut homines judicamus, alienissimo nobis erepti jactura acerbo vobis acciderit modis omnibus declaretis. Magnus est eorum numerus, quibus omnia Medici fidelis & industrij officia cumulate præstitit. Quantum ergo animi ingrati & immemoris crimen foret, si in supremo humanitatis officio redeundo jam cessarent? Sed ut meliora nobis polliceamur, magni illius POLYCARPI soceri nostri æternum honorandi memoria quoque facit, cujus filiam SOPHIAM, fœminam lectissimam, quarto matrimonij mense, mariti unicè dilecti præsidio orbatam, in luctu jam & squalore cum universa familia versari qui non ex animo nobiscum dolent, sensum omnem humanitatis exuerunt.

Ite-

Ite ergo, ite Cives Academici exequias D. BARTHOLOMÆO KRUGERO, optimè de pluribus merito, & de pluribus, si DEO visum fuisset, merituro; & in domum luctus frequentes convenite, vobiscum Petrarchæ monitum cogitantes: *Non mors est metuenda, quæ frustra metuitur: sed corrigenda vita est, quæ res una, ne mors sit formidolosa, præstabit. Habenda nobis interim cum morte familiaritas quædam, ut quam sæpe meditati erimus, venientem excipiamus intrepidi, nec ut incognitam horreamus.* P. P. die XXVI. Maji, anno M. DC. XIII.

EPITAPHIUM.

QVi Medicas magna cum laude exercuit artes,
Cui fama est studiis parta Mathematicis;
Cui lingua exculta est Hebræa, Pelasga, Latina;
CRUGERUS *jacet hac* BARTHOLOMÆUS *humo.*
In medio vegetæ properata vigore juventæ
Tot bona, mors tanos abstulit ante dies.
Nama, ter undenos modò vix impleverat annos;
Cum vita ardenti febre soluta fugit.
Flent Nati Patrem duo; flet LYSERA *maritum,*
Heu! post ter quinas jam vidua hebdomadas.

Digitized by Google

Sed bene qui vixit, moritur bene. *Sanguine CHRISTI*

Gaudet in Abrami mens renovata sinu.
Tempus erit, quando sum corpore juncta, revehet
Angelicos inter gaudia plena choros.

IX.

Ad mensæ communis convictores.

QVod Poëtarum ingeniosissimus dixit:

Qui monet ut facias, quod jam facis; ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo:

Idem Vobis, Cives Academici, si dictum judicabitis, rectissimè facietis, idque nos vobis suadere, quod vestrâ hactenus sponte fecistis, gaudebitis, & quam huc usque servastis intuendâ statione vestrâ, in eâ deinceps quoque perseverabitis constantiâ. Meminimus proximis aliquot annis, quantus post domum unam item; alteram pestilentiæ contagio infamatam, pavor; quanta consternatio, quàm præceps extiterit multorum fuga: Quod quidem illo in primis loco potuit animadverti, quem Serenissimorum Saxoniæ Electorum, Principum nunquam satis laudatorum, munificentia veluti perfugium quoddam tenuiorum esse clementissimè voluit. Non semel enim ad exiguum planè numerum redactos vidimus eos, qui in Augusti Collegio mensæ commu-

communis victu fruuntur. Hoc verò mense, quo Rectoriæ Academicæ sive honos sive onus humeris nostris incubuit, nihil ejusmodi evenisse, & non tantùm convictorũ illorum numerum nullâ ex parte imminutum esse; Verùm de cæteris etiam juventutis frequentiâ parum desiderari; est profectò, quòd cum seria ad æternum & misericordem Deum gratiarũ actione nobis; imò verò vobis gratulemur. Res sanè ipsa proh dolor! vociferatur, merentibus ita peccatis nostris, non modò febribus malignis opidum hoc nostrum, itidem ut vicinam, infestari; sed semina quoque non prorsus nulla pestilentiæ, ex superioris semestris contagio, minaciore quam perniciosiore, relicta per incuriam, quod nuper etiam deploravimus, hominum non circumspectorum, in æstu aliquot dierum insolito, pullulare & serpere cœpisse.

Veruntamen quemadmodum nunquam satis agnoscere & celebrare possumus ineffabilem Dei propitii, in conservandâ præterito tempore hac & Academiâ & civitate, bonitatem ac misericordiam: Ita cùm eorum inimus numerum, qui hoc mense intra opidi mœnia febribus malignis, aut lue pestili creduntur absumpti: Non possumus non cum admiratione summa exosculari atq; deprædicare divinam, quam ad hunc usq; diem experimur, defensionem & custodiam.

Digitized by Google

Etenim pestilitatis pœnam destinato numinis offensi consilio mortalibus immitti, non solùm sacræ testantur literæ; sed harum etiam ignari fatentur. Homerus quippe, Oceanus ille humanæ sapientiæ, pestilentiam Græcorum in bello Trojano castra populantem, Apollini sagittas suas in Græcos sacerdotis sui violatores vibranti assignat. Nec desunt exempla recentiora, quàm multas sæpè unâ nocte ædes malum istud occupârit, quoties in iræ justæ furore arcum intendens Deus, urbem aliquam quasi scopum ad sagittam constituit, & *per renes*, ut cum Propheta loquamur, *hominum pharetræ suæ filios adegit*. At intra mœnia nostra an menstruo spacio domus hoc mali genere decem fuerint correptæ, nondum liquidò constare arbitramur: quas tamen singulis tantùm, aut non multò pluribus funeribus elatis, mox inquilinorum frequentiâ exonerari, & occludi magistratus opidanus curavit. Ex ordine certè Studiosorum ne unus quidem omni hoc tempore pestilentiâ fuit infectus.

Quamobrem ut salutem & incolumitatem, quâ hactenus fruimur, nostram uni Deo in solidum debemus: Sic ut eandem porrò etiam retineamus, & mali hujus formidine liberati, sui quisque muneris officio fungi possimus, ex animo optamus & precamur

camur. Nec verò dubitamus, quin æternus & omnipotens Deus propter Filium suum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, clementissimè sit exauditurus non modò nostras preces; sed tot etiam piorum hominum, qui suos nobis liberos, propinquos, clientes crediderunt & commendarunt, gemitus ac suspiria.

In primis verò ad spem nos bonam animat Serenissimi ac potentissimi Electoris Saxoniæ, Domini nostri clementissimi, cura & affectio plus quàm paterna, quam his ipsis diebus, missis ad nos mandatis declaravit, quorum summa huc redit, ut Serenissimam Excelsitatem suam de statu Academiæ & nominatim de contagii, quæ Deus avertat, incrementis, vel quæ speramus & optamus, decrementis singulis septimanis certiorem reddamus, & quantum humanâ operâ præstari potest, advigilemus, ne quid detrimenti res Scholastica capiat, neve ad dilabendum ansa studiosæ juventuti præbeatur.

Ex quibus cùm perspicere & intelligere positis, quantopere Serenissimæ ipsius Excelsitati res Scholastica cordi curæque sit, & quantopere illa vestris commodis faveat: Quippe quæ hoc ipso, ut & ante hæc quoque tempora, non obscurè ostendit, si quod majus à contagio periculum imminere videa-

tur, Academiæ se maturè prospecturam: Post cultum veneratione mque æterno Deo debitam, Nutritoris quoque liberalissimi & pientissimi providentiæ honorem habebitis eum, quem haberi illi justicia & honestas ipsa suadet atque hortatur.

Eam verò, quam de nostra hactenus diligentiâ prospicientiâq; concepistis spem & fiduciam, deinceps etiam conservabitis. Quæ enim anno CHRISTI M. D. LXXVII. in simili periculi genere fuerunt a majoribus nostris salutari consilio institura & usurpata: ea nunc etiam ut ad usum revocentur, decretum est. Et quoniam intra opidum satis tranquilla, quod perpetuum CHRISTUS velit! & ab evidenti periculo immunia fermè sunt omnia: A prodeambulatio nibus intempestivis, dum pristinam Deus securitatem restituat, aliquantisper abstinendum censemus.

Nominatim verò repetitas volumus superiorum temporum edictiones de non gestandis quovis, maximè verò discessus prætextu armis; de vitandis discursationibus & vociferationibus nocturnis, quibus malè feriati aliqui non solùm quietem plurimorum interturbare; sed famam etiam & existimationem nonnullorum attentare, litigii & jurgii nescio cujus simulatione, aut actionum literato, nedum Christiano, homine indignarum

rum repræsentatione nō verentur: & quem admodum sobrii metu & formidine, sic appoti paullo largiùs confidentiâ & temeritate peccant. Sed memiisse illos oportet, neque justicie & vindictæ divinæ oculum perpetuò dormire; & in coercendâ effreni turbonum illorum petulantiâ nostrum nos officium facturos.

Ut uno verbo dicamus: Dum vestro fungimini officio, & concessâ divinitus occasione continuandorum studiorum nūmini, proximi; paternam vestris commodis ac necessitatibus benevolentiam provisionemq; nullo loco defuturam, certissimè vobis persuadeatis. Hæc verò si qui seipsos vel privarint, vel indignos reddiderint; non profitendo præsertim apud Rectorem nomina sua, quod his diebus factum admodum inviti cognovimus: li si tanquam alieni à nostra jurisdictione nostro destituantur auxilio; neminem alium, quàm seipsi accusabunt. P.P. IIX. Id. Junias, anno M. D C. XIII.

X.

Exequiæ Iohannis Brunneri Bernecensis Franci.

REVOCAT hodie animos nostros Ecclesia ad memoriam divitis

Digitized by Google

illius epulonis & Lazari mendici, quorum conditionem in vita juxtà ac morte dissimillimam Servator noster proposuit. In illo insolentiam videmus & tumorem divitum, indiciis competentibus exprimi, quòd ita conditionis immemores humanæ sint, ut tanquam supra naturam siti, de miseriis pauperum incentiva suarum capiant voluptatum. In hoc verò effigiem habemus mendici debilitate fessi, pannis obsiti, fame languidi, & post exitum vitæ ærumnosissimæ fortè nec sepulti.

Sed quàm stupenda sequitur rerũ conversio? Diviti illi purpurato, malè ac perniciosè saginato, præclaras in conspectu hominum exequias exhibuit turba famulorum; sed ad æternæ famis ac sitis supplicia deducendo. At verò multo clariores in conspectu Domini ulceroso pauperi ministerium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt. Nimirum curatio funeris, pompa exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivorum sunt qualiacunque solatia, non subsidia mortuorum.

Quid audio? dicat aliquis. Rectè ergo, ut ex barba capillos detonsos negligimus; ita animus egressurus hominem, quò receptaculum

praculum suum conferatur, non magis ad se judicat pertinere, quàm secundas ad editum infantem. Ne quis enim insepultus esset, rerum natura prospexit. Sanè non prorsus indigna Philosophis oratio, quos ut rerum omnium, ita sepulturæ etiam contemptus in eam sublimitatem, quâ vix celsius quicquam cogitari possit, evexit. Imò verò ne Christianis quidem omnino aspernanda, quibus hoc persuasissimum, licèt multa corpora fidelium terra non texerit, nullum tamen eorum quemquam à cœlo & terra segregasse, quam totam impleat præsentia sui, qui novit unde resuscitet, quod creavit.

Interim tamen, si divina sic tuleritvoluntas, ut honore sepulturæ carendum sit; rem eam ad exaggerandam crudelitatem eorum, qui ista fecerunt, non ad eorum infelicitatem pertinere norunt, qui ista passi sunt. Nec ideò tamen contemnenda & abjicienda esse defunctorum corpora, maximè justorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vasis ad omnia bona opera Sanctus usus est Spiritus.

Ex horum numero cùm JOHANNEM BRUNNARUM, Berneccensem Francum ex testium fide dignorum relatione didicerimus: Ita vos in illius exequiis geratis, Cives Academici, censemus, ut non postre-

mi in parte bonitatis divinæ hoc numeretis, quòd licèt nullus insit cadaveribus sensus; tamen apud Deum, cui placent talia pietatis officia, non perire novimus, quicquid exanimis hominum membris officii diligentiæque persolvitur: Intò illo ipso significari, ad Dei providentiam corpora quoque mortuorum pertinere, propter fidem resurrectionis astruendam.

Quod reliquum est, ipsi JOHANNI BRUNNERO patrem fuisse accepimus Justum Brunnerum, virum revera justum & pium, & Prætoris honore in patria, magnâ cum laude perfunctum. Matrem verò Margaretam Christophori Ruperti, Prætoris ibidem jam olim defuncti filiam, quæ præ duobus liberis reliquis, puero & puellâ, tenerrimè hunc nostrum amasse perhibetur: Post jacta studiorum apud suos fundamenta, annos propè XIII. in Schola Curiensi Varisorum commoratum, superiore anno in Academiam nostram se contulisse, & cum Philosophiæ studio juris prudentiæ quoque cognitionem conjunxisse. Sed curriculum studiorum mors improvisa interrupit. Die quippe Maji XXIIX. febri correptus ardenti, dum morbi initiis occurrere vult, accedente Junii die IV. etiam pleuritide, circa horam XI. meridianam heri inter pias pre-

ces

ces animam CHRISTO Redemptori reddidit. Funus efferetur postea hora III. ex ædibus viri Cl. & Consultissimi Dn. I. U. C. Æ. BEECKMANNI, U. J. D. & Professoris P. in platea consulum. P. P. die VI. Junii, anno M. DC. XIII.

XI.

Exequiæ Annæ Crappiæ.

CRappiorum familiam in hac urbe veterem & præcipuam ante annos jam nonaginta fuisse, Joachimus Camerarius scriptum reliquit, ubi de conjugio Philippi Melanchthonis agit. Uxor eorum Philippi Catharina patrem habuit Hieronymum Crappium, hujus civitatis Consulem. Ex eâ familia præter illos, qui in vicinis opidis domicilia sua collocarunt, unus apud nos reliquus Hieronymus Krappe, vir honestus & integer, ANNÆ conjugis concordissimæ obitu repentino in luctum conjectus est acerbissimum. Heri enim, mediâ inter septimam & octavam matutinam horâ, illa è vivis sublata est, tempore sibi quidem, pro rerum conditione præsentium, satis opportuno: At marito & soboli, teneræ juxtà ac numerosæ, quemadmodum homines judicamus, alieno.

Patrem

Patrem ipsa habuit virum honoratum, & de re literaria & hac civitate præclarè quondam meritum, CONRADUM RUHELIUM Consulem, & Bibliopolam celebrem; cujus fratrem ANDREAM RUHELIUM, senem venerandum, etiam nunc Prætoris munere videmus fungi: Matrem verò matronam honestissimam Magdalenam, viro item spectato & prudente, Georgio Freundo, prætore Lipsico genitam.

Ex his parentibus nata est Anna, de qua loquimur, anno Christi M. D. LXXIV. tertio Calend. Quintiles, qui dies in fastis Christianis Petri & Pauli Apostolorum memoriæ dicatus est. Annum deinde agens ætatis decimum sextum, mensis Decembris die secundo, Anno M. D. XXCIX. marito suo nupsit, & in conjugio concordiæ pleno undecim liberorum mater facta, filias quidem duas ad meliorem vitam jam olim præmisit; duos verò filios & septem filias viduo mœstissimo superstites relinquit. Annum ætatis undequadragesimum quò minùs impleverit, hebdomades tantùm tres desunt; ut si ætatem spectes, & corporis, quem præ se ferebat, vigorem; non paucos adhuc annos vivere potuisse videatur. Verùm enimverò ne de reliquis dicamus vitæ totius & in primis conjugii molestiis atque ærumnis; ipsis partus

Digitized by Google

partus doloribus toties exantlatis sobolisq; nutricatione, cui tantùm non immortua est, ut & valetudine liberorum per aliquot jam menses adversâ, quin vires ejus vehementer afflictæ & fractæ fuerint, dubitari non potest.

Quamobrem ut eâ, quæ ad ruinam jam inclinata ac prona sunt, facili impulsu dejici posunt ac everti; Sic ad ipsam quoq; prosternendam vel levis impressio satis superq; habuit virium. Nudius enim quintus incendii extra opidum coorti nuncio, parum conveniente loco & tempore, in balneo scilicet, ut perhibent, conflernata, postridie, qui fuit Junii dies sextus, in febrim, quo malo nihil jam frequentius, ardentem incidit. Ad eam cùm hesterno die horis pomeridianis apoplexia accessisset; desperata mox ope medicorum, tantæ morborum violentiæ citò succubuit, & eâ, quam diximus, horâ inter preces pias vitam in terris suam fine placido concluſit.

Vestrum est, Cives Academici, familiarum tam honoratarum memoriæ, & ipsis matronæ optimæ meritis supremum hoc pietatis atque humanitatis officium præstare, & funus ex ædibus vidui mœstissimi in vico Judæorum sitis, postea hora III. efferendum, comitatu frequentiore cohonestare, & tum

& tum cætera, quæ pompæ illiusmodi congruunt, & conveniunt, cum animis vestris cogitare; tum ita vitam omnem instituere, ut quandocunque ille laturus sententiam de omnibus annis vestris dies venerit, ad iter divinitus unicuique destinatum parati sitis. *Qualem enim te invenit Deus, cùm vocat; talem pariter & judicat.* Itaque *stultissimis stultiores sunt, qui in tali statu vivunt, in quo mori non auderent.*

Illud quoque monendum duximus, etsi contagii pestilentis in hac matrona suspitio nulla est; tamen ob causas nonnullas ipsum fuisse optimum factu, ut ad eum modum, quo unum itemque alterum funus exportari thensâ, ut ita appellemus, Libitinariâ vidistis, hoc etiam extra opidum in cœmeterium devehatur; quod significandum fuit, ne quis spectaculo minùs usitato perturbaretur. P.P. die IX. mensis Junii, Anno M. DC. XIII.

XII.

Exequiæ Euphrosynæ Crelianæ.

DUos tulit patrum ævo Academia nostra Theologos insignes, D. GEORGIUM

ORGIUM MAIOREM, ejusque generum D. PAULUM CRELLIUM, qui non tantùm suæ ætatis juventutem vivâ voce docuerunt; sed monumentis etiam scriptorum utilium nominis sui memoriam ad posteros propagarunt. Horum alterum avum maternum, alterum patrem habuit vir honestus & integerrimus SEBASTIANUS CRELLIUS, Notarius publicus & Consistorii Ecclesiastici advocatus. Cui post iterata intra paucos annos, Matris, sororis & trium filiolarum funera, novus jam, ita volente DEO, luctus offertur obitu filiolæ unicè dilectæ, EUPHROSYNÆ. Cùm enim illa anno Christi M. DC. IX. mensis VII. bris. die XII. circa horam VI. vespertinam in lucem hanc fuerit edita; Facilè colligere quisque potest, quantam in animis parentum, adlevandum trium sororcularum, jam olim præreptarum, desiderium, paullatim adolescens hujus puellulæ suavitas amabilitasque vim & efficaciam habuerit. Eam ergo postquam ipsius mors, hominum judicio præmatura, penitus abstulit: cicatrices vulnerum vix jam coëuntium refricari necesse est.

Quam autem acerbus parentibus & natura & educatione φιλοτέκνοις hujusmodi dolor accidat, etsi nisi expertus judicare nemo verè potest: tamen nemo fam inhumanus est, qui non æstimare aliquate-

Digitized by Google

aliquatenus possit, quanto cum cruciatu, quæcunque nexus accepêre naturæ, & quæ sanguine viscetibusque constricta sunt, dissolvantur. Verùm enimverò ne calamitas hæc sola sit, accedit filioli unici Pauli, qui avum nomine refert, valetudo valde afflicta. Nam & ille octo annorum puer, febri tertianâ duplici correptus, cùm spem convalescendi tot exempla debilitent, solicitudinem ac mœrorem parentum mirificè, atque ita quidem auget, ut sibi tantùm in orbitatem liberos produxisse videantur. De sobole enim satis, DEI beneficio, numerosâ, filiola unica Sabina, cui ad primum vitæ biennium tres adhuc menses desunt, sanitate, quam perpetuam CHRISTUS velit! optatâ hactenus fruitur. *Semper* autem *apud eorumnosos in deterius prona persuasio est: & ex impatientia*, ut quidam ait, *diligendi plerunque descendit, ut facilè credas, quod timeas.*

Quamobrem rem feceritis Cives Academici, & Deo probatam, ordinique nostro consentaneam, & familiæ laudatissimæ honorificam, parentibusque luctu tabescentibus gratam acceptamque, si exequias puellulæ postea hora III. ex ædibus parentum arci oppositis, in cœmeterium opidanum ducendas, comitatu frequentiore cohonestaveritis. Nam ad hoc cohortatione nostrâ

vos non egere arbitramur, ut, quod ipsa pietas & sortis humanæ consideratio suadet, vota pia atque ardentia singuli, cum parentum mœstissimorum precibus ac suspiriis conjungatis; Qui nihil nunc quidem magis in optatis habent, quàm ut morbo periculoso divinâ benignitate gratiaque liberatum filium, unà cum sororcula superstite incolumem salvumque quàm diutissimè vivere, & in solatium adolescere videant quatuor filiarum: cum quibus in DOMINO, ut Spiritus Sanctus loquitur, MORTUIS, quin actum sit optimè, pietas Christiana dubitare neminem sinit.

Inprimis verò de Θεωσίᾳ est quod & puellulæ piè defunctæ gratulemur; & cogitationes animis nostris circumferamus assiduas. Illam enim in tam tenero corpusculo, febris maligniæ & ardentis violentiam, convulsionibus epilepticis quandoque cumulatam, magno invictoque animo per integrum mensem tolerasse, & fiduciam misericordiæ divinæ gemitibus ad DEUM identidem ingeminatis testatam, paucisque ante mortem, quæ nudiustertius in X. vespertinam incidit, horis, lætitiam quandam singularem, elevatis intentisque in cœlum oculis, ita declarasse accepimus, ut vitæ æternæ gaudia præsentire astantibus omnino videretur.

D Hanc

Digitized by Google

Hanc ergo migrationis placidæ & tranquillæ felicitatem, quæ votorum in hac æruminola vita caput est, ut suo singuli tempore atque ordine consequamur; eam ex monito CHRISTI Servatoris, quam tenera ætas habet, humilitatem, simplicitatem, innocentiamque imitemur. P. P. Die XXI. Junii, anno Christi M. DC. XIII.

XIII.

Exequiæ M. Matthiæ Rotarii, Academiæ ministri emeriti.

QVod Moses, vir divinus, ante tot secula pronunciavit, Ætatis nostræ spacium LXX. terminari annis, aut si sit aliquis valentior, ad summum XXC: Eorum tamen partem potissimam laborem esse ac dolorem: Ejus rarum & insigne exemplum habemus in *M. Matthia Rotario*: Ad cujus funus frequentiore comitatu cohonestandum, ut Cives Academicos significatione publicâ pro more invitaremus, si rogati non essemus, ipsâ nos honestas & defuncti merita hortarentur. Annus enim ante duos menses completus est XLI. ex quo Collegam ille amisit

Michae-

Digitized by Google

Michaelem Majum Noribergensem, qui tum Intimationum, quas vocant, tum Orationum in hac Academia habitarum editione præclarè de re literaria & tota hujus Scholæ historia meritus est.

Ejus Maji, nonis Maij anno M. D. LXXII. quod pauci ex ordine nostro, immò ex civium etiam numero meminerunt, honorificè sepulti collega *Matthias* noster ad annos fermè X. fuit; cùm antequam onus illud susciperet, XIV. ipsos annos civis Academiæ fuisset. Ex quibus facilè cuivis apparet, Senem nostrum id temporis spacium in hac urbe exegisse, quod qui vivendo attingunt, inter rara vivacitatis exempla numerantur.

Amisimus ergo nunc eum virum, qui ab annis jam LXIII. non solùm auditor virorum, quos tot anni tulerunt, doctissimorum; sed etiam plerisque eorum familiaris & quotidianus convictor fuit, quæ felicitas rarissimis contingit. Amisimus eum, qui mutationum, quæ per tot annos acciderunt in hac urbe, & in primis Academia, tam multiplices & periculosæ, spectator fuit non oscitans & dormitans; sed inprimis diligens & curiosus: ut de multis rebus & eventis, ex aliorum memoria deletis & oblivione jam sepultis, utiliter docere ac monere, pro re natâ plurimos posset.

Digitized by Google

Amisimus denique eum, quem senibus illis annumerare poteramus, quorum precibus piis ardentibusque publicas averti calamitates, aut certè differri, piis omnibus persuasissimum est: De cujus obitu cùm hoc ipso tempore tam difficili cogitamus diligentius, in mentem nobis venit ejus, quod Philo de Senib. hujus generis scripsit: *Oremus ut ceu columna in domo, mens in anima, in humano genere homo justus permaneat ad calamitatum remedium. Nam hoc incolumi, de salute publica desperandum non est. Audita*, ait idem, *morte alicujus eorum, magna tristitia magnoq; dolore afficior; quòd destituti magna potentiq; manu, qua protecti antea fuerant, suorum malorum scuto immineat.*

Itaque non est quod ideò levem hujus viri jacturam existimemus, quòd infimo is loco & famulari inserviit huic Scholæ: sed eum nos senem amisis se meminerimus, *qui licèt inter decrepitos numerari posset, & extrema*, ut cum Seneca loquamur, *tangentes; non sentiebat tamen in animo ætatis injuriam, cùm sentiret in corpore.* Immò si pauculos menses excipiamus, in tam grandi ætate junioribus industriâ & alacritate in peragendis officii sui partibus parùm concedebat. Sed his prædicandis commodior aliquando locus dabitur. Nunc affectus in defunctum ostendendi

Digitized by Google

dendi gratiâ, quæ de natalibus ipsius cæteroque vitæ curriculo accepimus, strictim attingemus.

Igitur *Matthias Rotarius* patrem habuit virum honoratum ac spectatum, *Sebastianum Rotarium*, præfectum pagi Andrenzendorfii, qui milliari Germanico distare fertur ab opido Carinthiæ Rackenspurgo. In ipso autem in hanc vitam ingressu *ac laboribus ac doloribus* deinceps perferendis veluti initiaretur, incidit natalis ipsius in illa tempora, quibus Turcicus exercitus, Anno Christi M. D. XXIX, ad oppugnationem usque *Viennæ* progressus fædè vastavit Pannoniam, & luctuosas ad Lincium usque excursiones fecit, quibus perterrefacti parentes Matthiæ fugâ consulere sibi coacti sunt. In ea verò fugâ non procul ab arce Dega eum sub ponte quodam mater infantem enixa fuisset, incertis deinde sedibus, cum eodem hûc illuc vagati, exilii ærumnas pertulerunt.

Prima literarum tirocinia scholæ Bettensi debuit, in qua per annum versatus, *Villacum* transiit, & ibi triennium commoratus, *Norinbergam*, anno M. D. XLIV. se contulit. Quamvis autem subsidiis destitueretur necessariis: tamen partim ostiatim quæsito pane, partim civium favore & liberalitate integram sexennium in ea urbe sustentatus, suam

Digitized by Google

præceptoribus industriam & diligentiam probavit. Iisdem verò hortantibus in Academiam nostram venit anno M. D L. & inter varias rerum omnium difficultates eo, tamen in studiis progressus fecit, ut anno M. D. LXIV. à Decano tum Collegii Philosophici, V. Cl. Bartholomæo Schönbornio Februarii die XXIV. cum LII. compentoribus liberalium artium & Philosophiæ Magister fuerit renunciatus.

Elapso deinde biennio, post experimenta nonnulla, collega fuit datus Michaeli, de quo dicebamus, Majo: qui ex diuturna cum summis illius ævi viris conversatione & consuetudine, leges, mores, instituta Academiæ peritus cognoverat, & quæcunq; in congressibus hominum sapientissimorum per annos XXX. viderat, audierat, didicerat, cum collega suo communicavit.

Etsi ergo non defuerunt occasiones, quibus ad munus aliquod Ecclesiasticum promoveri potuisset: Tamen cùm & ipse vitæ Academicæ amore teneretur mirifico, & tali ministro orbari Patres Academici nollent: In munere semel suscepto ad finem usque vitæ perseveravit. Quantâ verò illud fide, sedulitate, promptitudine, innocentiâ, integritate, taciturnitate administrârit, argumento est, quòd inter tot tantasq; vices mutationũ, quæ *dolorem laboremq;* illius non parum auxerunt, ita-

Digitized by Google

in statione semel assignatâ mansit. Ut uno verbo dicamus; Exemplar Ministri Academici in ipso nõ sine grata quadam antiquæ gravitatis ac gravitatis recordatione & prædicatione sæpè admirati sumus; quod an visura sit in successoribus posteritas, nescimus.

Uxorem duxit ætatis anno XLII. qui fuit natæ Christi M. D. LXXI. *Magdalenam* Sichertin/quam anno superiore ipso Laurentii die ad vitam meliorem, non sine *dolore* suo præmisit, conjugium expertus fœcundũ, & IX. liberorum pater factus. Sed ea felicitas crebris eorundem mortibus non parum interturbata fuit: siquidem quinq; filiorum, duarumq; filiarũ funeribus toties contristatus, *Andream* tantùm & *Helenam virginem*, superstites reliquit. Accesit his *dolor* non exiguus, quòd *laboris* illius fructũ vivens percipere nequiit, quem post collegæ obitum sustinuit in colligendis scriptis illis, quæ per annos XL. & quod excurrit, à Rectoribus, Decanis, Professoribus, publicè fuerunt proposita: Quam curam antiquitus primariis Professoribus partim ex Theologis, partim ex Philosophis commendatam fuisse, ea quæ publicata sunt, voluminа testantur. Sed is labor ne intercidat, Deo prosperante, providebitur.

Extremus vitæ actus notior est, quàm ut exponi verbosiùs debeat. Vetus est illud: Ἐπὶ τῶν γερόντων τὰ μείονα νίκη Θηβαίοις. Quare cu-

Digitized by Google

vandum oneris parte maxima senem emeritum Academia censuisset: Ipse tamen quoad vires tulerunt, operam fidelem eidem navare, & consilio juvare omnes studuit. Temporis ultimi usuram lectioni Bibliorum & precibus ad Deum assiduis impendit: Ex quibus cognosci potuit, ipsum etiam verè timuisse Deum, ipsiusque pectus accensum à Spiritu S. domicilium fuisse Dei, quo testimonio majores nostri Majum ornarunt.

Ante hebdomades IV. cùm vitæ finem propè abesse intelligeret, Viatico postremùm voluit instrui Cœnæ Dominicæ, paucisque post diebus lectulo affixus, animo præsentissimo migrationem ex hac mortali vita beatam in agnitione & invocatione Filii Dei expectavit; quam etiam misericors DEUS ipsi nudius quartus hora quasi I. pomeridiana clementissimè tribuit. Visentibus & quid ageret interrogantibus, hoc unum auditus respondere: *In manu Dei sum. Sive vivam, sive moriar, semper DOMINI sum. Ipse enim est vita mea, & longitudo dierum meorum.* Ad extremum loquendi jam facultate destitutus, sensuum tamen integritatem fideique constantiam, ad *nomen JESU* salutare, nutu motuque capitis declaravit; Tandemque illud Sophocleum, Σιγῇ παλαιὰ σῶμα δαμάζει ῥοπή, leni via ex hac vita subductus com-

comprobavit, cùm ætatis annum ageret XXGIV.

Reliquum est, ut Cives Academici ad funus honestè comitandum frequentes in area *Collegii Friderici* postea hora II. conveniant; Tum ut συμπάθειαν affectumque erga Academiam, tàm fideli Ministro orbatam, ostendant; tum ut honorem habitum eant ei viro, cujus operâ prompta atque industriâ tòt Magistrorum & Doctorum honoribus inserviit; tum denique ut publicam privatamq; salutem DEO, summo hujus Academiæ gubernatori, & vitæ singulorum arbitro votis ac suspiriis piis commendent. P. P. IV. Non. Quintil. Anno Christiano M. DC. XIII.

XIV.

Exequiæ Iohannis Piscatoris Ulmensis.

HOnoratam Obstetricum mentionem sacræ literæ illis temporibus faciunt, ad quæ vix ullæ gentilium pertingunt antiquitates. Cùm enim obstetrices Ægyptiæ Deum veritæ pueros Hebræorum conservas-

sent; DEUM pietatis illius remuneratorem fuisse largissimum, ex Mose, teste omni exceptione majore, discimus. Ad hoc elogion proximè videntur accedere profanorum scriptorum testimonia. Nam temporibus Mythologicis, Dianam vix in lucem editam Obstetricis munere mox apud matrem Latonam, Apolline fratre nascente, functam, & parturientibus deinde opem tulisse fingunt. Nec defuerunt Historici, qui eâ, qua Alexander Magnus natus est, nocte Dianæ Ephesiæ templum deflagrasse traderent, quòd Diana parturienti Olympiadi deesse noluisset; Ideoque Pellam profecta procul à templo suo abfuisset.

Non minor obstetricum laus & hæc est, quòd Socratem, vitæ Magistrum optimum, Phanarete obstetrice natum, adeò non erubuisse perhibent matris officio, ut etiam gloriaretur, se perinde animorum virtutibus obstetricari, uti corporum fœtibus mater fuisset solita. Possemus ad laudem & commendationem officii hujus, cui secundùm DEUM multum se debere nemo nostrùm negare potest, plura in medium afferre. Sed cur ista præmiserimus, paucis indicabimus.

Est inter opidi hujus Obstetrices, sanè paucissimas, matrona honesta Hedvvigis, habitans ad vallum in ea parte urbis, qua-

rivus,

Digitized by Google

mus, quem celerem appellant, urbem intrat. Huic fœminæ honestissimæ maritum alterum Deus, vitæ hùmanæ arbiter & Dominus, morte improvisâ heri eripuit, & luctum attulit, hoc præsertim tempore, acerbissimum. Is autem fuit JOHANNES PISCATOR, vir nostri ordinis, de quo referenda breviter duximus, quæ ex fide dignis testibus accepimus.

Patriam ille habuit ULMAM Suevorum urbem nobilissimam: Patrem verò JOHANNEM PISCATOREM, ejusdem urbis civem honoratum, & Matrem Rebeccam, familiâ honestâ natam. Ex his parentibus anno CHRISTI M.D. LXXIII. in lucem editus, & honestè ad annos usque adolescentiæ educatus, Tubingam postea missus fuit. Ibi cùm biennium & quod excurrit, lectiones privatas & publicas audiisset, & in familiaritatem se insinuasset Virorum Clarissimorum ac præstantissimorum, Liebleri, Heilandi, & in primis Martini Crusii: commendatione eorundem & testimonio præclaro instructus promeruit, ut erudiendis filiis viri nobilissimi ex gente Austriaca Sehaueriâ à Sehau præficeretur: Cui muneri cùm laudabiliter, quod literas testimonii docent, præfuisset: Continuandorum studiorum gratiâ, post mortem matris, de

patria

patris voluntate ad Academiam sese nostram contulit; & in numerum Studiosorum receptus fuit à Rectore illius temporis Magnifico, Viro Clarissimo, M. OTHONE, Mathematum superiorum Professore publico, anno M. D. VC.

Quanquam autem nihil ipsi contingere potuisset optatius, quàm si cœptum studiorum cursum ad finem perducere licuisset; Tamen cùm à patre nulla expectare posset studiorum subsidia; & aliæ causæ accederent, quæ idem suaderent; matrimonium cum ea, quam dicebamus, Hedvvige, Christophori Freivvaldii, civis honesti, vidua anno Christi M.D.IIC. contraxit. Et quia sic divina tulit voluntas, ut neq; ad munus aliquod Ecclesiasticũ aut Scholasticũ promoveretur; & conjugium experiretur infœcundum: Ne prorsus ociosam agere vitam, & talentum sibi concreditum defodisse videretur: Erudiendis domi suæ civium liberis operam impendit ab aliquot jam annis fidelem & utilem.

Ante geminam autem septimanam in publico Ecclesiæ congressu cœnæ Dominicæ viatico, tanquam prævidens finem suum, instrui voluit, & postea de propinquo vitæ exitu præsagia non contemnenda protulit, quæ eventus comprobavit. Diebus enim superiori-

superioribus morbo correptus apoplectico, in agnitione & invocatione JESU CHRISTI Servatoris, heri circa primam pomeridianam placidè expiravit.

Funus postea hora II. ducetur, in quo comitando, si frequentiores adfueritis, Cives Academici, rem facietis non tantùm defuncto, tanquam ordinis nostri membro, honorificam: sed etiam ad solatium viduæ mœstissimæ efficacissimam. Ut enim nunc sunt tempora, non exiguus hujusmodi fœminarum respectus videtur habendus, in quarum manu multorum salutem Deus posuit; Cui salutem & vestram & Academiæ totius, inter exequiarum pompam commendabitis. P. P. VI. die Julii Anno M. DC. XIII.

XV.

Exequiæ Ioachimi à Burgk Mulhusini.

HActenus immensa æterni DEI bonitas ac misericordia, contagij pestilentis periculum à studiosa juventute avertit clementissimè. Hesterno verò die, circa ipsum meridiem, illo morbi genere extinctus fuit.

Digitized by Google

fuit *Joachimus à Burgk Mulhusinus Thuringus*, annorum circiter XXV. juvenis, de cujus vitâ & exitu, quæ ex fide digna habemus, paucis exponenda duximus. Natus ille perhibetur viro docto & honorato *Joachimo*, cui pro cognomine Molitoris, quod familiæ fuit, more non admodum infrequenti, à patria cognomentum adhæsit, nato scilicet in oppido Burgk, quod non longè à Magdeburgo distat.

Is verò non tantùm eo in studio Juris progressus fecit, ut Notarii publici honorem adeptus cum laude fuerit, sed in Musicis etiam inter artifices numerari promeruit, & nominis celebritatem ejus artis operibus sibi comparavit: In ordinem quoque Senatorium in republica Mulhusina cooptatus.

Is ergò vir cùm filium hunc sibi cognominem à teneris annis artium liberalium studiis consecrasset, votis suis eventum præclarè vidit respondere. Postjacta quippe in scholis, quas vocant, trivialibus studiorum fundamenta, *Joachimus* ad Academias fuit missus, quarum plures per annos septem adiit, operamque dedit, ut paternis insistens vestigiis stationem aliquando divinitus sibi assignandam honestè & fructuosè tueri posset. Et sunt è Collegis nostris nonnulli, qui de-

de ipsiu, in studio potissimùm Juris, & doctrinæ Politicæ profectibus luculentum perhibent testimonium. Addunt etiam hoc, spem ipsi *Joachimo* non ita pridem fuisse factam à viro quodam in vicinià nobili, conditionis non contemnendæ, ad quam promoveri propediem potuisset, nisi rumor fortasse de grassante hîc sævius pestilentiâ intervenisset: quem tamen ut porrò etiam DEUS misericors falsum ostendat, ex animo precamur.

Cùm ergo moram opinione longiorem diutiùs ferè non posset, & aliæ quoque difficultates, ut ajunt, accederent; Superioribus diebus Desaviam excurrit, spe nescio quâ ductus consequendi functionem muneris alicujus, quâ se sustentaret interim, dum DEO propitiante, sedatâ, quam plurima nobis minitari videntur, tempestate, diserenaret.

Sed quod fieri solet, ut homines fata fugiendo, in media ferè fata ruant; id huic etiâ juveni usu venit. Dum enim re infectâ huc redire cogitat; ex piscium esu nauseam primùm quandam contraxisse; deinde in pago Klicken contagium pestiferum, quod alios etiam nostratibus contigisse ferunt, hausisse dicitur; quod adeò mox vires afflixit, ut nudius quartus curru necesse fuerit ipsum huc revehi. Hesternò verò die, cùm morbi vehementiâ perspiceret, ex Musco suo discedens, ad Chirurgi pestilentialis hospitiu se cõtulit,

in-

Digitized by Google

in quo post paucas horas vitam in his terris suam piè, ut speramus, finivit: Cùm quidem popularibus paullò antè de fenestra prospiciens, funeris sibi honestè faciendi curam sollicitè commendasset.

Ex illa ergo domo ad vallum, quod plerosque nosse arbitramur, sitâ, postea horâ XII. efferetur in cœmeterium suburbanum, & ritu ceremoniarum solennium cohonestabitur: In quibus præsentiâ suâ exornandis si qui popularibus sese adjungere voluerint; Id rem facient ab officio nostri officio minimè alienam. Simul tamen cogitabunt, si in vero numinis æterni timore circumspectionem tali tempore & loco quandam adhibeant, ne hoc quidem à pietate Christi anâ esse alienum. Non enim eadem est in omnibus animi firmitas; & hoc in primis malum, ejusmodi est, ut nimium securis ac temerariis non minùs quàm metuculosis imminere videatur. Deus æternus, qui fatum & omnes vias unicujusque nostrûm in manu sua habet, tum de nobis universis ac singulis mandet Angelis suis, ut in viis nostris nos custodiant, & ab exitiali peste defendant; Tum eam singulis det mentem, ut ita vitam instituamus, ne pœnis nostris alii lætentur.

P. P. Idibus Quintilibus, anno Christiano M. DC. XIII.

Ad

XVI.

Ad Studiosam juventutem.

QVogratius nobis, pro rerum præsentium statu, nudius quartus accidit officium funeri commilitonis à studiosa juventute cumulatè præstitum: Hoc majori contrà dolori fuit, necessitatem nobis & tum allatam fuisse addendi clausulam programmati neque aliis, neque nobis jucundam; & nunc afferri, ea publicè commemorandi, quæ neque ordini nostro honorifica, & ab hoc potissimùm tempore sunt alienissima. Sed ut alias molestias neque paucas neque leves in muneris nostri functione exhaurire & devorare cogimur: Ita hac etiam in parte faciendum, quod citra detrimentum disciplinæ Scholasticæ, & conscientiæ labem prætermitti nullo modo potest.

Experti sumus hactenus defensionis divinæ efficaciam tam evidentem & mirificam, ut eam æstimare, nedum prædicare pro dignitate vix possimus. Etsi autem in posterum quoque spem salutis omnem in eâdem ponimus: Tamen quoties ea, quæ oculis inerrant, quæque aures nostras circumsonant, intuemur; Non parum illam interdum minui atque infringi necesse est.

Digitized by Google

Non enim de nihilo nata; sed multorum experientia comprobata novimus illa Sapientum oracula: *Improbus unus multum boni perdit:*

Πολλάκι ἓ ξύμπασα πόλις κακῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
Ὅς τις ἀλιτραίνει κὴ ἀτάσθαλα μηχανάαται.

Sæpe & universa urbs ob malum molestatur virum, qui peccat & injusta machinatur, inquit Hesiod. Atq; consideratu profectò dignissimum est, quòd antiquissimus hic Gentilium Propheta, inter mala αἰθαίρετα, secundùm Menandrũ, magis quàm αὐτόματα, quibus ejusmodi improbi cives causam præbere solent, nominatim PESTEM recenset. Quid enim proclivius, quàm contagii seminium unius culpâ aliunde illatum, inter contubernales & convictores, ut de nostri ordinis hominibus loquamur, spargi & longè mox lateque serpendo propagari? Quid Deo irato facilius, quàm ubi jam domus aliquot veneno pestifero infectæ sunt, legum contemptoribus obstinatis *terrores nocturnos, volantes interdiu sagittas, pestem in caligine pervadentem, luem meridie grassantem immittere*; ut tum ipsi *non suo tempore*, juxta comminationem divinam, *moriantur*, tum eâdem secum calamitate quàm plurimos involvant.

Quæ

Quæ cùm ita sint; adeò tamen indurati sunt nonnulli, ut *quia non celeriter eduntur in malefícos exempla*, cumulandis petulanter & pertinaciter peccatis nullo pudore sint. Quod genus homines etsi obsurduisse ad omnes commonefactiones, oculisque excæcatis in exitium præsentissimum ruere, & perire ipsi, quàm non perdere alios præoptare; ideoque suo Judici relinquendi esse videantur: Tamen monitos denuò, & si fas est, rogatos animo prorsus paterno orantesque volumus, ut tandem aliquando velut è veterno, quo occupati hactenus fuerunt, peccatorum excitari sese ultionis divinæ fulgure contritique patiantur.

Pessimo res eorum loco sunt, de quorum desperatâ pravitate *Angeli pacis amarè flere ac lamentari coguntur: Nisi pœnitentiæ medicina quæratur, dum justitiæ adhuc sententia suspenditur; futurum omninò est, ut quibus prodesse non potuit correctio, non parcat abscisio.*

Omninò tum errones noctivagos, qui omnis sexus, ætatis, ordinis homines vociferatu atq; ululatu diabolico magis quã Cyclopico, abjectâ omni verecundia, & fidei juratæ religione proculcatâ, inquietare dies noctesque non verentur. tum grassatores turbulen-

tos, qui offensi ab aliis legitima vindictæ, quæ nemini desunt, remedia negligunt, & in factiones divisi hostiliter alii alios persequi, & inter se digladiari audent: Eos ergo scire volumus, nos in deprehensos severitate animadversionis justæ usuros: Si qui verò nos effugient; Iis cogitandum relinquimus, quod interpres Apostoli scribit: *Si contumaces vos præstiteritis; Ii, qui pro animabus vestris excubant, ingemiscendo adversus contumaciam vestram ad Deum proclamabunt, quod saluti vestræ neutiquam conduxerit. Quanquam enim præter gemitum nulla vindicta illis relicta videatur: ille ipse tamen gemitus pertinaci inobedientiæ majorem supplicii pyram succendit, DEO longè acerbiora supplicia illaturo judicandos tradens.*

Bonos verò, quos numero plurimos esse ipsis gratulamur, nobis gaudemus, porrò etiam officium suum facturos, nosque ita oneris suscepti parte levaturos, & effecturos confidimus, ut ad sustinendum illud facili ipsorum obsequio alacriores hilariores que reddamur. Etenim ne qua in re commodis eorundem deesse videremur; ex tenore mandatorum Principalium, præsentem Academiæ statum Serenissimo Principi Electori &c. Domino nostro clementissimo, superioribus diebus per literas significavimus, & respon-

Digitized by Google

sponsum à serenissima Celsitate ipsius clementissimum in horas expectamus. Quod ipsum scire Cives Academicos voluimus, ut non tantùm in periculi, quod nobis imminere videretur, magnitudinem oculos defigant; Sed quod hactenus fecerunt, auxilio freti & præsidio misericordis & omnipotentis DEI, intrà officii sese limites contineant, & de serenissimi Electoris providentiâ paternâ, nostraque vigilantiâ & diligentiâ optima quæque sibi polliceantur. P. P. die XIIX. Julij, Anno M. DC. XIII.

XVII.

Exequiæ Laurentii Crusii Michelfeldensis Palatini, & Johannis Furmanni VVittebergensis.

VIve pius, moriere pius, præclarè monet Angelus Politianus, veluti digitum intendens in hoc Augustini: *Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit.* Quæ ipsa sententia non in cerebro nata est Patris sanctissimi; Sed ex veriloquio originem tra-

xit ejus, qui & Veritas ipsa est; & fons omnis veritatis. Hic enim sanctè jurat, quicunque sermonem suum servaverit, eum mortem non visurum aut gustaturum in æternum: Unicum scilicet adversus æternam mortem remedium, unicam ad immortalitatem viam esse ostendens Evangelij doctrinam fide verâ ac viva apprehensam.

Fidei autem ingenium hoc est, ut sicut ex fructibus de arbore; sic de illa ex actionibus judicandum sit. Quemadmodum ergo fidei simulacrum potiùs, quàm fidem ipsam in iis esse necesse est, qui fidei effecta non demonstrant: Ita ex adverso veram fidem in illis esse pronunciare cogimur, qui opera edunt fidei, quâ solâ justificamur, propria.

Quamobrem non est quod in spectacula illa, quæ justo & arcano Dei judicio nonnunquam in hominibus etiam sanctissimis proponuntur, oculos animosque defigamus; ut ex illis de fide & salute illorum sententiam feramus: Sed iis ipsis ad seriam nos revocari resipiscentiam statuamus: ut quando in homines inculpatos exempla edi conspicimus tristia; qualia in illos edi conveniat cogitemus, qui pravis undique cupiditatibus corrupti, non potuerunt ad ullam bonam frugem reduci.

Hæc

Hæc præfari pluribus volumus, quando ad exequias cives Academici invitandi erant juvenis pii & honesti, *Laurentii Crusii Michelfeldensis Palatini*. De hoc enim cùm diligenter inquisivissemus; magno omnium, quibus notus fuit, consensu laudem illi tribui cognovimus hominis verè pii. Quamobrem etsi vitæ finem habuisse videatur tristiorem: Tamen dubitare nec possumus, nec debemus, quin eorum in numero sit, quos in æternum mortem non visuros Veritas ipsa pronunciat.

Itaque visum fuit vitæ curriculum non tantùm moris; sed exempli quoque grat à paucis exponere. Ac de parentibus quidem ipsius quod dicamus, certi nihil ferè habemus, cùm peregrè absit tabellarius, cui illi familiariter noti sunt. Hoc tamen nobis indicatur, ante dies quasi octo patrem Laurentii, literis accuratè scriptis hortatum fuisse filium, de cujus morte, non absque præsagio sinistro, nuncium acceperat, ut maturâ migratione periculo se subduceret; quod cur neglexerit, nostrum non est anxiè quærere.

Prima bonarum artium fundamenta posuisse dicitur in vicinâ Patriæ suæ schola Auerbachensi. Deinde in gymnasio Ratisbonensi, cujus alumnus ipsum sexennium fuit, eos progressus fecit, ut Magister ipsius

Ægy-

Ægydius Wechselbergius dignum judicarit, quem ad scholæ Rectoratum vocatus Spiram Austriæ secum traduceret. Ibi cùm biennium laudabiliter vixisset; patronum nactus est patruum suum, virum nobilem & strenuum, *Dn Michaelem Cruſium*, qui ibidem domicilium suum habet, Serenissimi Archiducis Græcensis Consiliarius militaris. Ex hujus liberalitate sumptus studiorum eos consecutus est, ut sesquiannum jam nobiscum inde honestè vixerit. Cumque jurisprudentiæ studio se totum tradidisset: Ejus disciplinæ Doctores publicos & privatos diligenter & magno cum fructu audivit.

Modestiâ verò singulari morumque elegantiâ omnium, quibuscum vixit, & in primis hospitis sui, Dn. Samuelis Selfisch, granarii Electoralis præfecti, favorem promeruit eximium. Cum hujus etiam filio Samuele, magnæ spei adolescentulo conjunctissimè vixit. Ac nisi casus infelicissimus intervenisset; spes magna erat, conjunctionem illam commoditates utrique non vulgares allaturam.

Sed ea spes quantopere omnes fefellerit, non possumus sine acerbissimo animi dolore cogitare. Correpti enim contagio pestifero simul fuêre superioribus diebus & ipse Laurentius, & hospitis filius, & *Johannes Furmannus*

Digitized by Google

Bermannus VVittebergensis, cujus operâ Samuel ad ministeria necessaria utebatur. Atque ex iis Laurentius quidem nocte, quæ hesternum diem antecessit; Johannes verò heri circa ipsum meridiem fuit extinctus: uterque annum ætatis agens XXV.

De tertio quid futurum sit, Deus novit, quam ardenter oramus, ut casu hoc funesto afflictos & perculsos Spiritu Sancto confirmet ac roboret; & in irâ justissimæ misericordiæ suæ recordatus pœnas peccatis debitas à nobis universis & singulis clementissimè avertat. Utrumque verò funus posteà ex ædibus Samuelis Selfischii filii, in foro vicinis horâ I. in cœmeterium suburbanum deportabitur.

In hac ergo pompa qui postremum pietatis & humanitatis officium commilitonibus optimis præstare volent; adjungentes se eis, qui hanc ipsam ob causam in ædibus Christophori VVust, Bibliopolæ & Senatoris, in foro sitis convenient; Illi rem facient DEO gratam, & Christianis ac literatis hominibus dignam. Simul verò in exemplar hæc intuentes, non solùm de fragilitate vitæ humanæ, quòd *tum potissimùm nulli sumus, cùm maximè nos florere arbitramur*: Sed de die quoque judicii, & malorum pœna, justorumque præmiis, quæ sine ulla dubitatione ventura

sunt, secum cogitabunt. Omninò *unusquisq; nostrûm dum licet, & cum DEI adjutorio in potestate nostra consistit, & peccata vitare, & quod bonum est exercere contendat, ut cùm dies ille terribilis ac metuendus advenerit, non cum impiis & peccatoribus perenni cremetur incendio; Sed cum justis & DEVM timentibus ad æternum perveniat præmium.* P. P. die Mariæ Magdalenæ anno M. DC. XIII.

XIIX.

Exequiæ JACOBI CRAZII *Quernfurtensis* ET *Martini Hennichii Coslino-Pomerani.*

UTINAM perpetuò circumferrent in animis suis homines severissimum CHRISTI Servatoris mandatum, & quando ille vigilare nos jubet, quandoquidem nescimus, quâ horâ Dominus venturus sit; Non de seculi hujus; sed de uniuscujusq; nostrum die novissimo Dominum loqui certò sibi persuaderent! Futurum omninò esset, ut sanctiùs vivendo ita se pararent singuli, ne imparati à novissimo die suo deprehenderentur.

Digitized by Google

rentur. Nemo quidem omnium est, qui non noverit, cùm cætera nostra & bona & mala incerta sint; solam mortem certam esse. Sicut enim medici cùm inspectam ægroti valetudinem mortiferam esse cognoverunt, hominem inde non evasurum pronunciant; Ita ex quo nascitur homo, mox dicendum est: Non evadit. Simul atque enim natus est, jam ægrotare cœpit.

Verùm quia morientium ingens discrimen est, aliis finitâ hîc ægritudine ad pejorem migrantibus; aliis ad sanitatem immortalem pervenientibus: Utrum horum quisq; eligat, permagni omnium interest. Qualis enim quisq; hinc exit suo; talis invenietur in seculi novissimo die. Sanè si de mortis suæ die certus aliquis esset; illo solo fortè operam daret, ut Deo placeret. Jam verò cùm illum omnes Deus ignorare voluit: Monenti obtemperare nos par est, ut semper ad virtutum opera sobrii simus, & dum vivimus, vigilemus, & quod in futuro teneamus, eligamus. *Quod* enim *hîc eligimus, postea habebimus; quod hîc seminavimus, ibi metemus.*

His & similibus cogitationibus occupatos sæpè fuisse duos adolescentes studiosos, quorum exequias ut publicè significaremus, rogati sumus, ex vita utriusq; inter nos actâ colligere haud difficulter possumus. Eorum alter est

Jacobus

Jacobus Crazius Quernfurtenſis Thuringus; alter *Martinus Hennichius Coslino Pomeranus*: de quibus iſta ex hominibus fide dignis accepimus.

Jacobi parentes ſunt *Jacobus Crazius* vir honeſtus & in rep. Quernfurtenſi, cujus Senator eſt primarius, civis honoratus & ſplendidus. Mater verò *Maria*, honoratorum & ipſa parentum progenies; Vitæ ambo integerrimæ & famæ inculpatæ.

Ab his parentibus ſanctè educatus, & in ſcholâ patriâ diligenter primis artium initiis imbutus atque inſtructus *Jacobus*, cùm ante ſesquiannum, & quod excurrit, in Academiam noſtram venisſet: Eam adhibuit in ſtudiis Philoſophicis & in primis Theologicis diligentiam, ut ſpem de ſe excitatam mirificè in omnium animis confirmaret. Vitam verò egit planè ſobriam & quietam, nullisque omnino, quod rarum in hac ætate, querelis obnoxiam. Et quoniam videbat, quàm periculoſa nunc eſſent tempora; ad diei in hac vita novisſimi adventum uſu quoque Cœnæ Dominicæ ſeſe maturè præparavit, cujus poſtremùm particeps factus die menſis Junii XX.

Eadem fermè de *Martino* affirmantur, cujus parentes in re quidem tenuiore; ſed tamen honeſti hodieque Coslini viyunt, & pa-

ter-

ter fabri ferrarii opificium exercet. Ab his etiam parentibus MARTINUS DEO ac Musis consecratus, jactis in scholâ patriâ & inillustri Stetinensium Gymnasio per annos quasi quatuor, fundamentis optimarum artium, cùm ante annum & trimestre ad nos sese contulisset; Omnia adolescentis Studiosi officia cumulatè præstitit, & expectationem præceptorum & Mæcenatum, quam singularem de se concitârat, superare modis omnibus contendit. Et ipse enim prælectionibus quâ Philosophicis, quâ Theologicis auditorem sese præbuit assiduum & industrium.

In primis verò Poëtices studium, ad quod naturâ factus videbatur, cum magna laude sua excoluit. Et quoniam bonam temporis partem corrigendis iis, quæ in Officina typographicâ eduntur, ob egestatem impendere fuit coactus; lucubrationibus matutinis ac vespertinis jacturam eam compensare studuit; cujus vigilantiæ testes habet ex ordine etiam nostro fidè dignos. Vitæ verò integritatem ac honestatem vel inde possumus æstimare, quòd vir honoratus, *Matthæus Selfisch* Senator, suos ei liberos erudiendos credidit, & pædagogi tam fidelis jacturam aegerrimè fert.

In

In hujus ædibus uterque eodem usi contubernio, cœperunt ægrotare. Ac *Jacobus Martinum* tantùm non præceptorem agnoscens, die mensis hujus XVII. & XIX. cùm paroxysmos, ut ajunt, malignæ febris aliquot sensisset, medicamentis usus spem recuperandæ sanitatis non exiguam concepit, quam etiam die Lunæ proximo circa vesperam inastantium, quos colloquiis piis & jucundis exhilarasse perhibetur, animis non parum confirmavit. Sed qualis ea spes fuerit, eventus docuit. Eodem enim morbi genere & *Martinus* eodem die correptus fuit, & uterq; ex ædibus *Selfischii* nudius tertius horis matutinis in Nosocomium Academiæ extra oppidum delati, morbique vehementiâ superati, nocte post eum diem mediâ inter serias & ardentes preces CHRISTO Servatori animulas suas reddiderunt, cùm prior ille annum complesset ætatis XIIX. hic verò posterior XXI.

His ergò commilitonibus, in tam exiguâ ætate laudem non exiguam adeptis, qui extremum pietatis & humanitatis officium, interræ omnium matris sinum ritu Christiano inferendis præstare ex civibus Academicis volunt; Ii posteâ hora II. pomeridiana in areâ Collegii Augusti conveniant, & spectaculo hoc tristi admoneri sese statuant, ut

&

Digitized by Google

& ipsi vigilent, & horæ, quâ moriendum cuique est, incertitudinem pro incentivo habeant vitæ piæ ac sobriæ. P. P. die XXII. mensis Julii, anno Christiano M. DC. XIII.

XIX.

Exequiæ Davidis Richteri Chemnicensis.

HEsterno die, circa eas ipsas horas, quibus occupati honestandis Studiosorum exequiis fuimus, vitam in his terris suam finiit magnæ spei & expectationis juvenis DAVID RICHTER Chemnicensis. Cujus vitæ curriculum postquam ex iis, quibus meritò fidem habemus, cognovimus; dignum judicavimus, quòd paullò verbosiùs exponeremus. Igitur ad natales illius quod attinet, anno Christi M. D. XXCIX. mense Aprili eum natum accepimus Chemnicii, patre honorato CHRISTOPHORO RICHTER, ordinis Senatorii viro, qui in autumno anni superioris lue pestilenti & ipse fuit extinctus. Mater Maria, matrona honestissima, & ex familia item honorata orta, adhuc superstes est.

Ab his ergo parentib. honestè pieq; educatus, post cognita domi linguarum & artium

Digitized by Google

optimarum

optimarum initia, missus fuit in illustrem scholam Portensem. In ea cùm integrum sexennium vixerit, talem se gessit, ut tertiam ejus temporis partem totius illius cœtus scholastici antesignanus fuerit: unde quos ibi profectus fecerit, æstimare quilibet haud difficulter potest.

Testimonia sanè præceptorum luculentissima in medio sunt: & ex collegis etiam nostris ii, quibus scholarum provincialium inspectio demandari solet, idem attestantur. Linguæ Græcæ, ut unum atque alterum breviter attingamus, cognitionem tantam assecutus est, ut quamcunque posceres Dialectum, in ea carmen ex tempore funderet. Non multo minorem Hebrææ quoque linguæ peritiam habuit. Reliquarum verò artium, quæ in scholis illis tractantur, ea jecit fundamenta, ut ad nostram ante biennium accedens Academiam, reliqua superstruere magna cum utilitate, nec minore voluptate potuerit. A Rectore quidem Scholæ illius hoc ornatus fertur elogio, quòd inter disciplinæ sæ alumnos nullum hoc adolescente habuerit eruditiorem aut modestiorem.

Quòd si ad pauculos illi menses vitam prorogare, & Halcyonia huic Academiæ concedere æterno Deo visum fuisset: Non dubitatur, quin inter Philosophiæ Candidatos & nomen-

Digitized by Google

nomen suum professurus, & locum promeriturus foeric optatum. Totum enim tempus, quod hîc egit, studiis Philosophicis; sed tamen impendit, ut Theologiam, quam studiorum sibi scopum proposuerat, minimè neglexerit, quod testantur conciones etiam publicæ, non solùm diligenter auscultatæ; sed etiam literis mandatæ. Nominatim verò Mathematicas disciplinas, quæ à multis hodie negliguntur, ita excoluit, ut paucos haberet pares, & in primis ad Musicen quod attinet practicam, cum artificibus certaret. Accessit morum gravitas & suavitas singularis, quâ omnium, quibus cum vivendum fuit, benevolentiam sibi conciliavit eximiam.

Quæ cùm ita sint, acerbam fore credimus hujus juvenis jacturam tum Senatui Chemnicensi amplissimo, tum viris spectatissimis, qui Næviæ familiæ stipendia administrant. Horum enim ille sumptibus hîc vixit, & spem habuit certam, de consequendo propediem etiam Electorali beneficio. Sed hæc omnia mortis inopinatæ violentia interturbavit. Die quippe Lunæ proximo cùm ægrotare manè cœpisset, & die sequente vespertinis horis è Collegii Augusti Museo in Nosocomium Academiæ suburbanum deductus fuisset: non integrum in eo biduum consumpsit. Heri enim hora, ut dicebamus,

Digitized by Google

quasi prima animulam suam CHRISTO Servatori reddidit: Cujus corpus & sanguinem ante hebdomades quatuor in sacrosanctâ Synaxi publicè accepit, ne temporibus his periculosis viatico ad migrationem incertam necesario destitueretur.

Funus postea horâ IV. è Nosocomio in cœmeterium efferetur: Cui cohonestando qui extremum pietatis & humanitatis officium præstare volunt, horâ dicta in aream Collegii Augusti conveniant, & precibus piis suam simul & Academiæ salutem Deo misericordi & omnipotenti commendent. P.P.die XXIII. Julii, anno Christiano M. DC. XIII.

XX.

Exequiæ Samuelis Selfischii filii, & nepotis avo patrio cognominis.

EVagoram Salaminis Cypriæ Regem laudans Orator & Philosophus antiquissimus, & suâ ætate per Europâ. Asiamq; celeberrimus, tum aliis rebus ad eam felicitatem, ut tanquam Deus quidam inter homines haberetur, evectum fuisse ait, tum his duobus in primis, quòd & senectus illi grandi cõtigisset,

Digitized by Google

ligisset, eaq; à morbis, qui hanc ætatem comfitari solent, libera atque immunis; & liberos multos simul ac felices, quod rarissimum & adeptu difficillimum habetur, suscepisset, eosque omnes illustribus insertos familiis reliquisset.

Ab hoc felicitatis humanæ fastigio quod propius abfuisse hactenus visus fuit Vir prudentissimus, *Dn. Samuel Selffisch*, hujus Civitatis Consul & Bibliopola, totâ ferè Europâ à tot jam annis celeberrimus; Eò magis dolemus eam sine inopinato calamitatis gravissimæ prosperitatem illi inconcussam & obnubilari. Namque vegetam eam & senectam, quam ut porrò etiam Deus ævi metis secundùm vota promotis, sustenter ac roboret, ex animo precamur: Liberos, quos utriusq; sexus ex benedictione divina plures suscepit, hactenus florentissimos, & familiis nō hujus duntaxat, sed aliarum etiam in his regionibus, urbium honoratis affinitate conjunctos vidit; à numerosa veluti cohorte Pater, Avus & Proavus salutatus. Nudius verò tertius intra semihorulæ spacium & Filiū & Nepotem sibi cognomines amisit, & eo quidem morbi genere extinctos, qui & congressum ac colloquia cū carissimis ultima prorsus excluſit; & nunc quoq; Nurum desertissimam, in tam afflicto & luctuoso rerum domesticarum statu consolari & sublevare prohibet.

Digitized by Google

Hujus verò doloris acerbitas quanta sit, in sexu quidem muliebri Poëtæ exprimere voluerunt, quando Nioben uno die pestilentiæ sævitiâ liberis omnibus orbatam, in lapidem; Hecubam verò post omnium liberorum cædes & internecionem, in canem conversam fuisse fabulantur. Sacratum verò literarum veritas quales in hoc calamitatis genere viros, & quidem sanctissimos nobis proponit? Nempè *Jacobus* filii unicè cari *Josephi* morte temere credità, discissis vestimentis, & succinctis centone lateribus ita luget, ut consolationem omnem respuat. At verò *David* in filioli morbo desperato humi stratus nocte cubat, & cibo prorsus abstinet. Absolonis autem nece auditâ, quomodo se afflictat? cùm amorem ardentissimum ne summâ quidem iujuria potuisset extinguere.

Verùm enimverò, ut dolorem tum Senis optimi, tum Viduæ mœstissimæ & incredibilem & justissimum esse, facilè agnoscimus. Ipsa quippe Pietas, ut homines in nostrorum obitu simus, permittit, immò præcipit; & qui affectus ex homine tollit, ipsum hominem tollit: Sic à Niobes stupore & Hecubæ adversus Deum fremitu longè eosdem alienissimos esse: Jacobi verò & Davidis luctum Jobi patientiâ temperandum ac mitigandum esse, minimè illos ignorare scimus: Cujus argumen-

Digitized by Google

argumenti tractatio plenior ad concionem rejcitur funebrem, quæ postea horâ I. sepulturæ præmittetur.

Ut autem & morem Academiæ laudatum servemus, & honori piè defunctorum aliquid pro virili tribuamus; de vitæ utriusq; nonnulla maximè insignia delibabimus. Ac de parentibus quidem nihil attinet nos plura dicere, cùm defunctorum pater & avus, Senex honorandus non præsentibus tantùm, sed plerisque, qui ab annis jam LX. studiorum gratiâ hic vixerunt, in tota passim Germania fuerit & sit notissimus. Nisi hoc fortasse addendùm fuerit, quòd filium ille *Samuelem* ex prima uxore *Maria*, omni matronalium virtutum laude cumulatâ fœminâ suscepit; Cujus frater alter *Conradus Rubelius*, itidem hujus Civitatis Consul & Bibliopola celebris, memoriam sui honoratam reliquit; alter *Andreas Rubelius*, senex veneradus, etiamnum Prætoris officio fungitur. Illis ergo parentibus *Samuel Selfisch* Filius natus fuit anno M. D. LXIII. die mensis Aprilis XII. qui secundus fuit in feriis Paschalibus, intra III. & IV. horam matutinam.

Simul atque verò per ætatulam teneram id fieri potuit, pietatis & doctrinæ elegantioris initiis diligenter & accuratè fuit imbutus. Postquam verò in studiis progressus fecerat

laudabiles; disciplinæ privatæ commendatus fuit viri clarissimi & præstantissimi, *M. Nicolai Thodeni*, qui inter Professores hujus Academiæ publicos tum excelluit. At quoniam adolescentis animus cupiditate flagrabat exteras nationes perlustrandi, & pater voluntati illius honestæ deesse nolebat; Hamburgi aliquantispe commoratus, in Hispaniam transiit, & in ipsam urbem regiam Madritum, DEO prævio, delatus, in familiam mox fuit receptus viri nobilissimi ex familia Osdenja, quo tum Præceptore utebatur serenissimus Archidux Austriæ, ALBERTUS, Belgarum, hodie Dynasta. In ea cùm triennium versatus fuisset; in Galliam profectus, & patronum Tholosæ nactus commodum ac benevolium, rem illius familiarem fidei suæ creditam per aliquot annos curavit.

Tandem cùm integrum ferè novennium inter exteros ita vixisset, ut eorum linguas probè calleret, & integritatis ac probitatis laudem, cum honesto sui desiderio relinqueret; neque ullis interim sumptuum paternorum subsidiis indigeret: Ad suos reversus matrimonium contraxit, & nuptias anno M. D. XC. Novembris die XXIV. Dresdæ celebravit, cum HELENA, filia viri spectati, Henrici Gottingen, pictoris insignis, cujus operâ laudatissimi

Electores

Digitized by Google

Electores & Duces Saxoniæ, *Augustus*, *Christianus I. Fridericus Wilhelmus*, & *Christianus II.* plurimum fuerunt usi.

In conjugio concordiæ & dignitatis pleno profecto liberorum, trium scilicet filiorum, V. filiarum ortu exhilaratus subinde: Ita crebris eorundem funeribus non parum fuit contristatus. Cæteris enim jam olim defunctis, unus tantùm remansit filius, quem nunc lugemus, *Samuel*, & filia unica *Maria*.

Qualis in universa vita, quâ domi, quâ foris; qualis in functione muneris sui, quod Granariis Electoralibus præfectus per annos XXI. magna cum laude gesserit; qualis denique in cultu & veneratione æterni DEI fuerit: non est hujus loci, ut pluribus exponatur. Ut uno verbo dicamus; & Principibus minister probatus; & paterfamilias frugi ac diligens; & literatorum fautor fuit benevolus.

His parentibus anno CHRISTI M. D. XCII. mensis Augusti die XXIX. natus *Samuel Selfisch* Nepos, eam de se spem & expectationem inde à teneris unguiculis concitavit; ut non tantùm familiæ laudatissimæ; sed totius Civitatis decus singulare futurum, quibus notus fuit, augurarentur universi.

Digitized by Google

Nam cum pietate, cujus initia cum lacte materno imbiberat, amorem conjunxit artium optimarum incredibilem. Cumque ingenio esset præditus felici & capaci; Tum linguarum præcipuarum, tum Philosophiæ cognitionem, antè quàm ephebis exiret, haud vulgarem sibi comparavit. In Musicâ item theoreticâ & practicâ, vocali & instrumentali pares habuit paucos.

Deindè verò cùm ad Jurisprudentiæ studium adjecisset animum; tam feliciter in eo progressus fuit, ut in disputationum exercitiis publicis æquè ut privatis promptâ ingenii solertiâ, judiciique in ista ætate maturitate, approbationem omnium & admirationem mereretur. Eâ fuit morum facilitate & suavitate, ut Præceptorum & commilitonum benevolentiam sibi eximiam conciliârit. Tantâ erga parentes observantiâ, ut verè usurpare illius verba posset, qui se nunquam cum matre in gratiam rediisse gloriabatur: Cui rei argumento est, quòd in periculo contagii divelli à parentibus carissimis noluit.

Oppressus verò morbo lethali, magis valetudine Patris adversâ, & matris pientissimæ angore ac mœsticiâ, quàm proprio cruciatu doluit: Cui tamen finem Deus misericors imposuit lenem & placidum. Cùm enim Cœnæ Dominicæ viatico sese unâ cum Patre

ad

ad migrationem beatam, mente sanâ & sensibus integris, instruxisset: Paullò pòst inter precespias atque ardentes animulam & ipse suam CHRISTO Servatori, Patrem prægressum dimidiæ circiter horæ spacio subsecutus, reddidit nudius tertius, ut dicebamus, post horam II. pomeridianam.

Utriusque exuviæ, quæ templum fuerunt Spiritus Sancti, spectaculo raro & luctuoso, post habitam concionem funebrem, exædibus foro vicinis simul efferentur, deportandæ extra opidum in Cœmeterium *Novum*: In quibus comitatu frequentiore cohonestandis etsi non dubitamus, quin Cives Academici suam promptitudinem, & erga hanc familiam, ac nominatim erga defunctos affectionem, quod hactenus fecerunt, sponte sint declaraturi: Tamen eos scire volumus, rem istam non tantùm defunctis honorificam, & ad levandum aliquâ ex parte mœrentium dolorem accommodatam: Sed plerisque etiam ex ordine nostro, qui familiam hanc cognatione, affinitate summaque necessitudine attingunt, gratam acceptamque futuram.

DEUS æternus & misericors malis, quorum curationem cura humana non invenit, potentiâ supernâ medeatur, & propter nominis sui gloriam aliquas Academiæ afflictissimæ

tissimæ reliquias conservet! P. P. die Jacobi, Anno M. DC. XIII.

XXI.

Exequiæ Elisabethæ Tilemannæ.

ANni jam sunt ipsi quindecim, quando Ecclesia nostra amisit Archidiaconum fidelissimum, Reverendum virum, & optimarum artium Magistrum, ac Collegii Philosophici Adjunctum, BARTHOLOMÆUM TILEMANNUM. Is vir non tantùm in Ministerii sacri functione, quam per annos duodetriginta fideliter administravit, suæ ætatis hominibus prodesse pro virili studuit: Verùm eam quoque, DEO fortunante, reliquit sobolem, quæ parentis optimi vestigia insistens, ne DEO cultores deessent, hactenus præstitit.

Ex filiis enim, quos tres superstites reliquit, natu major FRIDERICUS TILEMANNUS, J. U. D. Historiarum Professionem publicam (ut hoc tantùm dicamus) tantâ cum sua laude, tanto studiosæ juventutis cum fructu & emolumento sustinuit, ut nunc etiam, tanto intervallo, præmaturâ morte,

Academiæ

Academiæ præcepti desiderium in multorum animis vivat & vigeat.

Secundus HENRICUS, post diutinas & longinquas in Italia, Gallia, & aliis regnis peregrinationes, quas cum aliquot Generosorum Comitum filiis, feliciter peregit, hodie Practicum, ut vocant, agens, in Republ. Berlinensi floret. Natu verò minimus, M. TOBIAS TILEMANNUS, Mathematum Professor Publicus, fidem, industriam diligentiamq; suam hactenus cum Collegis, tum Auditoribus probat, idque ut porrò etiam, DEO propitiante, facere quàm diutissimè possit; ex animo precamur atque optamus.

Idem de alterius etiam sexus prole geminâ affirmare verissimè possumus. Filiarum enim natu minor ANNA, Ecclesiæ ministro, viro reverendo & erudito, ab aliquot jam annis nupta, matronæ piæ & honestæ officio præclarè fungitur. Major verò natu ELISABETHA, qualem se hactenus gesserit, etsi notius est, quàm ut verbosiùs exponi à nobis hoc loco & tempore debeat: Tamen cùm sic divina tulerit voluntas; extremum exequiis Virginis meritissimæ honorem habituri, quædam de vita inter nos acta breviter attingemus. *Justicia* quippe *est, laudare merentes.* Igitur ea cùm Patrem amitteret, totidem fermè annorum puella erat, quot annos ab illius obitu effluxisse diximus. Unde facilè

facilè apparet, quoscunque ab eo tempore virtutum hujus sexus propriarum, immò verò captum illius ferè superantium, fructus ELISABETHA nostra protulit: Eos tum ingenii, quo præcelluit, bonitati judiciique dexteritati & acrimoniæ, tum educationi sanctitati ac severitati deberi. Etenim quò frequentiora sunt eorum exempla, qui parentum optimorum; maximè verò Ecclesiæ Christianæ ministerio addictorum, existimationem autoritatemque devenustant & dedecorant: Eò justius æquiusque est, frementibus conjugii sacerdotalis hostibus, nos lætari, quando Numinis divini promissiones in ministrorum quoque Ecclesiæ posteritate eventu cernimus comprobari.

Educationis, ut dicebamus, sanctæ ac severæ fructus non exiguus hic fuit, quòd non solùm in audiendis quotidiè reverenter & attentè concionibus verbi divini publicis, & conjungendis cum Ecclesiæ cœtu precibus piis & ardentibus fuit assidua: Sed etiam in lectione Bibliorum ita exercitata, ut haud sciamus, an quæ paria cum ipsa faciat, habeamus neminem. Aliquoties enim omnes utriusque instrumenti libros perlegit, & tum sententias ad fidem vitamque Christianam informandam maximè idoneas & efficaces memoriæ mandavit: Tum actionibus honestis &

ſis & laudatis easdem exprimere & repræſentare ſtuduit.

Inprimis verò Patre in teneriore ætate orbata, affectûs, quam illi debuiſſet, partem ad matrem transtulit. Quæ quidem res fecit, ut cùm oblatæ ipſi non ſemel fuerint matrimonii honorati conditiones luculentæ: tamen eas caritati erga matrem, viduam jam mœſtiſſimam, tenerrimæ poſthabuerit.

Immò cùm mercedem liberis ubertrimam promitti ſciret, qui parentes ſenio debiliores, modis omnibus fovere ac ſubleyare ſtudent: Quicquid manuum ſuarum labore parare potuit, officiosè & liberaliter cum matre communicare geſtiit. Fuit autem labor ille, minimè ſervilis & ſordidus, ſed ex eo genere, quo præcelluiſſe tum in gente Iſraelitica fœminas primates, quæ ad Tabernaculi ornatum neceſſaria ſuppeditarunt, Moſes teſtatur; tum Heroum ſuorum conjuges & filias Poëtæ gloriosum & memoratu honorificum duxerunt. Acceſſit ad hæc ſingularis propenſio & promptitudo mirifica, ad inſerviendum pro re natâ, & gratificandum omnibus, quorum prodeſſe commodis ullâ ratione poſſet.

Harum ergo & id genus virtutum plurimarum cùm præmium à Deo jam accepturæ crederetur, deſponſata de matris & neceſſario-

cessariorum consilio, ante geminam hebdomadâ, Senatorii in hoc opido ordinis viro non infimo. Ecce melius & plenius Deus, bonorum omnium remunerator benignissimus, obtulit.

Nam cùm totâ fermè vitâ valetudine usa fuisset commodâ, & morborum expertè graviorum; quod ipsum non postremum felicitatis humanæ locum obtinet: Die ab hinc septimo horis matutinis doloribus, quibus cor infestaretur, tentari cœpit insolitis: quibus adeò mox prostratæ vires corporis fuerunt, ut de recuperandâ sanitate maturè desperârit. Ac videre in ipsa licuit, verissimum esse medicorum Principis effatum, qui remdixit esse lubricam, admodum validam corporis constitutionem, & corpora, ubi ad summum provecta sunt vigorem, non consistere, sed momento in contrarium impelli.

Sed agnoscenda & prædicanda hic quoque æterni DEI bonitas est, per quam compos ELISABETHA nostra tandem ejus facta fuit, quod unicè semper desideravit & exoptavit. Sæpè enim ex ore illius auditæ sunt voces, quibus nihil *charaola* sibi optatius posse contingere declaravit. Nam die Veneris proximo, quod à fide dignis habemus, hora post meridiem tertia, animo tam præsente & confidente mortem jam ad-

ven-

Digitized by Google

ventantem excepit, ut Spiritus sancti, in agone illo omnium maximo, præsentia & efficacia animadverteretur. Libellum quippe precationum familiarem cùm ultrò sibi porrigi postulasset; Earum, quibus beata ex his erumnis emigratio petitur, formas tres, quantum vis minutis characteribus expressas, voce impavidâ & minimè titubante recitavit: Tum fidei spei que de resurrectione corporis sui πληροφορίαν ostendit, pronunciatis illis verbis, quibus Jobus eandem expressit. Ac tum demum postquam oculos suis sibi digitis compresserat, manus placidè complicans concitò expiravit: Veram experta CHRISTI Servatoris promissionem: *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.*

Exuviæ, quæ templum fuêre Spiritus sancti, postea hora III. ex ædibus viduæ mœstissimæ, in platea consulum sitis, in cœmeterium suburbanum efferentur, reddendæ terræ omnium parenti. Eam pompam ex ædibus Cl. V. D. UNZERI prodituram, ut ex civibus Academicis plerique præsentiâ suâ honestent, multis hortaremur, & rogaremus, nisi vel absq; hoc singulos facturos persuasum nobis haberemus, quod tum piè defunctorum memoriæ & honori debetur, tum Charitas Christiana flagitat ac patitur.

DEUM

DEUM omnipotentem & misericordem, Patrem Domini nostri JESU CHRISTI veneramur supplices & rogamus, ut collectos sub alis suis nos complectatur & defendat. *Scutum enim & clypeus noster est ipsius* VERITAS. P.P. Calendis Sextilibus, anno M.DC.XIII.

XXII.

Exequiæ Iacobi Rangii Colbergensis Pomerani.

DIes hic agitur octavus, ex quo Senex venerandus, ANDREAS RUHELIUS, hujus Opidi Prætor, duorum funera comitatus est, è Sorore sua ortorum. Hodie NEPOTEM è FILIA curabit efferendum, ad cujus exequias honestè comitandas ut Cives Academicos invitaremus, & de vita adolescentis piè defuncti aliquid adderemus, cùm rogati essemus; officii genus hoc quantumvis triste neque Seni optimo, optimeque de hac civitate merito ac merenti, neque familiis laudatissimis, neque adolescentis honori supremo denegare potuimus.

Igitur

Digitized by Google

Igitur de familia quidem JACOBI RANGII Colbergensis Pomerani, cui operam hanc navamus, maternâ ut multa referamus, intempestivum existimamus. Paternam verò COLBERGÆ, quod est in regione Pomeranica & ditione Caminensi celebre opidum, vetustissimam atque honoratissimam esse constat, idque ante annos propè quinquaginta majores nostri ex hoc ipso loco testati sunt, quando ad exequias Laurentii Rangii, die XXII. Mensis Julii studiosam juventutem programmate publico invitârunt.

Avus Jacobi nostri fuit Jacobus Rangius, in Repub. Colbergensi Senator, & ærarii Ecclesiastici Præfectus ante paucos annos mortuus. Hujus filio Laurentio, itidem in patria Senatori & Prætori, viro spectato, cùm de parentum consilio nupsisset Prætoris nostratis Ruhelii filia Regina, matrona honestissima, præter alios utriusq; sexus liberos etiam Jacobum hunc suscepit.

Is parentum optimorum curâ domi piè, sanctéque educatus, in Schola Colbergensi prima optimarum artium, & linguarum fundamenta fideliter ac feliciter posuit. Cumq; vix ex ephebis excessisset, ad Academiam nostram missus, integrum jam quadriennium ita vixit, ut & progressus in studiis pietatis ac doctrinæ elegantioris præclaros fecerit, &

Digitized by Google

spem de se conceptam implere ac superare contenderit.

Nominatim verò cum studiis Philosophicis, quæ diligenter pertractârat, initia conjunxit Jurisprudentiæ, ducem hac in parte secutus Avunculum suum, virum clarissimum, Tiburtium Rubellium, J. U. D. ordinis Senatorii virum, & Dicasterii Electoralis Advocatum. In hujus familia toto, quo nobiscum fuit, tempore vitam egit modestam, & ordine ac genere suo dignam, ut nemini unquam de se conquerendi causam præbuerit; sed favorem potiùs omnium sibi morum honestate & comitate conciliaverit.

In auscultandis item concionibus sacris, ut & usu Cœnæ Dominicæ frequentiore, Christiani hominis officium tanto fecit religiosiùs, quanto crebriores & acriores subinde sustinuit valetudinis parum firmæ incursus & assultus. Nam inde à puericia corpus habuit variis morborum generibus obnoxium, ut tâ diu superesse ipsum potuisse, quam tam citò mortuum fuisse, magis mirandum videatur.

Etsi autem de ætate nihil certi nobis constat: Tamen cùm vigesimum primum annum attigisse perhibeatur; eo ipso anno hunc Jacobum, tanquam flosculum abreptum atque extinctum apparet, qui multis adolescentibus

Digitized by Google

bus fatalis esse solet, quippe qui ex periodo septena, quam κλιμακτῆρα docti appellant, tertiam constituit: quod idem ei, quem dicebamus, Laurentio Rangio evenisse programmatum hîc publicatorũ monumenta docent.

Usus quidem subinde est Medicorum consilio & auxilio, cùm præsertim parentes, alterò etiam filio non ita pridem orbati, nullis hac in parte sumptibus parcendũ judicarent. Verùm superioribus septimanis malum tandem vehementiùs erupit, pedibus ira tumefactis, per æstum maximè Caniculârium, ut per integrum jam mensem rarissimè in publicum prodire potuerit, & accedente ad extremum sanguinis rejectione, hesterno die, horâ I. pomeridianâ in religiosa confessione & ardente invocatione Filii Dei placide expirârit.

Quâ fuerit erga parentes, erga avum & reliquos necessitudine & cognatione sibi cõjunctos, observantiâ, quâ erga Deum pietate; hoc etiam argumento est, quòd die ab hinc octavo cum Avunculo ejusque familiâ, superatis pedum doloribus, in publico Ecclesiæ congressu Cœnæ Dominicæ viatico, tanquam præsagiens migrationem propinquam, instrui voluit.

Etsi autem propemodum pro certo & indubitato habeatur, nullum in hoc casu con-

tagii pestiferi metum esse? Tamen cùm experientia testetur, hisce temporibus periculosius nimiâ securitate & temeritate, quàm solicitâ circumspectione peccari: Visum fuit ita adolescentis hujus funus ex ædibus D. Tiburtii Ruhelii esse in cœmeterium suburbanum deducendum; ut qui cohonestare illud suâ præsentiâ volunt, in ædibus Dn. Christophori Wust Senatoris & Bibliopolæ ad forum sitis, postea hora IV. conveniant. Hoc verò significandum ideò duximus, ut qui commilitoni suo supremum hunc pietatis & humanitatis honorem præstare animati sunt, illuc convenant, aliisque sese adjungant; Iisdem & hoc revocare in memoriam volumus, quòd ante annos XLVII. cùm lue pestili opidum hoc infestaretur, majores nostri, ut ad exequias Laurentii Rangii plures invitarentur, exemplum adduxerunt illustrissimorum Pomeraniæ Ducum, ERNESTI & LUDOVICI, qui cùm studiorum gratiâ ante annos L. hic degerent, ad officia deductionum funebrium non dubitârunt sese demittere.

Quod reliquum est Deum misericordem & omnipotentem oramus, ut quemadmodum ex similibus contagiorum periculis Academiam toties mirabiliter eripuit, & hactenus clementissimè conservavit: Ita nunc etiam

etiam præsentium temporum calamitates & pœnas pro sua inexhaustâ clementiâ mitiget, & vastationem Academiæ majorem avertat, per CHRISTUM, filium suum, Redemptorem nostrum, Amen. P. P. Calend. August. Anno M. DC. XIII.

XXIII.

Exequiæ Mariæ Grosiæ.

INter Ecclesiæ Christianæ lumina, quæ proximis post Apostolorum tempora effulsêre seculis, non solùm eminet Cyprianus, ex Rhetore Carthaginensium Episcopus, martyris quoque coronâ illustris; Sed scriptorum etiam, quæ hodieque extant, monimentis facilè elogion illud tuetur, quo fuit à Lactantio Firmiano exornatus. Ait enim *fuisse illum ingenio facili, copioso, suavi, & qua sermonis maxima est virtus, aperto; ut discernere nequeas, utrùmne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit.* Hoc verò artificis de artifice judicium quanti faciendum sit, si nihil aliud, nous certè sermo ille abunde docere posset, quem de Mortalitate scripsit. In eo quippe

Digitized by Google

ut mortis, quâ nihil homini terribilius, formidinem tollat, & amorem contrà desideriumque relinquendi hanc vitam persuadeat; iis utitur rationibus, quibus si quis non movetur, ab omni sensu atque intelligentiâ videri possit alienus. Nominatim verò iis respondens, qui perturbantur animis, quando æqualiter cũ improbis bonos valetudine adversâ corripi, & credentib. mortalitatem eum cæteris cõmunem esse animadvertũt; Ingens inter utrosq; discrimen esse docet. Mortalitatẽ enim istã Christi hostib. pestem; Dei autẽ servis salutarẽ excessum esse: Quod sine ullo discrimine generis humani cũ injustis justi moriuntur, non esse quod putemus bonis & malis interitum esse communem: *Ad refrigeriam nempe justos vocari; ad supplicium rapi injustos.*

Magna profectò consolatio, quâ se erigere Christiani debent, quando vel ipsis, vel iis, quos diligunt, de seculo exeundum est. In primis verò cogitationibus ea tristioribus opponenda est, quæ oriri in animis eorum possunt aut solent, qui non rarò etiam bonos eum malis involvi calamitatibus iisdem, eodemque mortis genere utrosque extingui vident: ut certissimè sibi persuadeant, ex illusmodi communibus cladibus minimè conflci, conditionis etiam communitatem probis esse cũ improbis *sed cùm de seculo utrig; migrant, dari tutelam fidentibus, perfidis pœnam.*

Hæc

Hæc & id genus alia cùm & sibi crebrâ lectione ac meditatione familiaria fecerit, & cum domesticis subinde repetiverit Vir Clarissimus & Consultissimus, MATTHIAS GROSIUS, Philosophiæ & U. J. D. Collegii Juridici Adjunctus, Curiæ Electoralis in hac urbe Advocatus, & Regii Lusatiæ judicii per annos jam XXII. Assessor, Collega noster honorandus: Non dubitamus, quin obitu Conjugis insperato in luctum conjectus gravissimum, animum suum SPIRITUS SANCTI gratiâ aspirante, consolationibus iis, quas Sacræ literæ, & harum Interpretes, Christianis suppeditant efficacissimas, erigat ac sustentet. Sic enim nota nobis & perspecta est Viri, non tantùm in suæ Professionis Doctoribus, sed etiam in Sacris scriptoribus legendis exercitatissimi pietas, ut dubitare de illa nefas judicemus. Quapropter omisso hoc orationis genere, quod ad cõciones funebres potiùs, quàm ad nostrum institutum pertinere arbitramur, ea quæ hujus loci sunt, paucis absolvemus. Igitur quæ vivere in his terris nudiustertius desiit, omni virtutum genere præstans matrona MARIA, uxor D. Grosii, Patrem habuit virum spectabilem & clarissimum, Dn. Matthiam Nicolai, inclytæ Reip. Lipsiensis Syndicum, nata Lipsiæ Novembris die XI.

Anno M.D.LIX. Educationis laudabilis argumentum est, quòd & ipsa, & soror germana Anna, & consanguinea Gertrudis in familias innupserunt inprimis honoratas. Gertrudis enim hodie vidua, maritum habuit virum amplisſ. & consultisſimum Dn. Johannem Badehornum in Alten Ranſtedt/ Electorum Saxoniæ Consiliarium per multos annos intimum. Anna verò uxor fuit viri clarisſ. & excellentisſimi, Dn. Sigismundi Colreuteri Medicinæ D. & Electorum Augusti ac Christiani I. ut & Hæredum illustrisſimorum &c. Archiatri.

Noſtra verò, de qua cœperamus dicere, Maria primùm nuptiis Dresdæ anno M. D. XXCII. celebratis matrimonio juncta fuit cum viro honorato, Marco Müllero, in Aula Electorali Saxonica probationum, ut vocant, metallicarum præfecto. Quod conjugium cùm fœcundum quidem, ſed minimè diuturnum fuisſet: ſiquidem maritum post XIIX. conjugii hebdomadas; filium, quem poſthumum & patri cognominem in lucem ediderat, intra annum amiſit: poſtquam in viduo toro quinquennium exegerat, ad ſecunda vota, Chriſto pronubo, transiens, nuptias Lipſiæ Novembr. die XXIIX. anno M. D. XXCVII. cum D. Matthia Groſio celebravit. In quo conjugio quemadmodum

prioris

prioris matrimonii eventum minùs prospe-rum successu feliciore compensari divinitus lætata est, quatuor filiorum, & totidem filia-rum mater facta; & in annum XXVI. cum marito concordissimè & suavissimè vivens; Sic doloris gravissimi acerbitate non prorsus caruit. Filias enim omnes & postremas qui-dem duas, Annam & Elisabetham, uno eo-demque die ante annos propè X. hîc sepultas ad vitam meliorem præmisit.

Eum verò dolorem cùm filiorum opti-mè educatorum & moratorum, Matthiæ scilicet, Henningi, Johannis & Christiani, quos in solatium patris mœstissimi Deus so-spites & incolumes benignissimè conservet! conspectus jucundissimus magis in dies ma-gisque obliteraret, & jam ferè aboleret: Ec-ce tibi! superioribus septimanis famulæ obi-tus improvisus vulnus familiæ universæ at-tulit inopinatum. Cùm autem contagii me-tu in hortum cum marito & familiâ suburba-num secessisset: superioribus diebus langue-re potiùs quodam & virium debilitate extre-mâ, quàm cruciatu aut dolore evidentiore correpta, in vera agnitione, confessione & in-vocatione Filii Dei, die hujus mensis III. horâ X. vespertina, placidè ad vitam beatam & immortalem emigravit. Fidem in CHRI-STUM suam cum assiduâ sacræ Scripturæ le-

Digitized by Google

ctione ac meditatione; tum attenta concionum sacrarum auscultatione & religiosa aterni Dei invocatione, tum usu Cœnæ Dominicæ frequentiore, quam X. X. die Junii postremùm in publico Ecclesiæ cœtu percepit; tum erga omnes consilio & auxilio egentes, promptitudine beneficentiaque singulari; tum eo denique declaravit, quòd marini, immò Vidui nunc heu! mæstissimi præconium promeruit eximium. Is enim toto conjugii tempore nunquam uxorem optimam in gratiam secum rediisse sanctè attestatur.

Quæ cùm ita sint, decèt omnino nostri ordinis homines, & quicunque jurisdictionem Academicam agnoscunt, suam erga defunctos simul & superstites affectionem cumulatè ostendere, & tam præstantis matronæ exequias supremo humanitatis ac pietatis officio cohonestare.

Quoniam autem extra opidum, ut dicebamus, mortua est: Exequialis quidem pompa horâ postea II. ex ædibus Dn. Christophori Wust, ad forum sitis prodibit, ad auscultandam in æde Mariana concionem funebrem. Eâ verò finitâ, extra opidum progressa funus in cœmeterium dèvehendum subsequetur: quod cùm absque contagii periculo fieri, DEO propitiante, possit: officio suo cives Academicos non defuturos confi-

Digitized by Google

confidimus: sed hac etiam occasione usuros ad conjungendas nobiscum preces pias, ut misericors & omnipotens DEUS dissipationem scholæ, quæ famâ magis contagiorum, quam periculi, Christo sit gratia, magnitudine & atrocitate, jam cœpit, clementissimè reprimat & avertat. P. P. Nonis Augusti Anno M. DC. XIII.

EPITAPHIUM.

LIPSIA quam genuit teneris q; eduxit ab annis,
Et primo junxit regia DRESDA Viro:
Hic MARIAM tumulus tegit, exornat q; maritus
MATTHIAS meritò GROSIUS e-legio.
Bis tres bisq; decem qui cum concorditer annos
Vixit, ut intraret nulla querela domum.
Quatuor huic Natos peperit totidem q; Puellas,
Quas obitum CHRISTO reddidit ante suum.
Hic vidui luctum levet, efficiat q; senectam
Natorum exhilaret salva QVADRIGA Patris!

Exe-

XXIV.

Exequiæ Annæ Mariæ Klammerin.

DUlcissima extat in Evangelica historiâ narratio, trium Evangelistarum scriptis celebrata. Cùm enim pueruli ad CHRISTUM Servatorem nostrum adducerentur, ut impositis manibus, pro ipsis deprecaretur, quòd scilicet futurum parentes crederent, ut eo pacto tutiores illi essent à casibus & morbis, quibus illa ætas solet esse obnoxia: Apostoli verò indignum existimantes Domini sui, satis alioquin occupati, magnitudine, ejusmodi rebus levioribus detineri ac lassari, accedere cupientes prohiberent: Animadvertens id JESUS, *Sinite*, inquit, *ut pueri ad me adducantur, nec obsistite, quo minus me adeant. Talium enim est regnum DEI.* Et suaviter amplexatus infantes, sanctè confirmat, non accipere regnum DEI, nisi qui similiter animati affectique sint, ut pueri.

Nimirum docere nos Dominus voluit, à charitate illa ineffabili, quâ parvulos complectatur, non terrenam & momentaneam prosperitatem, sed cœlestem æternámque pendere,

Digitized by Google

pendere felicitatem. Eam verò ad ipsos pueros ita pertinere, ut nisi ad eorum imaginem veluti transformatis non possit contingere.

Commendari autem infantes illos duplici potissimum nomine historiæ series ostendit; simplicitatis scilicet & innocentiæ. Omnem quippe fucum, fastum nequitiámque ignorantes, & ab incredulitate ac curiositate alieni, neque in prosperis cuiquam molesti erant, neque in tristibus dejiciebantur. Talium ergo CHRISTUS affirmat esse regnum DEI, qui eandem, quam pueri naturâ, ut cum Theophylacto loquamur, voluntariè possident simplicitatem & innocentiam.

Quamobrem ut scitè Poëta dixit:

Conjugium humanæ pulchra est Academia vitæ:

Sic nos vere videmur posse dicere:

Conjugium æternæ pulchra est Academia vitæ.

Quem enim ita beavit DEUS, ut liberos suos, velut consitas ex ordine olivas, circum suam conspiciat mensam: Ei nunquam deesse possunt necessariæ & efficaces ad veram pietatem admonitiones.

Ejus rei vivum nobis specimen præbet vir spectatissimus & consultissimus, Dn. BURCHARDUS CLANNERUS, civitatis hujus Syndicus. Quanquam enim in luctum jam ex insperato conjectus sit acerbissimum, præmissis rursus ad vitam meliorem,

rem, non amisis, conjugii satis DEI benedictione fœcundi quasi decimis: Tamen in voluntate DEI, quæ semper optima est, acquiescens, quod utendum fruendumque ad tempus acceperat, Deo reposcenti ita reddit, ut & præclarè cum prole sua, malis imminentibus subductâ, credat actum; & spe sese certissimâ sustentet, fore ut quorum imitatus fuerit simplicitatem & innocentiam; eorum in beatâ illa immortalitate consortio tandem gaudeat nunquam dirimendo. Nam post aliquot liberorum superioribus annis præreptorum obitus præmaturos, nudiustertius circa horam tertiam vespertinam, DEUS exæ rumnosâ hac vitâ evocavit filiolam ipsius è posteriore conjugio natu maximam, ANNAM MARIAM, annorum quasi VII. puellam, quæ indolis præstantia, morumque suavitate ac festivitate amabili, & in primis pietate, qualis in hanc ætatulam cadere potest, singulari, curas Patris & ærumnas, quibus hoc vitæ genus rarò carere solet, mirificè mitigabat.

Verùm enimverò quemadmodum minùs animum percellunt, quæ prævisa antea fuerunt: sic calamitate hac minùs perturbatum iri confidimus virum optimum, cùm ea cogitabit cum animo suo, quæ ipso narrante didicimus. Per spacium quippe jam ferè annuum, quoties alios è vivis excessisse audivit, in voces

hasce

hasce erupisse puellula perhibetur: *Ah mi Pater! lubens & ego moriar, ut ad fraterculum in cœlis meum veniam, ipsúmq; videre possim.* Hujus voti cùm compotem factam videamus; non est quod cũ profanis hominib. cogitemus, ingeniorũ illud velut præcox genus non temere vitale esse; & ad frugem unquam pervenire: sed cùm Deo placeret, raptam esse *Annam Mariam* statuamus, ne ejus sensum immutaret pravitas, & animum fallacia deciperet.

Cùm autem hujus filiolæ suæ animulam, pretioso CHRISTI sanguine redemptam ac purgatam, in fasciculo viventium ligatam apud Deum custodiri, & ævum omnis doloris exortem agere sciat: Exuvias corpusculi in spe resurrectionis propinquæ indubitatæ, Christiano ritu terræ, in Cœmeterio suburbano, mandandas postea horâ III. curabit pater mœstissimus.

Quare Studiosos & eos, qui jurisdictionem nostram agnoscunt, hortamur, ut pietatis ac humanitatis in ejusmodi casibus benè meritis præstandæ memores, hujus etiã puellæ funus exædibus paternis ducendum, comitatu frequentiore cohonestent. Erit ea res non tantùm familiæ laudatissimæ honorifica, & ad levandum aliqua ex parte parentũ mœrorem luctumque efficacissima: sed ad subjiciendas etiam animo cujusq; cogitationes huic tempori convenientes accommodatissima.

In-

Digitized by Google

In primis verò singulos excitabit, ut pueri-li animi simplicitate, vitæque innocentiâ ad ineundum DEI regnum sese quotidie præparent: & in prædicatione divinæ, quam hactenus experimur, benignitatis ac clementiæ, DEUM æternum nobiscum ardenter invocent, ac rogent, ut recordatus in ira justissimâ misericordiæ suæ, percussorem Angelum ab hac urbe totaque vicinia manum funestam retrahere & abstinere clementissime jubeat, & semen aliquod sanctum inter nos perpetuò sibi conservet. P. P. die XV. mensis Augusti, Anno M. DC. XIII.

XXV.

Exequiæ M. Iohannis Riedereri Augustani.

CONflictatum cum variis morborum generibus menses jam aliquot fuisse M. JOHANNEM RIEDERERUM Augustanum, non solùm ex Medicorum relatione Nos didicimus; sed ex precibus etiam pro ægrotante illo in publicis Ecclesiæ congressibus per aliquot jam hebdomadas factis, constare arbitramur universis.

Is

Is nudius tertius horâ VI. vespertina, inter seriam invocationem Filii Dei, JESU CHRISTI, Servatoris nostri, naturæ debitum persolvit, & piâ placidaq; ex hac lacrymabili vita emigratione verum esse tum expertus ipse est, tum astantes docuit, quod sapiens Romanus dixit: *Bene mori est effugere male vivendi periculum.* Nam ut dolores ac cruciatus taceamus, quos minitari ipsi totum morborum sonticorum colluvies videbatur, valetudinis perpetuò infensæ & ægræ; Quàm facilè fieri potuisset, si inter improbos, qui semper plurimi, viveret, ut sensum ipsius immutaret prævitas, ut animum fallacia deciperet?

Etenim mortis ipsi caussam aquæ subtercutem fusæ morbum fuisse cognovimus, qui ex pertinaci lienis obstructione ortum habuerit; quo quidem longo jam tempore laborans, à febrium diuturnarum & sæpe recurrentium assultibus nunquam ferè liber, & securus fuit. Quis autem ignorat omnium, *quàm diu vivimus, nos pugnare; & quàm diu pugnamus, periclitari?* Etsi enim experientiâ magistrâ discimus, brevia & caduca esse terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æternitatem vocatos à semitis conantur avertere: Tamen eâdem experientia teste convincimur, quàm difficile sit inde abire, quò veneris.

Digitized by Google

Quamobrem quibus immaturus juvenis ornatissimi obitus mœroris luctusque materiam præbet: Illi has & similes cogitationes secum in animis versantes, tanto facilius in DEI benigni, cui cariores, quàm nobis ipsi, sumus, voluntate semper optima acquiescent, neque felicitatem hanc ipsi juveni, omnibus jam periculis & miseriis defuncto, invidebunt.

Nos verò, ut honorem eidem supremum exhibeamus; Studiosos cæterosque jurisdictionem Academicam agnoscentes hortamur, ut exequiarum pompam, postea horâ I. è domo Johannis Thetneri, quæ viri amplissi. & consultiss. Dn. D. Dethardi Horstii ædibus vicina est, prodituram, præsentiâ suâ celebriorem reddan, & funus in Cœmeterium suburbanum ad sepulturam efferendum frequentes comitentur.

Hoc enim mereri videtur juvenis piè defuncti & familia ornatissima; & vita laudabiliter acta. Nam Patrem ipsi fuisse accepimus virum Reverendum & pietate doctrinaque præstantem, M. GEORGIUM RIEDERERUM, post alias functiones Ecclesiasticas, tandem Ecclesiæ Evangelicæ apud Augustanos, ad

D. Go-

Digitized by Google

D. Georgii Pastorem vigilantissimum, ante biennium piè mortuum; Matrem verò adhuc superstitem, fœminam omni matronalium virtutum laude conspicuam, Catharinam Köchin / cujus parentes Tubingæ vitam egerunt honestam & inculpatam.

Ab his parentibus susceptus & in lucem hanc editus JOHANNES RIEDERERUS, anno CHRISTI M. D. XXCIX. Novembris die V. ante meridiem, intra horam X. & XI. in Palatinatus vico Medingen / primam pueritiam egit in inclyta urbe Augusta, Scholæ Annææ præceptoribus in disciplinam traditus. Cùm autem ingenio præstaret, & magnam de se omnium spem concitaret: annum agens ætatis XIV. in numerum alumnorum Collegii apud Augustanos Orthodoxi, de consilio Reverendi & Clarissimi Viri, D. GEORGII MYLII, Theologi quondam eximii, extructi receptus fuit, à nobilissimis, clarissimis & honoratissimis viris, ejusdem Collegii tam fundatoribus, quàm administratoribus.

Ut autem *semel incitata virtus nescit consistere*: Ita noster etiam Johannes Riederus progressu in optimarum artium

studiis felici promeruit, ut elapso quadriennio, à viris item nobilisſ. præſtantisſ. honoratisſimisque ſtipendii Weisſiani curatoribus & adminiſtratoribus, in numerum beneficiariorum cooptatus, ad Academiam noſtram circa ferias Paſchales anni M. DC. IX. miſſus fuerit.

Ab eo tempore ultrà quadriennium, ſincerâ erga Deum pietate, debitâ erga Præceptores obſervantiâ; decente morum honeſtate, & accuratâ in ſtudiis diligentiâ atque induſtria, Studioſi juvenis officio ſatisfacere non tantùm conatus eſt: Sed ſucceſſus etiam in conatu honeſtiſsimo felicis teſtimonium conſecutus eſt luculentum. Ab amplisſimo enim Philoſophorum Collegio Magiſtri liberalium artium, & Philoſophiæ inſignia & privilegia ante biennium, magna cum laude ſua, publicè accepit. Eum verò honorem adeptus ſtudio Sacroſanctæ Theologiæ, quòd antea quoque cum Philoſophiæ tractatione conjunxerat, totum ſeſe tradidit, & quantum per valetudinem, poſtremis inprimis temporibus, adverſam licuit, Theologorum auditor fuit diligens & induſtrius.

Quòd ſi valetudo firmior, & vitæ uſurâ diuturnior ipſi divinitus fuiſſet conceſſa; Spes bona erat, parentis laudatisſimi veſtigiis inſiſtentem perfectarum, ut neque Pa-

trum

Digitized by Google

tronos collatorum in ipsum beneficiorum, pœniteret; & Alumno tali Academia nostra, immò verò inclyta Patria lætari aliquando posset. Sed aliter æterno Deo visum fuit: Cuicùm juvenem hunc in ipso ætatis flore ad Academiam cœlestem evocare placuerit; Casum hunc animis æquis feramus oportet, & hoc præsertim tempore periculoso, Academiæ nostræ salutem & incolumitatem eidem misericordi & omnipotenti Deo precibus piis & ardentibus commendemus. P. P. die XVI. mensis Augusti, Anno Christiano M. DC. XIII.

Exequiæ virginis nobilissimæ Ursulæ Löserin.

EAdem sunt omnia semper, inquit Poëta, nihil novum esse invenis in natura, quod non antè jam fuerit: Unde facilè datur colligi, ex eodem fonte experientiæ manasse, quod multis ante Lucretium seculis Regum sapientissimus pronunciavit: *Nihil esse sub Sole novum: Posse quidem aliquid tanquam novum ostentari; sed illud ipsum jam fuisse priscis, quæ nos antecesserunt, temporibus.*

Hæc si menti semper & cogitationi nostræ obversarentur; futurum omninò esset, ut quicunque acciderent casus, quieto & æquo animo ferremus, cogitantes scilicet, id nobis accidisse quod ante nos passi, & post nos, quando DEO visum fuerit, passuri sint alii.

Jam verò dum perversissimam plerique gloriam in ærumnis suis concupiscunt, ut omnium infelicissimi videantur, quibus ea nimirum contigerint, quæ ante ipsos neminì: Quid aliud quæritis assiduis proficiunt, quàm quòd miseriam, quasi parum per se gravem, geminant & duplicant?

Sanè sapienter ista & fortiter ab iis etiam dicuntur, quos ad veritatem sacræ non erudierunt literæ: Verùm enimverò si usus ad rem ea conferri postulet; Ibi verò Comicum illud ex plerisque audias: *Facilè omnes, cùm valemus, recta consilia ægrotis damus: Tu si hîc sis, aliter sentias.*

At verò soli illi, quos in schola, ut ita loquamur, Crucis Spiritus Sanctus erudiit, verè non modò affirmare; sed in animis suis, neque id sine singulari divinæ cujusdam lætitiæ sensu, statuere possunt, DEUM animarum humanarum amantissimum, patrium habere adversus filios unicè charos, animum, & quos probat quos amat, doloribus quidem damnis,

Digitized by Google

damnisque exagitare & exercere; verùm ita tamen, ut revera experiantur, *Fidelem esse Deum, nec suos tentari permittere, suprà quam possint*: Sed cum tentatione ejusmodi eventum facere, ut & ferendo illi possint vincere; & quicunque in ipsorum intuentur exitum, fateri cogantur, DEUM *diligentibus omnia in bonum simul adjumento esse*. Absque Dei quippe auxilio si foret, vix ulla est tentatio tam exigua, cui non cedant vires humanæ & succumbant. DEO verò tolerandi virtutem subministrante, nulla fidelibus importari calamitas potest tam gravis aut diuturna, ut ab ea vincantur, & de spe sua constantiaq; gradu dejiciantur ac deturbentur.

Hæc pluribus præloquendi caussam dedit exempli raritas. Efferetur enim postea funus Virginis ut prosapiâ nobilissimæ, ita valetudinis inde à teneris unguiculis adversæ tolerantiâ ad stuporem usque admirandæ. Ea verò est URSULA Löser / ante annos quasi quadraginta nata ex parentibus nobilissimis, omniq; virtutis ac honoris laude cumulatis: Patre scilicet Henrico Löser in Selpnitz / qui ex eadem fuit gente prognatus, ad quam Mareschalli hæreditarii in Pretsch titulus & dignitas pertinet: Matre verò Anna Spetin / cujus familia & ipsa inter nobiles in hac regione celebratur.

His ergo parentibus nata URSULA Loss-rin, inde à primo ortu valetudine ita conflictari cœpit incommodâ & ægra, ut non solùm nullâ medicorum ope ea curari & confirmari potuerit: sed progressu temporis omnis etiam ambulandi, & per annos jâ XXX. pedibus solidè insistendi ac prögrediendi facultas adempta fuerit.

In hac verò corporis imbecillitate, animum verâ Pietate excolere ac sustentare, nunquam desiit, primùm quidem sub cura & disciplina Parentum optimorum; Ab annis verò jam fermè decem in familia Viri nobilissimi & strenui, Johannis Friderici von Schönberg, Domini hæreditarii in Falckenberg, Serenisf. Electoris Saxoniæ Capitanei, & Dicasterii in hac urbe provincialis, Præsidis dignissimi. Is enim parentibus orbatam unà cum duabus sororibus in familiam suam recepit, & inter maximas tam diuturnæ ægrotationis difficultates ac molestias, propter affinitatem & necessitudinem propinquam, omnia animi plusquàm paterni officia erga pupillas declaravit.

Nec verò dubium est, quin ad dolorem animi levandum Virgini afflictissimæ inmentem fuerint subinde revocata cùm alia exempla, tum Mephibosethi, qui in primâ pueritia luxatis & concussis ex gravi lapsu pedibus,

Digitized by Google

pedibus, perpetuò postea claudicavit: tum privatim Viri illius, quem Evangelista solo nutu CHRISTI Servatoris integræ restitutum sanitati narrat, postea quam totidem fere, quot URSULA nostra vixit, annos in morbo planè immedicabili decubuerat.

Horum & similium exemplorum consideratione non solùm dolorem suum lenire & patientiam alere; Sed fidem etiam roborare atque animare studuit, ut ab eo liberationem peteret & expectaret, *quem nobis Deum esse ad salutem, & Dominum, per quem mortem evadimus*, ut ex ore Davidis didicerat, ita ex morbi tam inveterati curatione credebat.

Neque eam fiducia illa quotidianâ verbi divini meditatione, & crebrâ ac religiosa Cœnæ Dominicæ usurpatione nutrita & cõfirmata decepit. Postquam enim per tres hebdomadas vires omnes animi & corporis deficere sensit; Crebris gemitibus ac suspiriis placidam & beatam ex hac ærumnosa vita emigrationem à DEO, vitæ morrisque Domino, petivit: Cujus voti compos die Mercurii proximo facta est, & accedente ad cæteros morbos etiam Apoplexiâ, animam DEO Conditori suam reddidit.

Exuvias Christiano ritu terræ mandandas postea Horâ II. ex arce efferent in Cœ-

meterium ad eædem Marianam. Vestrum erit, Cives Academici, in pompa illa funebri comitatu frequentiore celebranda, supremum pietatis & humanitatis officium cumulatè præstare, tum quia familiæ nobilitas & defunctæ virtus id meretur; tum quia Domino Capitaneo, Viro præclarè de Academia & universo ordine nostro merenti, gratum idem atque honorificum futurum est. P. P. III. Non. VII. Anno Christi M. D C. XIII.

XXVII.

Exequiæ Georgii Alberti Spenlini I. U. L. Protonotarii.

CUm dulce est vivere, dulce mori est, verè quidem Angelus Politianus dixit: *Magna quippe est felicitas in felicitate moriendi; & Mors cùm omnibus finis, multis remedium, quibusdam etiam votum sit; de nullis melius meretur, quàm de his, ad quos venit, antequam invocetur.* Nam quibus gratum jucundumq; sit mortis judicium, Siracides ostendit, hominibus nimirum indigentibus, qui viribus in extrema senectute deficiuntur, & curis undique distracti ad ultimam rediguntur desperationem. Verùm enimverò magnus semper est eorum numerus, ad quos ejusdem Siracidæ

Digitized by Google

tacidæ ista accommodari etiam in mediocri fortuna possint: *O mors, quàm amara tui recordatio est homini in bonis quieto! viro nullis curis distracto, & cui feliciter omnia procedunt, quique cibum adhuc capere valet!* Cùm enim blanda, conciliatrix, & quasi sui lena natura sit, neq; præceptò indigeant homines, ut se quisque diligat. *Seguiter deserere solet animus humanus, quicquid solido fuerit amore complexus*; maximoq; etiam sapientissimis fortissimisque pectoribus ut lux amori, sic iateritus horrori est. Itaque vix alii verè & ex animo verbum illud Politiani usurpare possunt, quàm qui in schola Spiritus S. veram de felicitate hominis, ejusque vitâ ac morte sententiam percoperunt.

Inter eos jure meritoque numeramus Virum Clarissimum & spectatissimum, GEORGIUM ALBERTUM SPENLINUM, J. U. L. ad cujus funus cùm literatam juventutem invitare, etiamsi rogati non essemus, ex officio debere videamur: Elogion defuncti ex more præmittendum duximus, non quale & merita ipsius ac familiæ laudatæ dignitas, & nostra erga eandem propensio postulabat; sed quale locus & instituti ratio tulit, cùm præsertim documentis careamus, quæ de vitæ suæ curriculo vivens cõsignavit.

Igitur Patrem, ille habuit Virum Reverendum, & pietate ac doctrinâ præstantem,

Paulum

Pa[illegible]um Spenlinum Creuzbergenſem, qui quo-
bus nominibus ab iis, qui iſta non ignorant,
præcipuè commendatur; quòd & conſtan-
tiâ in profeſſione doctrinæ, *B. Lutheri* mini-
ſterio repurgatæ, ſingularem ad extremum
usque vitæ halitum conſervarit; & cùm ad
ſplendidiora ſubinde in miniſterio Eccleſia-
ſtico munera vocaretur, *Eccleſiæ Cochbergen-
ſis* in Thuringia gregem coctumque ſemel fi-
dei ſuæ commiſſum deſerere noluerit.

Eam autem Viri optimi pietatem lar-
giſſimè Deus remuneratus eſt. Nam ut alia
taceamus benignitatis divinæ argumenta,
nati illi ex conjuge, Matronâ honeſtiſſima,
tres filii, omnes in viros evaſêre præclaros.
Ac *Johannes* quidem inter Pictores noſtri
temporis, dum vixit, ita excelluit, ut Princi-
pum multorum ſingularem ſibi conciliârit
favorem. *Bartholomæus* verò *Spenlinus* cùm
multos annos Illuſtriſſimo Proëlectori Sa-
xoniæ, Principi laudatiſſimæ recordationis,
à Secretis fuiſſet intimis; alios poſtea geſſit
honores: Hodie verò Illuſtriſſimis Saxoniæ
Ducibus in functione honoratâ operam Er-
furdiæ navat laudabilem.

Cùm autem parentum præſidio præma-
turè fuiſſent orbati filii: Idem Bartholo-
mæus fratrum curam ita ſuſcepit, ut ejus,
qua tum in aula florebat, gratiæ bonam par-
tem,

Digitized by Google

mandeos derivaret. Effecit enim ut *Georgius Albertus* noster, in quo præclara elucebat ingenii ad maxima quæque nati bonitas, ad continuandum studiorum feliciter cæptorum cursum, munificentiâ Principali sublevaretur, & per annos aliquot inter beneficiarios Electorales stipendio, quod juris utrisque studiosis destinatum est, frueretur.

Neque verò in tam luculentâ occasione ille sibi defuit: sed tum lectiones publicas audiendo, tum exercitia disputationum publicè privatimque urgendo, tantum profecit, ut dignus habitus fuerit, cui post mortem *Friderici Dracostadii*, in Judicio Elector. Sax. supremo, itemque in Scabinatu nostrati munus Protonotarii anno M. DC. committeretur. Id verò officium, sanè arduum, & laboriosum, annum jam decimum quartum, tantâ fide, industriâ, dexteritate gessit, quanta ab homine requiri aut præstari potest: Sic tamen ut Jurisprudentiæ studium strenuè simul continuârit, tantosque in eo progressus fecerit, ut tùm Licentiam assumendi gradum Doctoris magnâ cum laude sua, ab amplissima I Ctorum Facultate acceperit; tùm ab eadem in Collegium Adjuncti titulo, ante quinquennium fermè integrum, receptus fuerit.

Sum-

Eum verò adeptus honorem, secum ipse certare visus est, & ordinariè disputando, acta diligenter perlustrando & fideliter referendo, sententiasque super iis concipiendo, omnes denique officii sui partes egregiè implendo Collegarum omnium approbationem promeruit.

Eodem autem, quo Primicerii munus suscepit, anno matrimonium quoque iniit cum Virgine honestissima ALBINA, filia Cl. & excellentissimi viri M. Petri Albini, Poëtæ & Historici celeberrimi, qui ex Professore hujus Academiæ publico Secretarius factus Electorum Saxoniæ, gratam sui memoriam in monumentis, quæ extant, scriptorum utilium reliquit.

In hoc conjugio, concordiæ & suavitatis pleno, cùm verissimum experius esset, quod regius Vates canit: Γενεὰ θεῶν ἐλαφρότερον, & re familiari ex voto, & liberis auctus nostri quidem sexus binis, alterius verò quaternis: In illa quidem ad suam suorumq; necessitatem proximiq; commodum honestè administranda, Viri boni atque industrii; in his verò pie sanctèq; educandis Patris verè optimi officium cumulatè præstitit.

Jamq; eò processerat prosperitatis, ut mortis illi memoria, in hoc potissimùm ætatis vigore, minimè jucunda esse posse videretur.

Sed

Digitized by Google

Sed quemadmodum matres lactis materni fastidium infantibus, illito mammis absynthii succo, facilè conciliant: Ita nihil Deo facilius & usitatius, quam ut felicitatis, si qua est, terrenæ desiderium suorum animis eximat. Is febrim Protonotario ac Collegæ nostro desideratissimo ardentem & acutam immisit, ad quam cùm insomnia, singultus vehementiùs urgens, & alia quædam symptomata accessissent: tot malorum συνδρομὴ intra dies quasi XII. naturam in corpore non validissimo citò labefactavit & dejecit.

Ut autem in omni vitâ pietatem non in labris habuit, sed ab imo pectore coluit: Ita in hoc potissimùm ultimo vitæ actu, Spiritus Sancti adjutus gratiâ eandem declaravit. Illius enim præsentiâ & instinctu animatus, in Voluntate æterni & misericordis Dei totus acquievit, & die Jovis proximo, post septimam matutinam, finem habuit vitæ per annos XLIV. laudabiliter actæ consentaneum. Inter preces enim ardentes etiâ hymno illo Ecclesiæ orthodoxæ, quo divos deasq; omnes olim in tenebris Papatus venerari solebant homines morituri, voce articulata animoq; præsente pronunciaro, *Deo Patri, Filio & Spiritui Sto* agone extremo imploravit auxilium: & fiduciâ suâ sanguine & merito Redemptoris

sui

ſui unici nitentem, ac ſpem futuræ reſurrectionis indubitatam roboravit, ac teſtatus eſt harum è ſacris literis ſententiarum recitatione iteratâ: *Sanguis* JESU CHRISTI, *Filij Dei, emundat nos ab omni peccato. Credo, quòd* REDEMPTOR *meus vivit &c.*

Reliquum nunc eſt, ne quid ad *Obſequia* deſuiſſe videatur, ut pompam funebrem, quæ ex ædibus piè defuncti poſtea Hora I. ad ædem Marianam deducetur, comitatu veſtro, Cives Academici, exornetis, & exuvias poſt habitam Concionem funebrem, ad locum ſepulturæ, ædi ſacræ proximum ſequamini. Ibi enim ad latus carisſimorum, Soerus nimirum Ludomillæ Albinæ, & duorum utriusque fratris filiorum, Chriſtiano ritu humabitur. P. P. Nonis VII. Anno M. DC. XIII.

XXIIX.

Exequiæ Magdalenæ Lehmannæ Virginis.

LUculento & honorifico Typographos ornavit elogio Typographus noſtri ævi celeberrimus, Chriſtophorus Planti-

Digitized by Google

timus, quando eos *literarum & literatorum omnium publicos Notarios* appellavit. Cùm enim verissimè ad Marcellam scripserit D. Hieronymus; Scriptorum illustrium libros vivam esse effigiem, & monimentum ingenii illorum immortale: Magnas profectò Typographis debent gratias, quicunque illorum industriâ ab injuriâ oblivionis & interitus periculo vindicantur. Typorum quippe beneficio nota fit mundo universo adeoque omni posteritati ingeniorum, quam scriptis suis expresserunt, præstantia & excellentia.

Olim quidem in Bibliothecis cum admiratione visebantur virorum doctrinę gloriâ præstantium ex auro, argento, ebore, vel certè ære imagines. At quanto gratius jucundiusque clarorum virorum animas potiùs immortales ibidem loquentes audire, quàm vultus summo artificio ad vivum expressos intueri?

Itaque licèt eò res hodie redierit, ut imprimendarum literarum Ars, quæ initiò non minore quæstu, quàm hominum admiratione vulgari cœpta fuit, vilior indies habeatur: Tamen nostri inprimis ordinis homines, quibus vita in libris est, honestiùs & de arte simul & eandem exercentibus sentire decet.

Novo enim hoc scribendi genere reperto, uno die ab uno homine tantum imprimitur literarum, quantum vix toto anno scribi posset à pluribus. Atque inde tanta in omnibus disciplinis librorum copia ad nos manat, ut nullum ferè nominari possit opus, quod ab homine mediocris etiam fortunæ comparari nequeat.

Addimus etiam, quòd, si vera volumus fateri, vix unquam tantos progressus facturа fuisse, tam citò, videtur superiore seculo veritatis cœlestis & elegantioris doctrinæ instauratio, si absque Typographiâ fuisset. Unde non improbanda videtur eorum sententia, qui de hoc ipso conficiendi Antichristi organo Sybillam vaticinatam volunt, quando futurum prædixit, ut lino periret. Ex lino enim post multiplices μεταμορφώσεις & μεταβάσεις, minutatim in aqua contuso, & glutine rursus densato chartæ conficiuntur, quæ Prophetas, Evangelistas, Apostolos, & omnium in universum disciplinarum Doctores, παλιγγενεσίᾳ quadam divina in lucem & theatrum reducunt.

Hæc verò in memoriam Civibus Academicis hoc tempore revocare paullò verbosiùs placuit, ut tanto propensiore animo sint ad cohonestandas MAGDALENÆ LEMANNÆ, Virginis lectissimæ exequias. Hujus enim pater ZACHARIAS LEMANNUS

rus Kembergensis, vir honestus & industrius, quantum pro tenuitate sua rem literariam, quoad vixit, tum fundendis typis, tum libris imprimendis adjuvare studuerit, non tantùm illi, quibus familiariter notus fuit, prædicant; sed monumenta etiam, quæ extant, librorum testantur.

Is ex altera conjuge ANNA Nieschin) Kembergense filiam suscepit, de qua dicebamus, MAGDALENAM, Calendis Martiis, anno Christi M. D. XCIII. in lucem editam. Etsi autem præmaturè tà patrem amisit: Tamen à matre & Vitrico, MARTINO HENKELIO typographo, honestè hactenus sanctèque fuit educata.

Ut autem anni Climacterici multis fatales esse solent: Ita annus ætatis Vigesimus primus, ex periodo septena tertius, hanc etiam Virginem in ipso ætatis flore tanquam floscu-lum abripuit atque extinxit. Cùm enim Augusti mensis die XXX. circà vesperam febri acuta, quod malum nimis hoc tempore frequens esse experimur, infestari cæpisset, superveniente dysenteriâ maligna, quæ comitem haberet insomniam, viribus citò exhaustum fuit corpus tenerum, Iraq; Epilepsia quoque tandem ingruente, circà mediã nocte, quæ diem IIX. Septembris secuta est, animam suam à vinculis corporeis solutam, sine placidè & tranquillo, reddidit CHRISTO Redemptori.

Digitized by Google

Hunc autem ut in omni vita pie religioseque coluit, ita in ipso etiam mortis articulo in eodem spem & fiduciam omnem collocavit, & tam præsente ac confidente mortem excepit animo, ut Spiritus sancti præsentiam & efficaciam astantes animadverterent.

Facient ergo, qui jurisdictionem Academicam agnoscunt, rem & defunctæ manibus piis gratam, & honestissimo Typographorum ordini honorificam, & voluntati nostræ consentaneam, si in hoc etiam funere comitatu frequente ornando suam promptitudinem declaraverint. Efferetur autem funus ex ædibus MARTINI HENCKELII typographi, postea horâ III. in Cœmeterium suburbanum. P. P. die X. Septemb. anno CHRISTI M. DC. XIII.

XXIX.

Ad scholasticam juventutem.

OSI diffugerent radiis discussa serenis
Nubila, quæ densa involvunt caligine nostros
Hinc atq; hinc oculos! quàm clarâ in luce liceret
Cernere flammivomis circumvallata quadrigis
Mœnia LEUCOREÆ Dothanis, ut agmine facto

ANTE

ANGELICÆ aspellant metuenda pericula turmæ!
Nam quòd Elisæi simul Eliæq; tot inter
Assultus, pia Posteritas vitalibus auris
Vescitur, & patria cum Relligione magistras
Laudatisq; duces vitæ colit hactenus Artes:
Haud opus humanæ est opus. Uni hæc gloria CHRISTO
In solidum debetur. Is ANGELUS ille Paterni
MAGNUS CONSILII creat igneа turbinis instar
Flamina, ut expediant celeri velocius aurâ
Jussa DEI; Gentisq; piæ jubet esse ministras,
Omnipotens quibus ora PATER dat cernere, Mentes.
Nec tam vile ministerium memoraveris ullum,
Quin studiis obeat promptis manus incola cœli;
Dum peragat mandata DEI, cœtusq; saluti
Invigilet parvi, quem per præconia VERBI
Publica salvifici tota sibi colligit orbe.
Tertia nunc equidem Contagia sensimus annis
Continuis: nec dum prosternere desiit atrox
Corpora plura lues, dum justâ ulciscitur irâ
Peccantes DEVS. At medio tamen hujus in irâ
Fervore effulget Miseratio summa, necisq;
Casibus ereptos, Satanâ frendente, Docentum
Discentumq; tegit cœtus, utriq; annua cultu

Festa colant patrio, pacemq; auraq; salubres
Cœlitus huic Urbi indulget, sensimq; per ora
Palantem varias revocat sub signa Juventam.
Hoc grati animus donum, ANGELICIS precamur,
Porrò etiam cingat nos Gratia dia catervis;
Arceat & quidquid studia impedit, oppida vastat,
Omnia disturbat socia commercia vitæ:
At CAPUT Imperii & Proceres tueatur; & inter
Hos maneat PATRIÆ PATER ipsi ut populus cordi.
Hæc qui concipitis nobiscum vota salutis
Autori date SOSTRADEO, & deponite ad ARAM
Certatim memorem testantia munera mentem.

P. P. Sollennibus sanctorum Angelorum.

Alia invitatio in eadem festivitate.

ET merito evantes festo lætamur ovatu,
Dum breve decrepiti spatium perrepimus evi:
Nec pii ad infestas porrò impallescimus umbras.
VICIT io MICHAEL, eo oq; excluſit Olympo
Luciferum; vicit superæ manus ignea turma
Nigrantes Erebi furias; Ecclesia vicit.
Ha! tot inauditis lux nobilitata triumphis;

Agmi-

Digitized by Google

Agmina quot sursum pugnantem, quotq; deorsum
Intentant aciem miscére inferna supernis
Perdiù anhelantûm, & vastû per inane furêtûm
Cerne gehennalis truculenta proœmia flammæ
(Nì planè exsenso in lapidem torpore rigescis)
Mundo, nequitiæ stabulo, jam extrema minari.
Telavenenatis distrinxitné ictibus Ate,
Lurida pestis ubi letali incanduit æstu?
Dicite, quando ita Saxonicæ vidistis Athenæ
Funera densari, stragemq; licentiùs edi?
Spicula vibrabat sic undiq;, & undiq; muros
Morta expugnabat; fluidoq; cadavera tabo
Plurima acervando, patulo effera sæviit orbe.
Ergo charisma Dei grande est, quòd quisque ministrum
Custodemq; sui de cœlo adipiscitur unum.
Nam quotus è tantâ superesset clade? quin immò
Viveret ista legens? quotus hæc solemnia obiret?
In mediâ, Magni nisi Consilii ANGELVS, iræ
Parsisset merito longè graviora popello.
Próh! rasæ ut rursus Larvæ bacchantur ab Orco,
Vipereasq; Megæræ comas ut ventilat! utq;
Fumat uterq; polus! quot Véiovis ira Sinones
In Capitolinâ turba Ischariotidos Ætnâ
Excoquit, & Gracchos, Catilinas, atq; Cethegos
Armat in exitium te purè, Christe, colentûm!
En perterricrepos dira Babylonidos ausus!

Trojani

Trojani en simulamen Equi! en Cyclopas in antris
Fulminacudentes fidei mentita colorem!
Ecce inopinatis flammantes artibus ignes!
At MICHAELITII formidine Numinis, arcam
Ante Dei, in faciem propriâ ejectetur ab ede,
Sonticus ille Dagon; ruat, & se eliminet ultrò.
Inde tuis autem quid, quæso, clientibus? et quid
De miserâ fiet, Dux cœlituum alme, Sareptâ?
Ni duplicare preces cubus ingeminatus ad unguem
Monstret, & haud steriles ad sidera tollere palmas.
Igne Larem, Genium pateris, nidore Penates,
Cæsca superstitio magmento auctabat inani.
Et quî aliter potuit genuini Numinis expers
Natio lucifugûm, tenebrisq; infossa malignis
Pignora talparum, quas traduce adobruit atus?
Nempe aliò mentes, aliò divisimus aures.
Christi sequa; sacri longè ratio altera nobis.
Altera iter duca est, cœnoso gurgite mersam,
Detenebrans aciem divini lampade verbi.
Funde merum Genio, Pagane, sitito misselle;
Funde preces CHRISTO Christiane, & munus ad aram
Pende ministerio; sic tandem ritè litâris.
Turpe capistratur gravidæ bos tritor aristæ.

Autore Johanne Rodenborch.
Antverpiensi.

P.P. solennibus Sanctorum Angelorum.
Anno M. DC. XIII.

Exequiæ

XXX.

Exequiæ Andreæ Blumii Prætoris VVitteb. & Iuditbæ conjugis.

TErtius hic mensis agitur, ex quo spectaculum vidimus ut luctuosum, ita in hac Civitate rarum & insolens, quando una eademque thensa, ut ita appellemus, Libitinariâ, ad sepulturam Pater & Filius elati fuerunt. Pater quidem *Samuel* Selfisch, granariis in hac diœcesi Electoralibus præfectus; Filius verò nominis aviti & Paterni consors, eximiæ spei adolescens. Ecce autem! dum spe bona ducimur fore, ut nostri misertus Deus luis pestiferæ contagium, quod ab aliquot jam septimanis mitescere cœpit, prorsus à nobis, pro interminata sua bonitate ac misericordia avertat & auferat; Spectaculum rursus huic urbi & literatæ juventuti offertur triste & lacrymabile.

Efferetur enim postea horâ I. par conjugum non è medio vulgo; sed ex ipso ordine Senatorio; Ad cujus pompæ deductionem honestiorem cùm hæredum superstitum rogatu invitare Cives Academicos de-

Digitized by Google

beamus: De utroque defunctorum nonnulla, quæ in hac temporis angustia & familiæ mœstissimæ perturbatione & luctu ineffabili nobis subjici potuerunt, more à majoribus introducto ac laudabiliter hactenus usurpato, delibanda & commemoranda duximus.

A multis autem annis notissimum esse, scimus omnibus, qui studiorum gratia hic vixerunt, aut hodiè vivunt, Virum integerrimum & spectatum, Dn. ANDREAM Blumen. Is cùm ante triginta, & quod excurrit, annos in ordinem Senatorium allectus fuisset; talem sese in munere suo gessit, ut dignus fuerit habitus, cui Prætoris opidani honor, in hac civitate post Consulatum amplissimus, deferretur. Ei muneri per annos fermè viginti laudabiliter præfuit, cùm quidem aliquòt annos etiam Telonii in hac urbe Electoralis præfecturam simul administrârit.

Ac profectò relatu non indignum est, quod à nonnullis notatum fuit; quòd per annos non paucos Prætorio muneri tres simul viri ætate & meritis graves, præfuerunt, quibus ANDREÆ nomen singulis fuit. Ex iis natu minimus, *ut nuperò homines ex censu cimuntur, Andreas Gera* ante biennium ferè mortuus, primus ex societate hac mortali ad alteram immortalem Collegas præcessit. Æquale maximus *Andreas Rubelius* adhuc, quòd diutur-

Digitized by Google

diuturnum Christus faxit! superstes est. Medius inter hos, de quo nunc agimus, *Andreas* Vlum annos vixit LXVI. atque ita quidem, ut viribus uteretur animi corporisq; satis pro ista ætate firmis & integris. Sed nudiustertius circa horam meridianam XII. morbi inclementiâ superatus, in agnitione & invocatione Filii Dei, Servatoris sui, naturæ debitum persolvit. In Conjugio sortem utramque fuit expertus, prosperam quidem & optabilem, quòd ex familiis honestis duas, DEO pronubo, Conjuges sortitus, utramq; fœcundam habuit. Prior enim fuit ANNA filia *Andreæ Hartungi*, qui non tantùm ipse Chirurgus fuit celeberrimus, & Principibus aliisque ex Nobilitate summis viris carus: Sed filium etiam reliquit ejusdem & nominis, & artis, & celebritatis hæredem jam olim mortuum. Cum ea postquam in conjugio per annos XIIX. vixerat, feliciratem illam mors conjugis interturbavit. Quinque enim liberorum mater facta, & præmaturè defuncta, maritum viduũ reliquit. Is verò ad secunda vota transiens, matrimonio sibi junxit JUDITHAM, Viri spectati & honorati *Antonii* Ellenau filiam, qui Electorib. Saxoniæ per annos XXX. tum alibi, tum in Quæstura Mügelensi, laudabilem navavit operam, & inter alios liberos tres reliquit filios, Viros in republica Lipsensi ac Torgensi honoratos.

Ex

Ex ea filios suscepit sex, & filias duas, qui præter unum filium præmortuum, omnes adhuc sunt superstites. Quales verò illi conjuges domi forisque, in vita civili & disciplina domestica fuerint, notius est, quàm ut multis commemorari hoc loco debeat, cùm argumentum hoc ad concionem, quæ postea ornabuntur, funebrem magis pertinere videatur.

In morbum simul inciderunt sonticum & lethalem, quo maritus quidem extinctus fuit ea, quam diximus, horâ. Uxor verò nec in morte quidem à marito separanda ac divellenda, eundem horarum XXI. intervallo subsecuta est, & hesterno die, circa horam IX. matutinam, Deo Creatori animulam suam reddidit, annorum quasi XLIII. matronâ.

Reliquum est, ut fragilitatem rerum humanarum, & horæ fatalis incertitudinem cogitantes, extremum pietatis ac humanitatis officium cumulatè præstemus, tam defunctorum honori ac memoriæ, quàm superstitum solatio. Non tantùm enim in munere suo sic meritus fuit de hac Civitate Prætor epidanus pie defunctus, ut quicunque studiorum gratia suũ hîc aliquamdiu hospitium ac domicilium habuerunt, honore ejusmodi quietis & tranquillitatis publicæ, quantum

tum in ipso fuit, asserori debeant: Sed animo quoque semper erga ordinis nostri homines ambo fuerunt propenso ac benevolo.

Ite ergo, ite cives Academici exequias pari conjugum ex ædibus, quas, *dum fata Deus sinebant*, incoluêre, in cœmeterium suburbanum post Concionem funebrem efferendo: & inter alias, quæ pompam illam decent, cogitationes tùm Academiæ hujus, cui nova videntur impendêre pericula; tùm propriam quisque salutem atque incolumitatem Deo omnipotenti ac misericordi, gemitibus piis & suspiriis ardentissimis commendate. P. P. IIX. Cal. Octob. Anno M. DC. XIII.

XXXI.

Exequiæ Marthæ Richterin / Georgii Olai Sueci viduæ.

Hieronymus, lumen illud Ecclesiæ Christianæ fulgentissimum, cujus memoriam hesterno die celebravimus, inter alias hanc etiam protulit sententiam memorabilem: *Non memini me legisse, malè mortuum, qui libenter opera Pietatis exercuit.* Digna profectò

profectò sententia, quam cùm alias, tùm hoc potissimùm tempore subinde nobiscum cogitemus. Cùm enim inevitabilem esse moriendi necessitatem constet, neque minus & hoc certissimum sit, quod Cyprianus scribit: *Qualem te invenit Deus, cùm vocat; talem pariter & judicat*: Nulla res magis nobis cordi curæque esse debet, quàm illa ab Ethnicis quoque sanctoribus tantopere delaudata & exoptata; & à solis Christianis verè cognita *Euthanasia*. Hujus ergò spem propè explorandam cùm iis D. Hieronymus proponat, *qui Pietatis opera libenter exercent*: Quid aliud inde possumus colligere, quàm ut de felici ex hac vitæ emigratione judicaturi, nò tantùm extremum illum, quo vinculis anima corporeis solvitur, agona intueamur: Sed ad vitæ antè à singulis actæ tempora cogitationes nostras reflectamus. Ut enim ex fructuum præstantiâ arboris generositas; sic è Charitatis, quæ vocant, operibus fidei Christianæ sinceritas & vivacitas æstimatur.

Quamobrem cùm rursùs hodie funus effectendum sit fœminæ piæ, peste extinctæ: Animo quidem nos cohorrescere humanum est, quando in spectacula hæc iræ & indignationis divinæ oculos defigimus: *In ira enim DEI consumimur, & in furore ipsius terremur.* Veruntamen quia *DEUM timentibus omnia in bonum cooperari & ne morte quidem Nos separari à dilectione DEI, quæ est in CHRISTO JESU*

Digitized by Google

sti, *Domino nostro*, Apostolus sanctè affirmat: De illorum etiam, quos morbi tam formidabilis interventu vita hac erumnosa videmus abripi, salute ac felicitate neutiquam dubitemus. Sanè GEORGII OLAI Sueci, cujus exuvias ipso die festo Ascensionis Christi terræ mandavimus, vidua MARTHA Richterin, annorum quasi quadraginta duorum, laudem hanc inter eos, quibus cum familiariter conversata est, ab annis jam multis obtinuit, quòd Conciones Verbi divini publicas frequenter audiendo; preces ad Deum in cœtu piorum & domi religiosè fundendo; Cœnam Dominicam devotè usurpando; & proximo inserviendo, Pietatis opera libenter pro re nata & modulo tenuitatis suæ exercuerit.

Cui rei satis argumento vel hoc unum fuerit, quòd cùm operum, quæ à muliebri sexu solent artificiosè elaborari, solertia & elegantia victum sibi & filiolæ unicæ, *Magdalenæ*, jam anniculæ, quæ & ipsa nunc lethaliter decumbit, honestè parare posset: Tamen inter eos easq; qui operam Academiæ suæ in curandis, si res ita poscebat, ægrotis, maximè peste infectis, addixerunt, & ipsa nomen suum professa est. Ut autem divinæ benignitati & misericordiæ acceptum ferimus, quòd ex Academicis hactenus nemo illius indiguit ministerio: Ita casu fœminæ piæ non immerito doleamus. Cùm enim contag

pesti-

pestilenti infecta superioribus diebus fuisset Martini Henckelij Typographi, cujus hospitio, vivente etiam tum marito, & hactenus usa fuit, domus & familia: Et conditiones ipsi oblatæ essent, malo illi, ut humanitus loquamur, sese cum filiola maturè subducendi, non aspernandæ: Indignum Pietate sua judicavit, quorum in rebus prosperioribus experta esset benevolentiam & humanitatem, in adversis eosdem deserere. Atq; ita ipsa quoq; ante aliquot dies morbo sontico correpta, heri circa undecimam horã meridianã CHRISTO Redemptori, quem vivã coluerat, animulam suam reddidit.

Cùm ergò maritum habuerit ex ordine nostro talem, qualem Programmate publico sub initia magistratus nostri Scholastici descripsimus: Et ipsa dum valetudine firmã usa fuit, in demerendis nostri ordinis præcipuè hominibus, prompta semper ac parata fuerit: Agite Cives Academici erga ipsam quoque piè defunctam supremum Pietatis officium declarate; & funus postea Horâ III. ex ædibus Henckelii in Cœmeterium suburbanum ad sepulturã Christiano ritu efferendum, præsentiâ vestrâ cohonestate; & in hoc etiam itinere, *Hominis vitã nihil aliud, quàm ad mortem iter esse*, cogitate. P.P. Calendis Octobris Anno M. DC. XIII.

Invitatio

Digitized by Google

XXXII.

Invitatio ad auscultationem tarminis.

DAmnorum ex terribilibus & exitialibus, quæ nunc passim grassantur, & celeriter correptos interficiunt, contagiis emergentium, non postremum aut levissimũ hoc est, quòd studia Pietatis & bonarum ac necessariarum in vitâ communi artium illis impediũtur. Hoc enim pacto vastatis ac desolatis Scholis, verendum est, ne virorum paullò pòst desit copia, quorum ministerio & operâ Respublicæ juxtà atque Ecclesiæ, in maximi momenti negotiis possint uti.

Quæ cùm cogitamus; pia de posteritate sollicitũdo curaq; animos non immeritò nostros subit: Cùm etiam Plato dandam Civibus bonis operam moneat, ut de statione sua decedere â summo Imperatore jussi, cultores Deo pro se relinquant idoneos.

Sed qui hactenus inter tot ac tanta discrimina exigui cœtus sui conservatione, præter multorum spem & expectationem; contra plurimorum etiam vota, animum erga Patriam dulcissimam, & hanc privatim Acade-

Digitized by Google

miam Urbemque verè paternum mirificè declaravit: Eundem confidimus hujus etiam periculi, in quo adhuc versamur, finem eum denique facturum, ut divinæ benignitatis gratiâ recreati, salutis nostræ autorem, & Ecclesiæ Patriæque Conservatorem unicum animis gratis lætisque celebremus ac prædicemus.

Etenim cùm ante annos CL. Turcica rabies Imperium Orientale uno impetu absorpsisset: Quis tum futurum credidisset, ut tot annos Imperii Romani in Europa reliquiæ, & in his Ecclesiæ veræ sedes aliqua conservaretur? Viget tamen hactenus, & CHRISTO propitiante ac prosperante floret AXIOMA, quod ante tot secula Daniel prædixit, MONARCHICUM; Neque metas divinitus præfixas ac præfinitas transilire, aut Ecclesiæ Christianæ Hospitia funditus evertere potuit immanitas Turcica.

Hoc verò protectionis divinæ monimentum eximium, & prorsus singulare, cùm erudito carmine celebrare voluerit juvenis honestus & doctus, WENCESLAUS FEHRMANNUS Dresdensis opt. artium & Philosophiæ Magister; non possumus non conatum ac studium juvenis eruditi laudare atque approbare.

Cùm autem ad aliorum etiam diligentiam excitandam, & spem de Academiæ conservatio-

Digitized by Google

servatione & incrementis nonnihil confirmandam atque animandam ea res pertinere videatur: Hortamur bonarum artium Studiosos, & inprimis Musarum Christianarum cultores, ut postea horâ I. finirâ concione sacra, in auditorio maximo Collegii D. Fabri frequentes conveniant, & Carminis Recitatorem attenti & benevoli audiant. Dabitur enim & ibi occasio singulis, vota sua pro Ecclesiæ & Reipub. & quæ utriusq; seminatium est, Academiæ nostræ salute & incolumitate cum publicis piorum precib. quibus benignè misericors Deus annuat! cõjungendi P. P. V. Non. Octob. anno Christi M. D. C. XIII.

XXXIII.

Rectoris & Consilii Academici nomine proposita Citatio.

Die mensis Aprilis decimo octavo, quæ fuit Dominica Misericordias Domini, publicè affixis literis, Te N. N. peremptoriè citavimus, ut ad diem mensis Junii jam elapsi secundam hic coram nobis compareres, & causam diceres; cur ex arresto, quo justis de causis attinebaris, discessisses, & si quid haberes, quod contra liqui-

Digitized by Google

dationem damnorum & impensarum à N. N. cive Wittebergensi nobis exhibitam, proferre posses, id produceres; & tum sententiam Academici Senatus definitivam audires.

Tu verò contemptâ jurisjurandi, quo devinctus es Academiæ, religione, neque ad diem dictam comparuisti; neque causam absentiæ ullam reddidisti.

Etsi ergo dignus esses, in quem ea statueremus exempla, quæ legibus Academicis adversus contumaces earundem violatores sanciuntur: Tamen ne contra inauditum telatam fuisse sententiâ queri ullo modo possis: denuo TE ad dicendam causam publicè citandum esse duximus.

Citamus ergo TE N. N. peremptorie, & volumus, ut vigore illius, quam Academiæ juratus promisisti, fidei atque obedientiæ, ad diem mensis Decembris OCTAVAM, horâ NONA matutinâ coram Rectore & Senatu Academico te sistas, & ad ea, quæ tum proponentur capita respondeas; Hac additâ declaratione, sive comparueris, sive citationem hanc contumaciter contempseris, nihilominus in causâ hac decretum & executioni mandatum iri, quod jus postulat, & leges ac statuta Academiæ disponunt. P. P. & majoris authoritatis gratiâ munitum sigillo Academiæ, die mensis Octobris XI. anno Christi M. DC. XIII. Ere-

Digitized by Google

XXXIV.

Exequiæ Michaelis Steiniger VVeissenstadensis.

QUàm misera fuerit majorum nostrorum sub tenebris Papatus conditio, præter cætera sepulchrorum etiam inscriptiones testantur, ex quibus ista, quam in urbe Senensi perhibent extare, multorum sermone celebratur:

Tria sunt verè, quæ me faciunt flere.

Primum quidem durum; quia scio me moriturum.

Secundum verò plango; quia moriar, & nescio quando.

Tertium autem flebo; quia nescio ubi manebo.

Nec sanè immeritò luctu & angore exeruciati fuerunt perpetuo, qui de moriendi necessitate inevitabili, & horæ fatalis incertitudine cogitantes, judicii simul novissimi rigorem ante oculos sibi proposuerunt.

Quo magis felicitatem illam singularem agnoscere & exosculari nos decet, quam post repurgatam Evangelii doctrinam Ecclesiæ suæ Deus restituit. Hodie quippe vix primis imbuti veritatis cœlestis initiis magno

Digitized by Google

& invicto animo mortem excipiunt. Sciunt enim in Christum credentibus diem in his terris ultimum, natalem esse vitæ beatæ & immortalis. Sciunt tempora nostra in manibus esse Patris cœlestis, sine cujus voluntate nec capillus quidem de capite hominis potest defluere. Firmissimè deniq; credunt nostrum πολίτευμα in cœlis esse, & instare diem illum, quo transfigurabuntur piorum corpora, ut conformia reddantur glorioso corpori ipsius Filii Dei; quo die ad rem conferentur, quæ Servator noster jam mortem aditurus, ardentissimis à Patre æterno precibus petiit & impetravit: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant gloriam meam.*

Hac esse consolatione in morbo diuturniore, & ipso mortis agone sustentavit juvenis honestus & eruditus, MICHAEL Steiniger Weissenstadensis Variscus, ad cujus exequias ut Studiosam juventutem publicè invitaremus, rogati sumus. Quamobrem elogio defunctum supremo decorandum pro more, & ea breviter exponenda duximus, quæ ex fide dignorum narrationibus didicimus.

Parentes ille habuit pios & honestos: Natus enim Weissenstadii Variscorum fuit anno M. D. XXCIX. patre quidem viro Reverendo

Digitized by Google

verendo & erudito, GEORGIO Steinmetz: matre verò, fœmina omnium matronalium virtutum laude cumulata, ANNA, viri integerrimi NICOLAI Richter, saltuum ibidem Principalium præfecti filia, jam olim piè defuncta.

Pater cùm in ministerio Ecclesiastico annos undequinquaginta vixisset, & Ecclesiæ VVeisenstadensis primùm Diaconus per annos XXXIII. deinde etiam Pastor per annos XVI. fuisset, & in Capitulo, ut vocant, VVonsideliano Senioris & Camerarii dignitatem laudabiliter gessisset, ætatis anno LXXIV. grandævus obiit.

Ex filiis octo, quinque ad studia bonarum artium animum appulerunt, in quibus & Michaël noster fuit, qui anno ætatis XV. è Schola patria VVonsidelium missus, post exactum ibi annum, Curiam Variscorum sese contulit, & in illius urbis Schola celeberrima, præceptores nactus fideles & industrios ea per septennium integrum jecit studiorum fundamenta, ut idoneus dignusque habitus fuerit, qui ad Academiam mitteretur. Atque ita agnatorum & in primis fratrum obtemperans consiliis, anno superiore M.DC.XII. Mensis Maii die VI. in hanc venit Academiam, & fratri suo Gasparo sese adjunxit.

Digitized by Google

Cùm autem non hujus tantùm exemplum intueretur; sed meminisset etiam, quo pacto tres fratres in hac ipsa vixissent Academia: nihil magis cordi habuit, quàm ut laudatis eorundem insisteret vestigiis. Et quanquam S. S. Theologiæ potissimùm studio sese totum consecraverat; Tamen quia citra accuratam Philosophiæ cognitionem, parum fructuosum Theologiæ studium esse sibi persuaserat: utriusque Doctores publicè privatimque studiosè audivit. Cum auscultatione prælectionum & Concionum sacrarum, exercitia quoque disputationum conjunxit, & magnam de se spem & expectationem omnibus concitavit.

Effulsit in universi ipsius vita serium veræ & minimè fucatæ Pietatis studium, quod devota æterni Dei veneratione & invocatione, assiduâ sacrarum literarum lectione ac meditatione, usu Cœnæ Dominicæ frequente & religioso, obedientia denique erga leges Scholasticas promptissima declaravit; ab omnibus planè rixis & contentionibus alienissimus.

Ipso die Laurentii domum à cœna reversus horrorem sensit febrilem, & subsequentis diei paroxysmo graviter mox fuit afflictus & lectulo affixus. Etsi autem neque Medici cura, neque medicamenta defuerunt neces-

Digitized by Google

necessaria; quibus quidem effectum fuit, ut post adhibitam, Augusti die XXII. venæ sectionem, spem recuperandæ sanitatis conciperet; quippe qui & ægrotationis hebdomadæ septima extra portam animi caussa prodeambularit; Ad extremum tamen, exhaustis morbi diuturnitate viribus, succubuit.

Toto autem morbi, sanè vehementis, tempore, inter dolores capitis acerrimos, nullum ex ipsius ore verbum prodiit malum; sed argumenta edidit fidei patientiæq; Christianæ evidentissima. Cum astantium precibus pijs vota sua conjunxit, & contra assultus omnes Principis tenebrarum clypeo scutoque & gladio munivit Scripturæ sacræ, & sententiarum ex eadem lectissimarum recitatione, & Orationis Dominicæ ac symboli Apostolici iteratione fidem suam erexit & animavit.

Et quoniam paucis ante morbi initia diebus, Dominica nimirum I. X. à festo Trinitatis, quasi finem vitæ propinquum præsagiens, in publico Ecclesiæ cœtu Viatico cœnæ Dominicæ fuerat instructus; Totam animi fiduciam in precioso JESU CHRISTI sanguine collocans, vitæ exitum tranquillum & placidum, quemadmodum crebris gemitibus & suspiriis à Deo petierat, ita mi-dlustertius post horam III. pomeridianam impetravit.

Funus postea ex ædibus Christiani Schultes puteo in vico Judæorum proximis horâ III. in Cœmeterium suburbanum efferetur; quod ut comitatu frequentiore Cives Academici cohonestent, magnopere censemus. P. P. Die XII. mensis IIX. Anno CHRISTI M. DC.XIII.

XXXV.

Exequiæ Juditha Blumin virginis.

SEpulchra ideò secundùm viam veteres habuisse legimus, quò prætereuntes sepulti admonerent, & se fuisse, & illos esse mortales. Verùm ejus Virginis, ad cujus exequias ut scholasticam juventutem publico programmate invitaremus, rogati sumus, nomen ipsum argumenta nobis in memoriam revocat, ex quibus vitæ nostræ fugacitatem & incertitudinem æstimandam non uno in loco sacræ literæ proponunt.

Obiit enim nudius tertius post quartam vespertinam, in vera agnitione & invocatione Filii Dei, virgo, quam in hac civitate *Florem virginum* renon minùs, quàm nomine fuisse, neminem civium Academicorum, nisi qui planè peregrinus sit, ignorare arbitramur.

Ita

Digitized by Google

Ea verò est JUDITHA, viri honorati & spectati, *Andreæ Blumen*, prætoris quondam opidani filia. Hæc cùm parentibus carissimis ante tres hebdomadas intra pauculas horas orbata fuisset, in luctu hactenus, quod æstimare quilibet facilè potest, vixit acerbissimo, & morbo tandem paucorum dierum correpta lethali, verissimum esse probavit, quod Moses, vir Dei, in carmine suo pronunciat, quod inter Psalmos Davidicos legitur: *Facis*, inquit, *Domine, diffluere homines tanquam nimbum: somnium sunt; sicut gramen, quod subitò exaresit; quod manè floret & mutatur vesperi, excidituv & exaresit.* Eadem repetens David: *Hominis dies*, inquit, *sunt sicut herba. Nam sicut flos agri sic efflorescit: siquidem ventus pertransit eum, & non est, neq; agnoscet eum amplius locus ejus.* Et quis non cum D. Bernhardo exclamet? *Qualis est ista pulchritudo, quam levis febricula perdit, & rugosas nebulæ ita dissolvit, ut nec fuisse putetur?*

Quoniam verò *fragilitatis humanæ*, ut cum historico loquamur, *nimia in prosperis oblivio est*; & plures sunt, in quibus *prætervolantia corporis decrementa currentis ævi profectu defectuq;*, ut Arvernorum Episcopus loquitur, *labascunt*: Idcirco nonnunquam hujusmodi spectacula nobis ob oculos proponit Deus, ut *in mortuis vitam discamus*, secundùm

dum Ambrosium, vel potius brevitatem vitæ humanæ verè æstimantes, sapientiores reddamur.

Nata est JUDITHA BLUMIA, mensis Maji die XXIX. anno Christi M. D. XCII. atque ita tantùm unum & viginti annos, menses quatuor, hebdomadas duas implevit. Hic fortasse aliquis obitus præmaturi caussam in annis quærendam putet, quos *climactericos* eruditi vocant, quorum aliquos vitæ hominum insigniter infestos & ut plurimum fatales esse, observatione diuturna & multorum exemplis deprehensum creditur. Sed *Deus est, qui homines jubet mori, & facit, ut quos videramus non videamus; incipiamus videre, quos non videramus.*

Quamobrem in metu contagiorum venenatorum, qui nos adhuc, Deo sit peccata nostra castigante, circumstat, hoc etiam fragilitatis humanæ exemplum considerent universi, & vitam suam assiduis gemitibus ac votis Filio Dei commendent.

De ipsa verò defuncta nihil attinet, ut plura in medium proferamus. Parentum enim elogion, in hoc ipso loco superiore mense propositum, in recente multorum memoria quin hæreat, aut etiam manibus versetur, non est quod dubitemus. In primis verò hoc nomine commendatur virgo piè

defuncta

defuncta, quòd in curanda re domestica utilem & solerrem matri, quo ad vixit, operam navare fuerit solita, ut spes bona esset, si vitam Deus prorogasset, exemplum ipsam futuram *mulieris*, ut Regum sapientissimus appellat, *fortis*. Sed aliter æterno Deo visum, qui florem hunc celeriter abreptum & terræ matris gremio nunc illatum, in glorioso illo die, quo in integrum restituentur omnia, è sinu terræ revocabit, nulli deinceps corruptioni obnoxium futurum.

Vos verò Cives Academici, quibus parentum defunctæ memoria grata est, quique supremum filiæ defunctæ pietatis atque humanitatis officium, quod Christianos decet, præstare cupitis, funus postea horâ XII. ex horto suburbano in cœmeterium deveheendum, frequente comitatu comonestabitis, quod ut faciatis, magnopere censemus. P.P. ipso die Galli, anno M. DC. XIII.

XXXVI.

Invitatio ad creationem novi Rectoris.

SIngulari omnipotentis & misericordis Dei beneficio dies ille, dudum nobis

Digitized by Google

nobis exoptatus, illuxit, qui magistratus nostri scholastici sive honori sive oneri finē afferet.

Cras enim, Christo prosperante, Natalis instat Academiæ hujus, LUCÆ Evangelistæ memoriæ, in fastis Christianis consecratus: Eum diem cum Fundator Academiæ FRIDERCUS ille Sapiens, Princeps nunquam satis laudatus, quotannis creatione Rectoris novi in semestre hybernum insigniri consilio prorsus sapiente voluerit; & ad hoc usque tempus sanctio illa inviolata manserit: Nos quoq; decreto illi parebimus. Quamobrem universis & singulis, qui jurisdictionem agnoscunt Academicam, significamus, crastini diei horâ quasi septimâ, aut non multo pòst, in templo arci Electorali continuo, creandi novi Rectoris gratiâ conventuros omnium Facultarum Professores publicos, ut deliberentur & peragantur ea, quæ saluti & ornamento huic Scholæ sint futura.

Quo in congressu & conventu ut Cives Academici frequentes suo quilibet loco compareant, hortamur, & tum preces suas cum votis nostris ad supremum illum & unicum Scholæ hujus Rectorem ac Patronum conjungant; tum auscultandis iis, quæ in panegyri illa more hactenus usurpato, proponentur, benevolos sese & attentos præbeant. Si enim unquam tempus fuit, quod

ad

adimplorandum æterni DEI auxilium cogere nos deberet; nunc profectò illud esse negare nemo sanus potest.

Sed *apud bonos facile est imperium*: qui si cohortationi huic nostræ locum, uti patet, dederint; operam nos prorsus datum os experientur, ut neminem præstiti officii pœniteat. P. P. mensis Octobris die XVII. anno quem continet nomen ACaDeMIæ VVittebergensis.

XXXVI.

Exequiæ Helenæ Rotarii virginis.

QUarti nunc funeris indicendi caussam nobis, intra spacium non multum annuo longius, una eademque domus præbet. Nam paucis post initum magistratum scholasticum septimanis ad exequias Cives Academicos Nos invitavimus, *M. Matthiæ Rotarij* Senis decrepiti, & Ministri Academiæ emeriti; die scilicet mensis Julii quarto sepulti. Qui nos antecessit, eundem honorem habuit ejusdem M. MATTHIæ filio *Gotfrido* mensis Aprilis die XXV. Illius verò antecessor, anni superioris M. DC. XII. per semestre æstivum Rector, idem officium exhibuit

exhibuit uxori M. ROTARII *Magdalenæ*, ipso die Laurentii.

Ex horum parentum liberis utriusque sexus, numero novem, superstites hactenus fuerunt Andreas tantùm filius, & *Helena* filia, annorum XXV. virgo. Natam enim illam accepimus mensis Augusti die XIIX. anno æræ Christianæ millesimo, quingentesimo octogesimo octavo.

Ea sanctè & honestè à parentibus piis educata, non solùm solatio, dum vixerunt, utrisque fuit: Sed illorum etiam præsidio orbata, vitam egit ejusmodi, ut longioreillâ dignissima videretur. Propter eximiamenim pietatem, ad quam inde à teneris unguiculis fuerat assuefacta; & singularem modestiam ac morum suavitatem & elegantiam, nunquam illi defutura videbantur vel studia rectè de meritis paternis, ipsiusque *virginis* virtutibus judicantium; vel subsidia ad tolerandam honestè ætatem necessaria; Quippe cùm iis, quas commemoravimus, virtutibus, solertiam adjecisset, & industriam singularem in elaborandis artificiosè operibus illis, quæ Gynæceo suo semper honorifica. Viri quoque Principes, adeoque summi orbis terrarum Monarchæ duxerunt. Sed hanc etiam populo suo aggregare DEUS æternus voluit.

Corre-

Digitized by Google

Correpta enim morbo, quo nondum prorsus liberati sumus, contagioso, & mali violentiâ superata citò succubuit, & nudius tertius, circiter horam decimam imminentis jam meridiei, quod tempus matri quoque *Magdalenæ* fatale fuerat, piè placideque, inter preces devotas, & ardentissima ad CHRISTUM, generis humani Servatorem unicum, suspiria obdormivit.

Adeò nimirum verum est, quod ex Sapientibus quidam dixit, *Non ex censu nos ætari*. Quot enim annis mater defunctæ duplum illius ætatis, ad quam filia pervenit, totidem annis ejusdem triplum pæne superavit; illa post exactum vitæ annum sexagesimum, hic annum agens ætatis octogesimum quartum mortui.

In hæc ergo intuentes exempla ut cogitare debemus, *nihil damnis esse Christiano ad vitam æternam inhiant, quolibet tempore, quoque pacto abitumi*: sic nobis omnibus dictum putemus, quod Augustinus dixit: *Quia quando de hoc sæculo migrandum, scire non possumus, sine ulla mora de sinistra fugere festinemus ad dexteram. Non dignus* enim est *in morte accipere solatium*, ut Cyprianus ait, *qui se non cogitavit esse moriturum*.

Nostra sanè Helena à parentibus edo-

vdæ quasi præsidio quodam adduci sint propinquæ, cum aliàs crebrò fidem suam animare & confirmare solita fuisset religioso Cœnæ Dominicæ usu; ante hebdomadas quasi tres eodem viatico postremum in publico Ecclesiæ cœtu solait instrui. Nec in ipso vitæ exitu defuerunt eidem solatia, partim à ministro Ecclesiæ suggesta, partim ab ipsamet ex Spiritus Sancti armamentario deprompta.

Quæ cùm ita sint, vel absque cohortatione accuratiore postremum hoc pietatis & humanitatis officium eives Academicos defunctorum memoriæ & honori cumulatè præstituros confidimus: idque ut frequentes faciant, hortamur, & sua nobiscum Vota conjungant, ut Angelum tandem percussorem DEUS omnipotens & misericors coërceat, & propter nominis sui gloriam tranquilliora successori nostro reique Patriæ largiatur, tempora. Efferetur autem funus ex nosocomio Academiæ suburbano postridiem concionem, horâ III. P. Pomeridianâ Lucæ Evangelistæ Anno

M. DC. XIII.

Pro-

Programmata in Academia VVittebergensi publicè proposita,

RECTORE MAGNIFICO,

Viro cl. & excellentissimo

TOBIA TANDLERO Medicinæ D. & Professore publico.

I.

Rectoris & Consilii publici significatio de ordine lectionum.

QVod ab aliquot jam annis publico Senatus Academici decreto, factitatum fuit; idem nobis sub initium Magistratus scholastici omninò servandum duximus. Proponimus ergo in subjectâ tabellâ designationem eorum, quæ semestri proximo publicè docebunt omnium Facultatum Professores, ut quid expectare debeant, è studiosa juventute sciant universi.

Simul autem Deum æternum ac misericordem supplices veneramur, & ardentibus suspiriis gemitibusq; oramus, ut paterna motus gratia & benignitate, indignationis justissimæ furorem, quod hactenus clementissimè fecit, porrò etiam reprimat, & propter nominis sui gloriam, Patriæ nostræ dulcissimæ, & huic inprimis Sioni suæ temporalargiatur tranquilla, & à contagiis morborum venenatis libera ac secura.

Conservet denceps etiam salvos & incolumes singulos & universos, quibus publicæ doctrinæ cura de voluntate summi Magistratus commendata est, & qui discendi gratia domicilium hic habent, vel deinceps habituri sunt, eorumque labores prosperet ac fortunet.

Efficiat denique ut quemadmodum hactenus seminarium fuit hæc Schola, ex quo viri prodierunt in omni scientiarum ac disciplinarum genere spectati, quorum opera in negotiis gravissimis, & munerum publicorum functionibus Patria universa & vicinæ regiones fructuosè uti potuerunt, & adhuc utuntur: Sic in posterum etiam ad finem usque mundi Plantarium hoc ad decus & emolumentum Ecclesiæ & Reipub. fructus asferat uberrimos. P. P. XXIV. Octob. anno M. DC. XIII.

IX

IN FACULTATE THEOLOGICA.

LEONHARTUS HUTTERUS S. Th. D. & Professor Ordinarius, ac Collegii Theologici Senior, superiore æstate proximâ, grassante licet contagio pestilentiali, expedivit universam διδασκαλίαν θεσικὴν Controversiæ, de æternâ Prædestinatione Filiorum Dei ad salutem, instante jam semestri hyberno, σὺν θεῷ initio examinaturus varios tum veterum, tum recentiorum hæreticorum dogmata circa eandem materiam: postmodum vero expediturus controversiam de REGNO CHRISTI. Horâ IX.

FRIDERICUS BALDUINUS, D. Pastor & Superintendens in explicatione posterioris Epistolæ ad Corinthios perget, Horâ IV.

VVOLFGANGUS FRANZIUS, Theol. D. Templi arcis Præfectus, his pestium grassantium mensibus, in Leviticо ad caput usque duodecimum deductas explicationes, σὺν θεῷ, per capita sequentia continuabit, Horâ II.

BALTHASAR MEISNERUS, Th. D. Prophetæ Danielis interpretationem incipiet, Horâ IIX.

IN FACULTATE JURIDICA.

BARTHOLOMÆUS REUSNERUS U. J. D. & Decretalium Professor, Collegii Ordinarius & Senior, cœptam l. properandam. C. de Judic. pertexet, & pòst ad JUDICIORUM materiam ordinariam in Decretalibus redibit, Horâ IX.

LUCAS BEECKMANN, J. U. D. L. Quories 22. ff. de condit. & demonstrat. & ibi materiam Conditionis, SI NON NVPSERIT, seu viduitatis impositæ explicabit, Horâ III.

WOLFGANGUS HIRSCHBACHIUS, U. J. D. explicabit materiam juris Emphyteutici, & congrui, seu protimiseos, Horâ IV.

ERASMUS UNRUH, J. U. D. & Prof. L. si posthumus 14. & l. Gallus 29. ff. de lib. & posthum. enodabit, Horâ VII.

VALENTINUS GUILIELMUS FORSTERUS, U. J. D. & Professi legatorum materiam diffusam pertexet; & epitomen unam & alteram Institutionum præmittet, Horâ I. ac in gratiam studiosæ juventutis de autoritate juridica publicas aliquot disputationes habebit, Deo permittente.

IN

IN FACULTATE MEDICA.

ERNESTUS HETTENBACH, Phil. & Med. D. & Collegii Medicorum Senior, recensionem ad Rhazem factâ, quæ de Destillationibus dicenda restant, pertexet, accessurus dein ad partium capitis externarum morbos. Horâ IX.

DANIEL SENNERTUS, Phil. & Med. D. absolutâ jam doctrinâ de Febrium natura & differentiis, subjunget tractatum de pestilentiæ, malignarumq; & pestilentium febrium natura ac differentiis. Horâ III.

TOBIAS TANDLERUS, Phil. & Med. D. nunc temporis Rector, Anatomica quædam theoremata, quantum per occupationes licebit, enodare constituit, Horâ I.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

LAURENTIUS FABRICIUS, M. facultatis Philosophicæ Senior, continuabit explicationem præceptionum Grammaticarum, de naturâ, & proprietate sermonis Hebræi: Adjunctâ ratione componendi voces syntacticè in hoc sermone. Horâ I.

Digitized by Google

GEORGIUS VVECKERUS, Med. D. in explicatione lib. de Anima D. Philippi Melanchthonis perget, Horâ III.

ADAMUS THEODORUS SIBERUS Orator, oratorias verborum ac sententiarum figuras à plerisque omnibus confusè, & obscurè ut & multifariè atque imperfectè traditas, in ordinem, inque tria summa genera Docendi, Delectandi, Flectendi revocabit, & exemplis Græcis ac Latinis illustrabit, Horâ IV.

ERASMUS SCHMIDT, M. Græc. Profess. post enarratas proximâ æstate Trachinias Sophoclis, Lycophronis Alexandram, rerum antiquitatis Græciæ plenissimam, & Poëtarum atque Historicorum Græcorum studiosis utilissimam, explicabit, Horâ VIII.

IACOBUS MARTINI, M. absolutâ per æstatem proximam discussionum Logicarum Keckermannianarum parte priore, illas continuabit, posteriorem que per hiemem cum Deo absolvet horis ordinariis & extraordinariis.

IOHANNES WANCKELIUS Collegii Philosophici p. t. Decanus, propter certas causas se potiorem Quintio populi Israelitici historiam, inde à vocatione Abrahami, usque ad captivitatem Babylonicam, ex historiâ

horâ sacrâ & Chronico Philippi proponet, Horâ III.

AMBROSIUS RHODIUS, Phil. & Med. D. ante Ferias Natalitias σὺν θεῷ absolvet reliqua ex Quinto & Sexto Revolutionum Copernici. Postea proponet Arithmeticam practicam Magnam, quâ trium ipsius specierum operationes omnes è suis fontibus demonstrabuntur, Horâ VII.

TOBIAS TILEMANUS M. explicato & finito Computo Astronomico, ut vocant; ad tractationem secundorum Mobilium, ἢν θεὸς θέλῃ, accedet, Horâ I.

JOHANNES RODENBORCH Antuerpianus M. Poëseos Profess. Publ. libb. prudentii contra Symmachum interpretabitur, Horâ II.

II.

Exequiæ Michaëlis Rosenovii Fridlandensis Borussi.

DULCISSIMÆ promissionis *filii Dei, mortem non visurum in æternum, quicunque sermonem suum servaverit, sanctèque confirmantis*, exemplum russus nobis exhibuit luculentum divina misericordia & veri-

tas. Heri enim post horam meridianam duodecimam ita ex hac ærumnosa vita, ad placidam ac beatam quietem Deus evocavit juvenem ornatissimum & doctissimum, *Michaelem Rosenovium Fridlandensem Borussum*, ut astantes absque ullo mortis sensu illum naturæ debitum persolvisse, imò *Christo* Redemptori animulam suam tradidisse testentur.

Sunt autem ad manum consignationi, ab ipso per quatuor jam menses febri laboranti, ad eum finem inchoatæ, ut & argumentum præberent programmati funebri; & de supellectile defuncti populares certatores facerent, & luctum ex præmaturo obitu in animis consanguineorum minuerent.

O rarum & imitandum omnibus solicitudinis Christianæ exemplum! Sed accedit hoc etiã, quòd in iisdem schedis, quasi verba præiret, quibus exequias suas indici vellet, manu jam, ut apparet, vacillante adscripsit, *unice rogatos se velle*, tum universos comilitones, tum nominatim *cœterraneos suos* Borusses, *ut exequias suas comitatu frequente cohonestent*, & omnino curent, ut nõ tantum programma funebre in patriã suã perveniat; expresse additis etiam fautorum in Academia Lipsensi nominibus, qui curam hanc susceperint; Sed pompæ etiam funebris ritus & celebritatis in lite-

Digitized by Google

literas referatur, & ad parentes suos mittatur; siquidèm inter Borusios & Polonos nihil antiquius habeatur, quàm si nobilibus & honestis orti familiis, sepulturâ afficiantur honorata.

Agite ergo, agite Cives Academici, exequias, ite Commilitoni vestro, & animulæ ipsius beatæ desiderium prolixè & benevolè expletè. Atque ut qualem amiserimus, imò qualem ad cœlestem Academiam præmiserimus commilitonem, aliqua saltem ex parte cognoscatis; quid ipse in literas retulerit, audite.

Natus est Michaël Rosenovius annorum quasi XXII. juvenis, in opido Fridlando, quod non longè Dantisco distat, Patre quidè viro honorato ac spectato, Domino *Petro* Rosenowen, qui ad XXIV. annos Proconsulis in opido munere laudabiliter functus est. Matre verò, fœminâ nobili, & omnium matronalium virtutum laude cumulatâ, *Barbara* Winters, quæ adhuc vivens viduitatis molestias unius adhuc superstitis filii & duarum filiarum conspectu & consuetudine leniri, utque diutissimè leniat, ex animo precamur.

Ab his parentibus piè sanctèq; educatus, & inde à teneris unguiculis artium liberalium

Digitized by Google

studiis consecratus, puericiam exegit in trivialibus scholis Fridlandiæ Hannestonii, Lubrenii; In Poloniam etiam, linguæ cognoscendæ gratia, quam præclarè calluit, missus. Thoronii deinde in celeberrimo Gymnasio tres annos, & totidem in illustrissimo Stetinensium Pædagogio vivens, Philosophiæ & Theologiæ cognitioni pleniori ea posuit fundamenta, quæ structuram reliqui aevi facilè, si visum Deo fuisset, sustinere potuissent.

Interjecto tamen inter peregrinationem Thoronensem & Stetinensem sesquianno, in Cancellaria Palatinatus Pomeraniæ, ut & in regno Poloniæ stilum magno cum fructu exercuit, consilio, ut videtur, suorum obtemperans, qui ipsum vitæ generi politico præparari vellent.

Verùm adolescens ad Academiam primùm Francofurtensem missus, & tandem ad nostram hanc studiorum gratia ipso profesto die Ascensionis Dominicæ accedens, Philosophiæ & Theologiæ studium feliciter cœptum, gnaviter urgere cœpit, & hunc unicum scopum sibi proposuit, ut docendis aliis in Ecclesia CHRISTI servire aliquando utiliter posset.

Ac digna profectò sunt, quæ ab omnibus legantur, verba, quibus sanctum hoc animi

lium verè pii institutum expressit: *Animum eorum ad Theologiam se appulisse, primùm quidem in Divini nominis celebrationem, proximorum salutem. Deinde verò, quòd in frequenti sua & celebri familia nullus inveniatur, qui sese Deo ad publicè usque servientium addixerit.*

Huic verò instituto consentaneam egit vitam, sobriam scilicet, puram & sanctam, qua facilè sibi cum Præceptorum, tum eorum inter quos ageret, benevolentiam conciliaret.

Sed in hac statione strenuè militanti, ante ipsos quatuor menses febris invasit, qua exhaustis paullatim viribus ita fuit debilitatus, ut frustrà adhibitis & tentatis medicorum, quæ non defuêre, consiliis & auxiliis, spem omnem recuperandæ sanitatis abjecerit, & modis omnibus ad beatam emigrationem sese præparaverit.

Ea verò singulari misericordis Dei benignitate heri, quemadmodum dicebamus, ipsi contigit, quando veluti ad quietem se componens, unico tantùm suspirio, quod sentiri posset, edito, vitam in his terris suam finivit. Assiduis autem & ardentibus precibus, toto morbi difficilis tempore, auditus fuit sese Deo commendare; & cùm causam haberet, cur vitæ usuram diuturniorem optare posset, neque paucas, neque leves, tamen

men in voluntate divina totus acquiescens, mortem adventantem maximo animo excepit & devicit.

Reliquum est hoc unum, ut exuvias ipsius honorem habeamus: eum, quem & Christiana pietas, & familiæ honoratæ splendor, & ordinis literati dignitas, & juvenis optimi memoria ac merita postulant. Ad hoc ergo officium præstandum ut Cives Academici postea horâ III. ante ædes Abrahami Nöthen pictoris, Collegio Augusti oppositas, ex quibus funus in Cœmeterium suburbanum deferetur, frequentes conveniant, magnopere censemus. P. P. d. c. XXIX. Mensis Octobris Anno CHRISTI M. DC. XIII.

III.

Exequiæ Margaritæ Eprimgin.

CUm in rebus humanis & vita quotidiana *nullum* sit *honestius levamen, quam habere conjugem prosperis dubiisq; socian; & maritalis amor omnes omnium amores atque amicitias superet*: Recte colligit D. Augusti-

Digitized by Google

gustinus: *Quorum nos vita propter amicitiæ solatia delectabat, fieri non posse, ut eorum mors nullam nobis ingeret mœstitudinem.* Confirmatur hæc sententia multorum exemplis, qui morte jungi, quàm vita distrahi maluerunt.

Horum verò ut exempla imitari Christianis nefas est: ita nec illi quidem probandi, qui non nisi viventes reverentur. *Verum enim amor non debet occumbere cum dilectis*, & digna etiam Christiano pectore est vox ab Ethnico Poëta prolata: *Uxorem vivam amare voluptas est, defunctam religio.*

Hujus amoris exemplum illustre sacra historia nobis in Abrahamo Patriarcha proponit, qui orbatus conjuge concordissima & unicè dilecta, tum dolorem ex obitu illius conceptum abundè declaravit; tum nihil intermisit, quo testaretur, *perennem fidem & in amore constantiam finiri nisi morte non posse*: imò *veros non rumpere funus amores.*

Porrò quemadmodum hic ipse Abrahamus caritatem suam, quâ defunctam etiam SARAM suam prosequebatur, nullâ ratione melius testatam reddere potuit, quàm sepulturæ honestæ apparatu: ita vir honoratus & spectatus *Johannes Sprungius Jungerus*, Consistorii Ecclesiastici Electoralis in hac urbe

urbe Advocatus ordinarius, & hujus civitatis Senator, affectum suum erga conjugem pie defunctam declaraturus, exequias ejusdem programmate publico voluit honestari.

Expertus enim & ipse per annos sane multos fuit, verissimè dixisse Poëtam Christianum:

Mentis honos, morumq; decus sunt vincula sancti Conjugij.

Anno enim Christi M. D. LXXII. matrimonio legitimo sibi conjunxit fœminam omni virtutum genere ornatam *Margaritam*, viri item honorati & spectati, *Michaelis Mulleri*, cognomento Burenii, filiam, *Conradi Mauserj* junioris viduam, duûm liberorum matrem, filioli nempe jam olim mortui, & filiæ *Annæ*, quæ hodieque in conjugio vivit *M. Pauli Rewchenbachii*.

Cùm autem rarae sit felicitatis in conjugio κατόρθωσις: Hac quidem ex parte conjugium hoc inter prospera jure meritoque numeratur. Suscepit enim Johannes Sprungius ex cõjuge Margarita filios numero sex, filias verò quatuor.

Sed quo crebrior fuit lætitia ex fœcundicate; eò fuisse acerbiorem dolorem ex orbitate necesse est. Ex filiis enim unicum adhuc superstitem habet, *Ernestum Sprungium*.

Junge.

Digitized by Google

jungerum, Juris Studiosum: Johannem, Michaëlem, Hermannum, Christianum, Gotfridum; ut & filias Elisabetham, Margaritam, Mariam & Annam jam olim in patriam cœlestem, quo DEUS voluit tempore & ipse subsecuturus, præmisit.

Effulserunt autem in Matrona optima virtutes huius sexus propriæ, pietas nimirum erga DEUM, quam sedulâ concionum sacrarum auscultatione; religiosâ æterni & misericordis DEI invocatione ac celebratione; devotâ Cœnæ Dominicæ usurpatione, & tolerantia in adversis, maximeque in tam crebris suorum mortibus, & postremi semestris cæcitate incurabili studuit declarare.

Deinde amor erga maritum constans & perpetuus, & ex eo profectum obsequendi illi & morigerandi in omnibus rebus honestis studium. Cura item & solicitudo in educanda piè honesteque sobole, & administranda, pro parte uxoriâ, re domestica. Denique voluntas & propensio singularis præstandæ indigentibus quibuslibet caritatis illius, quam vivæ ac vegetæ Fidei & fructum & testem esse sacræ literæ docent.

Hujusmodi ergo conjugis consuetudine cum ultra XL. annos frui Johannem Sprungium DEUS voluerit: facilè colligere quisque potest, quo nunc animo jacturam

illius ferat. Cum ipsa quidem defuncta quin præclarè actum sit, non est quod dubitemus.

Cùm enim ætate, quam ultra annum climactericum, ut vocant, heroicum perduxit, vires animi corporisque debilitari cœpissent; accessit malum, de quo dicebamus, cæcitatis, quo factum fuit, ut neque cœtibus Ecclesiæ, quibus unicè delectata semper fuerat, publicis interesse; neque in curanda domo partes suas obire posset.

Itaque beatam ex his ærumnis emigrationem veris & seriis gemitibus ac suspiriis à DEO, vitæ nostræ arbitro, petiit, & tandem impetravit. Nudius enim quartus horâ nona matutina, in agnitione & invocatione Servatoris sui JESU CHRISTI tranquillè & placidè expiravit.

Vestrum nunc est, Cives Academici, tum defunctæ memoriæ meritisque, tum vidui erga ordinem nostrum præclarè animati & affecti votis honorem hunc habere, ut in cohonestandis frequente comitatu exequiis humanitatem Christianis & optimarum artium Studiosis dignam cumulatè declaretis. Efferetur autem postea horâ III. funus ex ædibus vidui, in platea Consulum sitis, in Cœmeterium ædi Mariânæ adjunctum. P. P. pridie Calendas Novembris,

Digitized by Google

vembris, ipso Natali die renascentis ante annos XCVI. Evangelii, Anno CHRISTI M. DC. XIII.

IV.

Invitatio ad auscultandam oratione de B. Luthero.

ETsi perpetuam assiduamque merentur prædicationem Viri præclarè, dum viverent, de Ecclesiâ DEI totaque posteritate meriti: Tamen iis potissimùm temporibus eorundem quotannis renovari memoriam decet, quæ tempora Deus illorum ortu nobilitare atque insignire voluit. Hoc enim nisi fiat, facilè ex hominũ animis deleri beneficiorum divinitus acceptorum recordatio potest.

Cùm ergo in fastis Christianis Martini Episcopi non ea superioribus diebus habuerimus, à quo nomen ominis sanè faustissimi in sacrosancto Baptismo accepit MARTINUS ille LUTHERUS, veritatis cælestis, à sordib. Pontificiis repurgatæ, assertor & propugnator magnanimus & invictus: Rectè omninò faciunt, quicunq; occasionem hinc sumunt prædicandi immensa æterni & misericordis Dei beneficia, quæ ministerio B. Lutheri usus, in Ecclesiam suam, & hanc inprimis Ecclesiam per annos propè centum contulit.

Digitized by Google

Inter eos verò nomen jam suum profitetur JOHANNES CLOSIUS Uratislaviâ-Silesius. Is cùm adolescentiam inter hostes veritatis Evangelicæ egerit: Tantò magis devinctum atque obligatum sese statuit ad prædicandam DEI benignitatem, quantò magis olim ad oppugnandam eandem fuit incitatus: Tantoque gratiùs nunc luce fruitur verbi divini purissimâ, quantò densioribus antea mendacii & errorum tenebris obrutum atque demersum se fuisse recordatur.

Quamobrem cùm declarandæ erga DEUM gratitudinis, testandæque suæ de religione verâ confessionis, & cum Ecclesiâ orthodoxâ consensionis gratiâ, in honorem D. Lutheri nostri orationem postea horâ II. publicè sit habiturus: Hortamur omnes optimarum artium, & privatim veræ pietatis amantes ac Studiosos, ut post finitam concionem sacram, horâ jam dicta, in Auditorio Collegii novi maximo frequentes convenjant.

Nam & officium hoc debemus memoriæ illius viri, cujus in hanc Scholam, adeoque universam patriam merita nulla unquâ pro dignitate celebrare poterit oratio: Et favorem benevolentiamque omnium meretur JOHANNIS Closii conatus laudatissimus: & ad exemplum imitationis pertinet, ut qui

in-

in eodem studii genere partes officii sui cupiunt implere: cupere autem omnes debent: rectis præeuntiũ vestigiis insistere assuescant. Omninò autem futurum confidimus, ut ex oratione recitatâ fructum auditores percipiant minimè pœnitendum.

Faxit Deus Academiæ hujus Patronus ac defensor unicus, ut ad finem usque Mundi inveniantur in hac Scholâ plurimi, qui ad divini numinis gloriam & ad Ecclesiæ Scholæque hujus decus atque emolumentum studia sua & actiones dirigant universas. P. P. Dominicâ resuscitatæ ex mortuis filiæ Jairi, & sanitati restitutæ Hæmorrhousæ. ANNO M. DC. XIII.

V.

Exequiæ Thomæ, Zachariæ filii, Schureri.

CUM in omni vita, omnibusque locis ac temporibus pium sit, nos cogitatione Resurrectionis in vitam à morte confirmare animos nostros, & consideratione communis conditionis fractos, aut luctu privato oppressos erigere: Tum præcipuè faciendum hoc est, quoties supremum pietatis & humanitatis officium ejusdem fidei

Digitized by Google

consortibus præstaturi, ad deductiones funerum convenimus.

Hoc ipsum verò officium etsi sua cujusq; pietas & humanitas hodierno die ab unoquoque nostri ordinis vel sine admonitione nostra exigere videtur: Tamen invitationem hanc publicam apud cives Academicos minimè infructuosam fore confidimus. Horâ II. in Cœmeterium ad ædem Marianam efferendas ex ædibus suis, & Christiano ritu humandas, curabit exuvias Filioli sui THOMÆ vir honoratus ZACHARIAS SCHURERUS, Bibliopola & Senator hujus civitatis.

Quo verò acerbiorem Parentes mœstissimi dolorem ex obitu Filioli carissimi præmaturo percipiunt: Natus enim ille anno superiore Calendis Augusti, horâ quarta matutinâ; & nudiustertius hora item quarta matutina denatus, annum duntaxat unum, menses quatuor, dies novem vixit: Hoc gratius illis officium, quod cumulatè à nostris præstandum censemus, accidet.

Præbet autem de fragilitate nostra cogitandi occasionem ipse etiam defuncti infantis morbus varius & multiplex. Ad febrim enim tertianam symptomata quædam, inter quæ & frequentior vomitus, graviora, eorumque nonnulla etiam à dentitione orta, accessisse accepimus, quorum vehementia

&

Digitized by Google

& diuturnitate corpusculi tenelli viricula sensim dejectæ sunt.

Verùm natus ille fuit parentibus Christianis, & per Lavacrum regenerationis & renovationis in Spiritu sancto renatus. Licèt ergo vasculum hoc secundùm originem testaceum destruatur: Tamen quia divini thesauri conditorium fuit, magna cum gloria propediem rursus exolletur.

Roboremus itaque spem & fiduciam nostram singuli, quòd certum & exploratum habemus, *instare jam diem illum gloriosum, quo in carne planè quidem mortali secundùm culpam; sed & vitali secundùm gratiam, Vita* CHRISTI *manifestabitur.* P.P. pridie Idus Decembris, anno reparatæ Salutis M. DC. XIII.

VI.

Exequiæ Barbaræ Schvvabiæ.

ETsi multæ extant in sapientum extra Ecclesiam scriptis consolationes, quibus adversus tristissimũ mortis intuitum sese & alios erigere ac sustentare conantur:

Digitized by Google

Tamen verisimè de universis illis usurpari vox Jobi potest: *Molesti estis consolatores omnes.* Cùm enim in ipsorum disputationibus, ubi ad summum pervenerunt, hæc duntaxat vita spectetur, neque ulla in iis habeatur futuræ vitæ ratio: postquam in omnes sese partes verterunt, & nihil intactum reliquerunt, fateri ad extremum coguntur, nihil esse homine miserius, qui non solùm sit in hac vita calamitosus, verùm etiam omni spe in posterum careat.

Christianorum autem ut *fiducia*; sic sapientia est propria *resurrectio mortuorum. Sciunt enim, quòd caro & visui, & contactui, & recordatui suo erepta, se receptura quandoque sit in integrum de corrupto, in solidum de casso, in plenum de inanito, in aliquid omnino de nihilo, redhibentibus eam ignibus & undis, & alvis ferarum, & rumis alitum, & lactibus piscium,* ut Tertulliani verbis utamur.

Hujus verò sapientiæ augendæ, & fiduciæ confirmandæ adminicula nō postrema sunt, tum curationes funerum & exequiarum pompæ; tum ipsa etiam mortuorum sepulchra, de quibus scitum est hoc Poëtæ non ignobilis:

Sunt testes vitæ tumuli, finemq; fatentur
Esse quidem alterius, principium alterius.

Hujusmodi verò meditationes quò magis necessariæ sunt & utiles: eò ferè minùs in mentem

mentem iis venire solent, *quibus omnia feliciter procedunt, quiq; nullis curis distrahuntur.* Quamobrem obviis, quod ajunt, ulnis amplectendæ sunt, quæcunque illarum offeruntur occasiones; Ex quibus & hæc est, cujus significationem publicam petentibus denegare non potuimus.

Efferendas enim postea Horâ III. curabit exuvias defunctæ conjugis suæ BARBARÆ, FRANCISCUS SCHWABIUS Raceburgensis Saxo, Academiæ hujus minister publicus, & chori Musici in templo arcis Astes.

Ea parentes habuit in hoc opido pios & honestos; patrem quidem JOHANNEM HOFFMEISTERUM Ratisbonensem, inter Quadraginta hujus civitatis, quos vocant, viros non incelebrem; Matrem verò MARGARITAM, ex honesta familia natam, & matronalium virtutum laude præstantem fœminam.

Ab his parentibus piè casteque educata primùm nuptum data est viro integro & erudito JOHANNI SPECKNERO Franco, Philosophiæ & optimarum artium Magistro, ex quo filium suscepit etiamnum superstitem, & filiam in primis infantiæ annis mortuam. Post obitum mariti præmaturum cùm in viduitate annos plusculos vixisset; obtem-

perare monito Apostolico, & *nubere ac familiam regere maluit, quàm dare adversario occasionem triminandi.*

Itaq; ad secunda vota transiens cum eo, quem dicebamus, FRANCISCO SCHWABIO matrimonium iniit, in quo supra triennium tres menses ita exegit, ut fœminæ piæ & honestæ specimen esset: Cruce tamẽ interim quæ propria Christianorum nota est, præcipuè ab adversa valetudine, minimè careret.

Ac postremo quidem vitæ haud longissimæ tempore, (ad annum enim ætatis quadragesimum tantùm pervenit) cum febribus, ita pietatem & patientiam ipsius exercente Deo, conflictata fuit ardentissimis: quibus semel atque iterum curâ medicorum liberata, tandem iisdem tertia vice invadentibus succubuit.

Itaque cum vires planè exhaustas *intelligeret*, ad migrationem sese beatam cùm aliis modis præparavit, tum sumpto viatico cœnæ Dominicæ die mensis hujus decimo quinto, in feria ad Deum cõversione, instruxit. Ab eo die interserias & ardentes ad filium Dei preces, & sententiarũ è sacra scriptura lectissimarũ recitationes, vitæ finem expectavit, quem ei misericors Deus placidum deniq; & tranquillum dedit. Die namq; XIX. hujus mensis circa horam octavam matutinam animulam

suam

suam Deo conditori reddidit. Corporis exuvias postea ex Collegio Augusti in cœmeterium suburbanum exportandas; & ad spem futuræ propediem resurrectionis in sinum terræ matris omnium condendas, ut comitatu frequentiore cohonestent Cives Academici, magnopere censemus. P. P. die XXI. mensis Decembris, exeunte anno M. D C. XIII.

VII.

Exequiæ Annæ Elisabethæ VVanckeliæ infantis.

QUàm verè dixerit quicunque dixit, liberos esse parentum χάρμα καὶ ἄχθος, experitur nunc vir clarissimus, JOHANNES WANCKELIUS, Historiarum in hac Academia Professor Publicus, & Facultatis Philosophicæ Decanus spectabilis, collega noster carissimus. Is enim exhilaratus nudius sextus felici & facili ortu filiolæ, ANNÆ ELISABETHÆ, jam sibi polliceri videbatur sensum prosperitatis illius, cujus ex intimis naturæ penetralibus hausta in adumbrationem versibus Euripides expressit suavissimis,

Περὶ

Πατρὶ δ' γέροντι θυγατρὸς. Ἀρσένων δὲ μείζονες
ψυχαὶ, γλυκείαι δ' ἧσον εἰς ἁπτέμματα.
Seni parenti filia nil dulcius.
Est major animus masculo: at puerilia
Dat ille blandimenta non tam suaviter.

Sed nimis vera sunt sapientum effata: *Nata soboles primo Parentes die hilarant. Mox pii metus brevem gratiam fugant*: Et, *Hanc omnibus humanis gaudiis legem natura dixit, ut cura voluptatem sequantur.*

Cujus generis sententias cùm proximis hisce diebus ipsum auditoribus in publica ἀνεγάσι proposuisse ad aures nostras pervenerit: Non dubitamus, quin pedisequam lætitiæ tristitiam, in agnitione Voluntatis divinæ, & contemplatione exemplorum, quæ vel antiquitatis qua sacræ, qua profanæ lectio submiistrat innumera, vel *ipsa* quotidiana exhibet experientia, animo sit æquo magnoque excepturus, & nunquam ex memoria dimissurus illud Jobi: *Dominus dedit; Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.*

Nam dolori illi, quem ex obitu filiolæ insperato percipit acerbissimum, quæ opponat solatia, si curiosè vellemus conquirere & inculcare; Dubitare videri possemus de Collegæ optimi pietate, promptaque erga Deum

Deum obedientia. Non postremum tamen inter cætera solatia & hoc est, quòd licèt infantulæ die XIIX. hujus mensis, horâ quasi III. matutinâ in lucem editæ viriculæ satis, ut audimus, vividæ, moram aliquam ferre viderentur; omni tamen festinatione properavit, ut eo ipso die *per lavacrum regenerationis ac renovationis in Spiritu sancto*, arbori vitæ, JESU CHRISTO, illa tanquam surculus insereretur.

Accedit & hoc, quòd dolores, quibus mox post peractum publicè Christiano ritu Baptismum affligi cœpit, ita & mitigavit, & citò finivit miser. cors DEUS, ut nullo atrociore, quod non raro fieri solet, spectaculo parentes pii excruciarentur. Die quippe hujusipsius mensis vicesimo secundo, paullo ante quintam maturinam placidissimè animulam suam CHRISTO REDEMPTORI reddidit, cùm vixisset dies IV. horas II.

Nostrum nunc est, cives Academici, ut & ipsi ad levandam parentum optimorum mœsticiam nonnihil conferamus. Melius autem pro re nata nihil nunc quidem videmur conferre posse, quàm si exequias ANNÆ ELISABETHÆ WANGKELIÆ frequentiores eamus, & pompam funebrem postea horâ III. ex ædibus paternis in Cœmeterium proximum prodituram nostra etiam præsen-

Digitized by Google

præsentia cohonestemus. Hoc verò cum eos, qui jurisdictionem agnoscunt Academicam, ultrò facturos, suamque erga Collegam nostrum affectionem prolixè declaraturos jure meritoque confidamus; verbum non ampliùs addimus. P. P. die XXIII. mensis Decembris, Anno CHRISTI M.DC.XIII. exeunte.

EPITAPHIUM.

Patre Wanckelio sata Johanne
Hîc ANNÆ, requies ELISABETHÆ
Post vitam data quatuor dierum,
Ad materna Aviæ latus, Decembris
Cùm ter septima lux abiret; Anno
Post M. DC. quæ XIII.

IIX.

Adjuventutem Scholasticam.

PLaudite Christicolæ, Pueroq; applaudite Natò:
Natus homo Deus est; Deus est placatus, & iram
Sustulit iste PUER. veneranda ex ordine Patrum
Plaude trisecliseni series. Tu cœlica plaude
Curia; cum aligero Cunas agitato senatu.

Ecce

Digitized by Google

Ecce DEUS fit HOMO: Hunc Virgo parit integra. Mater
Talla; Creatorem ipsum plasma; & Nata Parentem.
Sontibus hic insons; Deus hic mortalibus; ægris
Roburbic; hic inopi sua copia: Vitaq; Mors est.
Plaudite iò infantes: Deus est adveniens hic Infans.
Plaudite iò pueri; pueris Puer editur isti hic.
Plaudite iò extorres: patria hospes hic exulat aulâ.
Plaudite iò servi: en servili in schemate Numen!
Plaudite iò famulæ: famula ecce Puerpera regnat.
Plaudite iò oppressi: vestrũ in se hic põdo receptat.
Plaudite iò investe hic cœlite vestit abollâ.
Plaudite iò flentes: vobis hic Pusio vagit.
Plaudite iò algentes: vobis rigidâ alget in ulvâ.
Plaudite iò Lasari; vos hic locupletat egendo.
Plaudite iò exanimes: potis hic animare sepultos.
Quis polus aut tellus talut omnibus omnia? Túne
JESULE, túne PUER, túne omnia sufficis omni!
Plaudite Fatidici: stella est exorta Jacobo;
Virgáque Jessæo de caudice nata, viresci.
Ysacida indormi: lapidis cervical inungue.
Somniad, omnibus nunquam caritura, recense.
Scala tua, en! stat humi; terris en! æthera jungit.
Scilicet iste PUER scala est; hãc fidem adito.
Plaude Abraham credens; benedicti en Seminis ortum!

Plaude

Plaude Eva; nempe Virum gaude JAM indepta
JEHOVAM.
Plaude iò ADAME; is adest, colubri qui vin-
dicet astum.
Messiam cognosce tuum Solymæa; Jehuda,
Nosce tuum ADONAI tandem, notúmque
tremisce.
Munera fer Regi, recutite, Hominiq;, Deóque;
Munera fer Puero; Puero fige oscula nato,
Si sapis: aut frustatim, ut frivola testa, peri.
Saltem Infanticolæ, Genii melioris alumni,
Adproperate citi; & tus, myrrham, aurúmque
litate.
Gratantes animate precum spirantia plenis
Balsama turibulis, & odoras spargite nubes:
Crimen enim cœli exspiravit, & horror ad urbem.
Luridus iste PUER vanas disflavit in auras
Letiferas à peste minas. Turpe ergo cuculi
Exesto ingrati specimen; placeatque Magorum
Ire per exemplum, gravidæq; imitamina dextræ.
An CHRISTi est, CHRISTO renuens munusculum egenti?
Sostra rependit Hero, pendit qui sostra Ministri.

Autore Johanne Rodenborch
Antuerpiensi.

P. P. Feriis Natalitiis Emanuelis.

Invit-

Digitized by Google

IX.

Invitatio & auscultationem carminis.

Jucundum nobis hesterno die spectaculum exhibuit eorum, qui è studiosa juventute munera sua ad aram detulerunt, frequentia. Non solùm enim lætati sumus, cohortationem nostram tantum apud eos pondus habuisse; sed in spem etiam adducimur bonam, fore ut post dissipationem diuturniorem paulatim augeatur cœtus scholasticus; quam spem nostram ut misereatur Deus propter nominis sui gloriam jubeat velitq; ratam esse, ex animo precamur.

Hodie, post finitam Concionem vespertinam aliud nobis lætitiæ & bonæ speranargumentum præbebit JEREMIAS HICKMAN Dipoldwaldensis Misnicus, Alumnus Electoralis, & unus ex eorum choro, qui in Templo arcis hymnis quotidianis laudes divinas ex instituto Fundatoris hujus Ædemiæ celebrant. Is enim carmen Heroicum recitabit quo beneficium prædicat æterni & omnipotentis Dei, quod in genus humanum per nativitatem Filii sui ex virgine Maria contulit.

Ad hujus carminis auscultationem si frequentes in auditorio Collegii novi maximo, horâ secundâ convenjant studiosi juvenes. Rem facient & nobis gratam, & se dignam, & vel ad alendam pietatem, vel ad excitandam imitationem minimè infructuosam. Jam R. P. VII. Cal. Jan. inchoaturi annum CHRISTI M. DC. XIV.

X.

Rectoris & Consilii publici decretum, de relegatione.

L. B. H.

CElebrat hodierno die memoriam Ecclesia obedientiæ, quâ *suos Deiferos parentes honoravit, Deus servulos, non naturæ debita, sed pietatis officio.* In hoc verò exemplum si tanquam in speculum, quod universi facere debebant, intuerentur, qui à parentibus & patronis studiorum gratiâ ad nos mittuntur; futurum omninò esset, ut quemadmodum ætate, sic etiam sapientiâ cuncti gratiâque tum apud Deum proficerent, tum apud homines.

Verùm enimverò cùm in eos ipsos reperiantur nonnulli, qui frenos obedientiæ non

non solùm exercuant ipsi, sed aliis quoque ad omnis generis flagitia duces sese præbeant. argumento hoc quidem est, rarissimè illos, imò nunquam sibi exemplum obedientiæ perfectissimum proponere.

Interim verò NOBIS, quorum curæ ac fidei spes & vota sua boni parentes committunt, necessitas imponitur, ut tantò majore vigilantiâ paucorum prævitati petulantiæque obviam eamus, quanto plus damni ex intempestivâ timendum videtur connivientiâ. Plus enim exemplo, quàm facto plerumque nocere experientia docet, qui in uno itemque altero deprehensi delicto, & semel iterumque impunitatem consecuti, nullis sese incepta legibus devinctos & obligatos arbitrantur, atque eò tandem progrediuntur audaciæ atque amentiæ, ut in paçatis locis ea perpetrare non vereantur, quæ in apertis vix designantur bellis aut latrociniis.

Hujusmodi quietis & pacis publicæ turbatores, Dei hominumque odia, & laudatarum dedecora ac dehonestamenta familiarum, diutius nos ferre leges Scholasticæ & sanctiones Principales vetant.

Quare cùm hactenus ita sè gesserit L. B. H. ut nullum maliciæ, proterviæ contumaciçi genus ferè dici aut cogitari possit, in

quo non tum ipse versari, tum aliis præire voluerit, & nulla emendationis spes appareat: facere aliter non potuimus, quàm ut ex nostra eundem societate removeremus.

Quamobrem illum ad annos V. ex hac Academiâ nostrâ relegamus, & hoc ipso die ante Solis occasum discedere, & urbe agroque Wittebergensi exire jubemus. Eos verò, qui socios sese & comites Turbonibus quibusdam interdum præbuerunt, monitos publicè volumus, ut maturè resipiscant, ne ad eandem animadversionis severitatem nos quantumvis invitos ac reluctantes cogant & compellant. In universum autem studiosos adolescentes hortamur, ut juramenti præstiti memores, pravæ sodalitia, tanquam præsentaneam optimorum etiam ingeniorum pestem, cane pejus & angve oderint ac fugiant, & caveant, ne pervicaci legum violatione damnum sibi ipsi & dedecus attrahant. P. P. Dominicâ primâ post Epiphan. anno M, DC. XIV.

XI.

Exequiæ Margaritæ Hoffmeisterin *Virginis.*

Dies hic agitur vicesimus, ex quo tetræ Christiano ritu mandata est matrona pia

ta & honesta BARBARA, primùm M. JOHANNIS SPECKNERI Franci, deinde FRANCISCI SCHWABII conjunx: De cujus parentibus quæ tum pro more commemorata fuerunt, non dubitamus quin in recenti hæreant eorum memoria, quorum in oculos aut manus programma pervenit funebre.

Iis verò hoc addendum in præsentia putavimus, quòd BARBARÆ pater JOHANNES HOFFMEISTER patria Ratisbonensis, inter honoratos sui ordinis cives, dum vixit, fuit numeratus: quippe quem & senio, & plurimo rerum usu venerandum præcipuo collegæ loco semper habuerunt.

Is ergo in conjugio concordi & fœcundo vixit cum uxore sua MARGARITA CRUGIN, matrona item honesta ac pia, per annos quadraginta octo, duodecim utriusque sexus liberorum pater factus, ex quibus filius adhuc unicus & duæ filiæ sunt superstites. Post reliquorum autem obitus, nuditis tertius ad plures emigravit ex hac vita mariti cognominis filia MARGARITA, ad cujus exequias, ut scholasticam juventutem invitaremus, tum propter memoriam parentum honestissimorum, tum propter defunctæ vitam sanctè ac laudabiliter inter nos actam, facilè à nobis impetrari permisimus.

Nam de ipsa ex fide dignis cognovimus, quòd cùm anno CHRISTIM, D. XXCVI. mense Septembri in lucem fuisset edita, pie casteq; fuerit à parentibus optimis educata. Parente autem utroque orbata, & præsidiis humanis destituta, spem & fiduciam omnem in Deo viduarum judice & pupillorum patre collocans, nihil antiquius habuit verbi divini lectione & auscultatione, ad quam à teneris unguiculis assuefacta fuerat, religiosa & assidua. Nullum enim diem abire, nisi valetudine impediretur, passa fuit, quo non publicis verbi divini concionibus in utroque hujus opidi templo interesset, & cum publicis Ecclesiæ precibus suas quoq; conjungeret.

Fidem item suam devoto Cœnæ Dominicæ usu roborare sæpissimè solita fuit. Unde factum, ut cùm febri ante aliquot hebdomadas ardente correpta, graviter decumberet, & vitæ finem instare præsagiret, viatico hoc salubertimo ad beatam ex his ærumnis emigrationem ante dies pauculos instrui voluerit.

Ex quo tempore rerum terrenarum cura deposita, & spe sua in JESU CHRISTO, IMMANUELE nostro unicè collocata, ultimos vitæ dies inter ardentes ad DEUM preces, & sententiarum è sacris bibliis lectissimarum recitationes transegit, & animulam suam

suum nudius tertius horâ I. pomeridiana CHRISTO Redemptori reddidit.

Ita ergo cum & nata sit, & vixerit, & obierit MARGARITA nostra, pompam exequiarum ex ædibus M. Georgii Malleri typographi postea Horâ III. prodituram, ut comitatur in cœmeteriũm suburbanum frequente cives Academici honestent, magnopere censemus. P. P. die IX. Mensis Januarij, Anno M. DC. XIV.

XII.

Rectoris & Consilii publici nomine propositio cessatio.

QUANDOQUIDEM superioribus diebus facinus immane ac barbarum perpetrasti H. H. S. & inclytã N. N. nationem, quantum in te fuit, dehonestasti: visti, dum nõ tantum letaliter sauciasti, sed in ipsa facie, quæ portio non postrema est similitudinis à Conditore homini impressæ, fœdissimè deformasti juvenem hujus opidi civem & sponsum, in ipso jam nuptiarum propediem celebrandarum apparatu occupatum: & præterea vel ex arresto discessisti, vel quærentibus copiam ac præsentiam tui facere, malitiosè ac dolosè hactenus

ctenus detrectasti: Publica hac significatione tibi serio mandamus, teque PEREMPTORIE citamus, ut ad proximum diem Mercurii, qui erit XXVI. Januarii, horâ NONA ante meridiem, in ædibus Rectoris, & horâ ejusdem diei pomeridianâ PRIMA in consistorio judicioque nostro compareas, & rationem tum facinoris perpetrati, tum violati arresti reddas, & sententiam à Senatu Academico ferendam audias.

Quod si fidem datam perfringere, & auctoritatem publicam, contumaciter detrectare perseveraveris; futurum scito, ut cum infamiâ perpetuâ ab Academiâ nostra excludaris; quod nos tamen, qui æternum ubique affectum præferendimus, & N. præsertim nationis studiosos favore non vulgari prosequimur, fieri nolimus. P. P. die Januarii XXIII. anno Christi M. DC. XV.

XLIV.

Exequiæ Georgii Ubelhopfii Byruthini Franci.

INTER juvenes optimarum artium studiosos, quos decus quondam hujus

hujus Academiæ FRIDERICUS TAUBMANNUS unicè, dum viveret, caros habuit, non postremum locum tenuisse accepimus GEORGIUM UBELHOPFIUM Byruthinum Francum. Ad hujus exequias Christiano ritu hodie celebrandas cùm invitandi, rogatu popularium, essent Cives Academici; facere non potuimus, quin ea, quæ de juvenis pie defuncti ortu, vita exituque, ex fide dignorum relatione, didicimus, paucis pro more exponeremus.

Igitur patrem Byruthi GEORGIUS nostet habuisse dicitur sibi cognominem; civem inter suos spectatum & honoratum; Matrem verò ex SEMELBECKIA familia, quam in eadem civitate inter honestas ac celebres numerari perhibent.

Ex his parentibus ante annos quasi XXII. honestè natus, pieque & laudabiliter à teneris unguiculis educatus, cùm prima studiorum fundamenta in schola Byruthina feliciter jecisset; Curiam Variscorum primum ab illis fuit missus, & præceptores ibi nactus fideles & industrios, progressus in studiis eos quadriennio fecit integro, ut dignus haberetur, qui ad Jenensem Academiam mitteretur.

In ea cùm annuum, nominoratus esset tempus; antetriennium huc sese contulit,

Digitized by Google

ut præclarè inchoatum studiorum cursum, ad finem, Deo prosperante, optatum perduceret.

Integrum autem ferè biennium iisdem Aquilinus ædium Taubmannicarum, ita vixit, ut & assiduitate in studiis qua Theologicis, qua Philosophicis, & morum honestate atque integritate singularem sibi Præceptoris & hospitis tanti favorem conciliarit.

Illo verò studiorum morumque formatore ac teste præmatura morte orbatus, nihil tamen de priscina remisit diligentia, sed cœptum studiorum cursum strenuè urgendo, talem se gessit, ut expectationi omnium egregiè responsurus, & in virum Patriæ utilem evaturus videretur. Sed

Iure vocata fuit mors, quia mortis amarus
Omnibus est, à quo nemo cavere potest.

quemadmodum non malè quidam dixit. Atque ó felices, qui ita se comparant, ut quoniam nullo non loco & tempore mors ipsos expectat, eandem & ipsi nullo non loco & tempore ita expectent, ut ad felicem ex hac mortalitate emigrationem rectissimè semper instructi deprehendantur.

Qua

Quo in genere ut optime sibi GEORGIUM nostrum prospexisse statuamus, vel hoc unum facit, quòd cùm assiduus fuerit concionum sacratum auditor, & fidem suam alias que Christiano homine dignas virtutes in vera erga Deum pietate exercere & declarare studuerit; die ab hinc nono in publico Ecclesiæ cœtu cœnæ Dominicæ particeps fieri postremùm voluit.

Est autem in morbum præter omnium expectationem incidit acutissimum, cujus vehementia tanta fuit, ut verba quædam ipsi expresserit insolita. Est tamen quod ipsi gratulemur, quòd absque diuturniore cruciatu vitæ finem tandem habuit placidum & tranquillum. Cùm enim quartum diem decubuisset, nudius tertius horâ secundâ matutina in agnitione & invocatione Filii Dei animulam DEO Creatori reddidit.

Exuviæ corporis in sinu terræ, quæ omnium mater est, condendæ, postea hora tertia in dormitorium suburbanum efferentur ex ædibus sutoris, vicini domini ANDREÆ BLUMII. Ad has ergo præsentia frequenti cohonestandas, ut accedant Cives Academici, & commilitoni huc postremum pietatis ac humanitatis officium certatim præstent, magnopere censemus, & cui in hujus etiam funeris deductione secù cogitent, hortamur; *Ad hæc nos ludibria nasci ut ei*

potius

potissimum nulli simus, cùm florere nos maximè arbitramur: & Latère ultimum cujusq; diem, ac observentur omnes dies. P. P. pridie Calendas Februarias, anno CHRISTI M. DC. XIV.

XVI.

Rectoris & Consilii publici nomine publicata, H. H. S. citatio secunda.

PArentis nomen Augusto Cæsari tum aliis ob causas bene convenisse prædicat Seneca; cùm quòd dare illum pœnas apparebat, cùm exigeret. Non dissimilem admodum pro animi erga te paterni argumento habere debuisses H. H. S. quòd tum aliorum criminum, tum violati Arresti rerum, citare ad dicendam causam, quàm pœnâ commeritâ vigore legum Academicarum protinus afficere maluimus.

Verùm enimverò cùm Tu neque ad diem dictam comparueris, neque tot hebdomadum intervallo animi ad meliorem frugem parati pronique significationem ullam præbueris: quid aliud facere possumus, quàm

quàm quod leges jubent; & tua nobis contumacia quandum vis invitis & reluctantibus exprimit & extorquet?

Ac sanè quoniam exclusionis famosæ, programmate publicè die XXIII. Januarii proposito denunciatæ, interminationem contempsisti: ut minæ ad rem conferrentur, tu ipsa omninò postulabat.

Sed ne ullam corrigendi tui rationem neglexisse videamur; hoc etiam affectus erga te paterni indicium addere prioribus placuit, quo nisi rectè usus fueris, infortunii ipse tui architectus habeberis.

Denuò ergo T.E H.H. S.S. & quidem peremptoriè citamus, & jubemus, ut ad VI. diem Aprilis appropinquantis, horâ antemeridiem NONA, in ædibus Rectoris, & deinde horâ ejusdem diei PRIMA pomeridianâ in consistorio judicioque nostro compareas, & perpetrati facinoris, violati arresti, contumaciæq; in negligendâ citatione publicâ rationem reddas, & sententiam à Senatu Academico ferendam audias.

Ita verò tibi certissimè persuadeas, si ad diem dictam tui nobis copiam facere contempseris: cum infamiâ perpetua ab Academiâ nostrâ Te, nullâ deinceps morâ, exclusum iri. Promulgatum die XIII. Februarii anno M.DC.XIV.

Exequia

XV.

Exequiæ M. Tobiæ Tilemanni Mathematum Professoris publici.

CUm tres sint in hac Academia Philosophiam & liberales Artes docentium ordines; Primus & summus Professorum publicorum; Proximus ab his eorum, quos Adjunctos vocant; infimus eorum, qui privatim docendo studia literatæ juventutis adjutum eunt: In his omnibus tam præclare & laudabiliter se gessit TOBIAS TILEMANNUS, ut non tantum frequentem plerumque habuerit auditorum numerum; sed ad supremum quoque illum ordinariâ & legitimâ viâ provectus Spartam divinitus concessam ornaris egregiè.

Nam & fide, assiduitate diligentiaq; in muneris gravissimi functione se ipsum vincere contendit; & morum honestate, vitæq; integritate tum Professionem suam ornare, tum juventuti exemplo esse studuit; & observantiâ erga majores, candore erga æquales; benevolentiâ & obsequiorum promptitudine erga inferiores quosque, omnium sibi favorem amoremq; conciliare, quoad vires tulerunt, nunquam destitit & intermisit.

Verùm quemadmodum inde à tenera ætate conatibus ipsius ad altiora contendentis,

non-

Digitized by Google

non parum obstitit corporis constitutio minus firma, & variis morborum assultibus obnoxia: Sic eadem in caussa fuit, ut vix unum atque alterum mensem ultra biennium in ordine Professorum publicorum impleverit. Itaque obitus hujus etiam Viri præmaturus vulnera huic Academiæ, & privatim Philosophorum Collegio Amplissimo proximis hisce tribus annis illata, & cicatricem vix jam ducentia, refricat & renovat. Ad jacturam enim, quam in M. Henrico Velsthenio die XXIIX. Aprilis Anno M. DC XI. In D. Melchiore Jôstelio Id. bus Junij ejusdem anni: In Friderico illo Taubmanno die XXIV. Aprilis, superioris anni fecimus; quarta hæc tanto accedit gravior, quanto pauciores hoc tempore videmus ad studiorum genus illud, cujus doctor Tilemannus noster fuit, animum applicare. Sed qui in reliquorum loca successores suffecit idoneos: Eundem huic etiam vulneri medicinam suo tempore facturum salutarem, non est quod dubitemus.

Nunc ut honorem pie defuncto supremum habeamus, & petitioni eorum, quos in luctu ut gravissimo, ita justissimo reliquit, satisfaciamus, primum hoc significamus; Natum prehiberi Tobiam Tilemannum Calendis Februarii, anno M. D. XXCVI. patre Viro Reverendo M. Barthol. Tilemanno, Ecclesiæ

huius

hujus Archidiacono, matre ANNA Bellin quorum ille filium brevi intervallo subsecutus jam olim ad plures abiit: Haec vero rara ut felicitatis, ita calamitatis exemplum spirat quidem adhuc; sed ut melioremad vitam in dies, imo in horas aspiret singulas.

Videt enim duos filios Professores in Academia nostra Publicos: Illud ex iis majorem FRIDERICVM TILEMANNVM J.U.D. & Historiarum Professorem, ante annos quasi XVI. acerbo funere elatum, cum eluxisse videretur: Ante semestre plagam novam *Elisabethae* filiae morte accepit: Itaque senectutem suam filii Carissimi TOBIAE praesentia & honorum incrementis solabatur.

Hic enim patris fratrisque, virorum immortali laude dignissimorum, vestigiis insistens, cum Magistri Philosophiae & bonarum artium honores & insignia mature consecutus esset; privatim legendo ac disputando non modo sumptus studiorum sibi comparavit: Sed & progressus in omni disciplinarum genere ejusmodi fecit, ut dignus fuerit habitus, qui Calendis Maij anno M. DC. X. Adjunctorum, quos nominabamus, numero post experimenta solennia a Collegio Philosophico adscriberetur; & nondum elapso deinde biennio, Mathematum Profes-

Digitized by Google

sor

sor publicus crearetur. Eum verò adeptus honorem matrimonio sibi mense Junio anni M. DC. XII. junxit JULIANAM, cujus parentes honorati, Caspar Metzner / olim Quæstor in hac urbe Electoralis, & Martha Friderici Pfluchritters Præfecti olim & Consulis Bornensis filia, nunc præmaturo generi obitu in luctum itidem, ut Vidua derelicta, conjecti sunt acerbissimum.

Verùm enimverò cùm valetudinem toto ferè conjugii, cætera suavissimi & concordissimi, tempore expertus fuerit M. TOBIAS TILLMANNUS incertam & adversam: non est quòd felicitatem manibus illius beatis hanc invideamus, quòd finem tandem cruciatuum diuturnorum habuit optatum. Ad reliquas enim molestias, quibus fermè literatorum diligentissimus quisque expositus est, proximis aliquot mensibus febri cum ictero accessit, & orta ex diuturnitate morbi tabes vires reliquas ita afflixit & prostravit, ut abjecta recuperandæ sanitatis spe, emigrationem ex hoc miseriarum hospitio tranquillam & placidam unicè desideraret; quam etiam à misericorde Deo nudius tertius, intra primam & secundam horam pomeridianam tandem impetravit.

Reliquum est, ut quicunque jurisdictionem agnoscunt Academicam, tum ut honori

nori ac memoriæ Viri præclarè de re literariâ & plurimis è studiosa juventute meriti, supremum pietatis & humanitatis officium præstent; tum ut affectionem erga superstites animi sui testentur; pompam funebrem postea horâ I. ex ædibus defuncti ad concionem priùs funebrem in ædem Marianam; deinde ad sepulturæ locum deducendam, præsentiâ suâ cohonestent.

Hoc verò etsi vel sine cujusquam admonitione Cives Academicos prolixè facturos confidimus; Tamen voluntatis quoque nostræ significationem, quam petentibus pro more denegare nullo modo potuimus, nonnihil ad eam rem momenti allaturam speramus. P. P. VI. Cal. Aprilis Anno M. DC. XIV.

XVI.

Exequiæ Iohannis Iacobi VVidemanni Palatini.

CUM fragilitatem hominis sacræ literæ non minùs, quàm Philosophorum scripta multis modis exprimere soleant: vix quicquam reperias ad eandem adumbran-

brandam accommodatius, quàm comparationem cum *VITRO*. Sive enim originem speciei, è terra utrique est; sive conditionem, qualis est, ut cùm maximè lucet, tum frangatur facillimè. Immò si vera fateri cum D. Augustino volumus, *longè fragiliores sumus, quàm si vitrei essemus. Vitrum enim etsi fragile est; tamen bene servatum & custoditum diu durat: Vita autem humana quantumcunque servetur, durare non potest.*

Sanè vitrum illud hodieque ostendi ex fide dignis accepimus, de quo B. Lutherus, Halæ Saxonum apud Justum Jonam Theologum diversatus epigramma hoc memorabile pronunciavit:

Dat vitrum vitreo Jonæ vierum ipse LUTHERUS:
Ut vitro fragilis similem se noscat uterque.

At quot interim myriades hominum in pulverem cinerem que redierunt? Verum enimverò huic considerationi rectissimè opponitur consolatio suavissima; quòd cùm ex fragmentis vitri contriti & liquati aliud fingi possit, priore splendidius; fragilitatem tamen primigeniam exuere minimè queat; unde rectè Plinius crebriorem fuisse ait, quàm certiorem, famam de excogitato vitri temperamento, Tiberio Principe, ut flexibile esset.

At verò credentium corpora illam expectant gloriam, *ut reformata à Domino JESU CHRISTO, Servatore nostro, glorioso ipsius corpori conformia reddantur*, & nulli amplius injuriæ vel detrimento obnoxia ad eandem, quam Salvator habet, æternitatis securitatem perveniant.

Ut ergo veram in nobis pietatem & vitæ sanctimoniam excitare & alere debet fragilitatis, quæ in vitro, oculis nusquam non obvio, singulis proponitur, humanæ meditatio: sic ad spem meliorem nos animari instaurationis promissæ fiducia & expectatione oportet.

Hæc ut pluribus præloqueremur, causam dabit præmatura mors juvenis ornatissimi & doctissimi, JOHANNIS JACOBI WIDDMANNI, ad cujus exequias ut cives Academicos publicè juvitaremus rogati sumus. Nam & hic eo tempore exemptus rebus humanis fuit, quo certissimam omnibus, quibus familiariter notus fuit, expectationem commoverat, ne virum Ecclesiæ Dei apprimè utilem futurum ipsum statuerent.

Etenim parentibus piis & honestis in pago Rorenfelt propè Neoburgum, Idibus Maji anno M. D. XXCIX. natus, & Ecclesiæ per sacrosanctum Baptisma insertus, inde

à teneris

teneris unguiculis ad veram pietatem, omnesque Christiano homine dignas virtutes & artes diligenter à parentibus optimis, & unici hujus filii amantissimis, fuit educatus & assuefactus.

Postquam autem in Schola Neobrgensi studiorum fundamenta, præclarè jecerat; dignus fuit habitus, qui in illustre Collegium Palatino-Lavinganum reciperetur, quod mense Augusto Anno M. DC. V. factum. Ibi sumptibus munificis Serenissimi Principis ac Domini, Dn. PHILIPPI LUDOVICI, Comitis Palatini ad Rhenum, Tutoris & Administratoris Electoratus Palatini, &c. sustentatus liberalissimè, pietatem, modestiam & industriam Professoribus ac præceptoribus suam cumulatè probavit. Cumque progressus in bonis artibus, & in primis Oratoria ac Poësi præclaros fecisset, absoluto ferè octennio, à Serenissimo Principe ad Academiam nostram missus, V. Cal. Majas anno superiore huc venit feliciter.

Verùm enimverò cùm totum se Philosophiæ & Theologiæ studio tradidisset; vix elapsis duobus mensibus metu contagii pestilentis Altorfium se transtulit; ubi, ut alios taceamus, summa benevolentia usus est viri Reverendi & Cl. D. *Schopperi*. Sed quia se-

Digitized by Google

nec WITTEBERGA nostra placuerat; non ita pridem IV. Idus Febr. ad nos reversus, cursum interruptum continuare, & jacturam quâ inter peregrinationes illas in studiis fecisse visus, diligentia majore compensare instituit.

Verum conatibus laudatissimis mox impedimenta obstare cæperunt a febri, cui aditum præbuit severo non absimile luctubrationes tot annorum pertinaces, in corpore præsertim ante hæc etiam tempora ad erysipelate nonnunquam & febribus frequentioribus tentari solito.

Ne tamen sibi deesse videretur, cum per hebdomadas quasi tres, de capitis dolore sæpius conquestus fuisset, Medici consilio uti an e occiduum cæpit. Is vero cum febri maligna correptum deprehendisset, medicamenta adhibuit necessaria, quibus tamen vi doloris exactissimi non tam frui, quam uti potuit.

Quare quod vires penitus prostratas intelligeret, proximo die Dominico sacra synaxi religiose usus est, confessione prius de more edita. Postridie mortis stimulos sentiens, consolationibus sese ex verbo divino depromptis erexit, res suas disposuit, de patre plurimum sollicitus, sene scilicet venerando *Bartholomæo Videmanno*, cui post

præ

præmissam circa Ferias Paschales superiore anno ad cœlestem patriam, Matrem pientissimam, bacnlus erat senectutis, & quem affectu semper coluerat reverentissimo.

Ad extremum nudatis terrenis animi suspiria & vota ad Christum Redemptorem ardentissima, non animadvertentibus fere popularibus, quibus ordine amicissime valedixerat, hora 11. pomeridiana jam instante, animulam suam Christo placidè reddidit, cum annum ætatis XXV. nondum implevisset.

Vestrum est ergo, Cives Academici, commilitoni hujc optimo ultimum pietatis & humanitatis officium prolixè præstare, & postea hora IV. funus popularium Palatinorum curâ ex ædibus *Schmeliianæ* foro adjacentibus, in Cœmeterium extra urbem deducendum, comitatu frequenti honestare, & vobiscum tum ea, quæ præmisimus, tum versum subjectorum sententiam luminaria:

O Felix mortale genus, si semper haberet
Æternum præ mente bonum, sinemq; timeret!
Qui tam nobilibus, media quæ implebat, erat tis
Improvisus aderit, animæ discrimine magno.

P. P. III. Cal. April. Anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

XVII.

Exequiæ Dn. Iohannis Friderici von Schönberg / *Capitanei VVittebergensis, Viri Nobilissimi.*

PHILONIS Judæi sententia est memorabilis, qui se beatam aio prædicare domum urbemve, in qua virum bonum videat habitare, ratum scilicet, tum præsentem felicitatem ei fore perpetuam, tum absentem expectandam cumulationem, DEO divitias suas largissimè in gratiam dignorum etiam in indignos profundere solito: Quibus quia ne seneseant precari fas non est, vitam se precari quàm longissimam, existimantem nimirum tam diu stabilem felicitatem fore hominibus, quàm longum illa vitæ tempus contingat.

Audita verò morte alicujus eorum, magna se tristitia affici, non tam ipsorum, quàm superstitum gratiâ. Illis enim hoc naturæ ordine deberi, ut post vitam feliciter actam gloriosa mors eos excipiat: Istis verò præsidio magno orbatis, malorum molem imminere, nisi Deus tanquam in arbore, de qua maturi fructus decidunt, alios recentes substituat. Hæc

Hæc ut in memoriam nobis & aliis revocaremus, pompa, ad quam cives Academicos pro more invitare, rogatu curatorum illius, debuimus, funebris causſam præbuit.

Poſtea enim hora ſ. pomeridiana, in ædæ Mariana primùm concione exequiali honeſtabitur, deinde in templum arcis deportabitur & terræ mandabitur, quicquid mortale habuit vir nobilitate generis antiqua, longo rerùm uſu, & magnis in multos meritis ſpectatiſſimus & amplisſimus, Dn. *Iohannes Fridericus* von Schönberg / vff Falckenberg / Serenisſimi Electoris Saxoniæ Conſiliarus, Dicaſterij ſupremi in hac urbe Præſes, & Capitaneus Wittenbergæ, in Belzig / Gommern & Elbenau. Qui cùm ætatis bonam partem in hac ipſa urbe exegerit, celebrari ipſius memoriam grata prædicatione æquum piumque eſt.

Quoniam verò ampliora videntur, quæ de ipſo majoribusque laudatiſſimis commemorari vel poterant vel debebant, quàm ut hoc loco & tempore ſuperſtitum expectationi aut noſtræ etiam voluntati ſatis fieri queat; præcipua tantùm capita breviter delibabimus, ex quibus facile cuilibet erit æſtimare cætera.

Igitur natus fuit Capitaneus noſter in familia Schönbergica, nobilitatis equeſtris

ſtris in hisce regionibus una ex præcipuis. Patre quidem, viro nobilissimo, Henrico von Honberg vff Glauchaw, cujus opera tres Electores Saxoniæ, *Johannes Fridericus*, *Mauritius*, & *Augustus*, Principes nunquam satis laudati, in muneribus præcipuis usi fuerunt, cum & consiliarii, & Mareschalli, quem vocant, aulici, & præfecti equitum partes obiret: Matre verò *Dorothea* von Hopffgarten, è domo Schlothemia, matrona ut prosapia nobilissima, sic omnium, quæ in hunc sexum cadunt, virtutum laude cumulatissima.

Ex his ergo procreatus, in lucem prodiit, & xerodæ mense Martio, anno M. D. XLIII. & ab iisdem præclarè sancteq; à teneris educatus, ineunte jam adolescentia in disciplinâ fuit traditus *Adamo Sibero* & cæteris scholæ Grimensis, quæ recens aperta fuerat, Magistris: & exacto sub eorum cura & disciplina septennio, ad Academiam hanc sese contulit; & septennium rursus bonarum artium, maximeque jurisprudentiæ & doctrinæ politicæ studiis impendit.

Deinde peregrinationibus susceptis, & feliciter peractis, in aulam Berlinensem vocatus, Consiliarii dignitatem laudabiliter; sed propter obitum Electoris Brandeburgici, *Joachimi*, die III. Januarii, ineunte anno M. D. LXXI. extincti, non diu sustinuit. Mutato autem, ut fieri assolet, unà cum Domino etiam guber-

Digitized by Google

gubernationis statu, in Misniam rediit cum uxore, quam non multo ante duxerat. Ea vero fuit *Sibylla*, conjugio prius Carolowicia, natione Hassiaca; filia viri item nobilissimi *Georgii* Spetes von Streytina, qui Electori Saxonico *Johanni Friderico* aulæ magister fuit.

Hanc cum viduâ duxisset, nuptiis ux. Cal. Sept. anno M. D. LXX. celebratis, conjugium habuit per annos XXXVIII. & concorditer cuncta duxit, factus quinq; filiorum, totidemque filiarum pater, quorum binis utrinsq; sexus ad vitâ meliorem præmissis, terni adhuc vivunt.

An. M. D. LXXVII. ab *Augusto* Electore in collegiũ adscitus Assessorum judicii in hac urbe Electorali; huic etiã muneri ita præfuit, ut dignus habitus fuerit à successore *Augusti*, *Christiano* I. Electore, cui Judicis vices diversis temporib. cõmitterentur; Primùm quidẽ anno M. D. XXCVI. ante adventum, deinde verò post discessum inclyti Comitis Solmensis *Ottonis*, mense Martio anni M. D. XC. Non multo autem post *Friderico Wilhelmo* Electoratus Saxonici Administratore Consiliarii, Judicis ordinarii in dicasterio provinciali, & Capitanei dignitate exornatus, mense Januario, ineunte anno M. D. XCII. cum familia huc se transtulit, & Principi optimo studium & industriam suam in Cõmissionum, Visitationum, & Reformationũ laboribus multiplicibus ita probavit, ut à sequentibus Electoribus

tibus

tibus, Dn. *Christiano II.* & qui hodie rerũ potitur, Dn. *Johanne Georgio*, &c. Domino nostro clementissimo, in iisdem dignitatibus ipsorum confirmatus.

Tot ergo Electoribus & Principibus dum per tot annos inservit; quantum laborum & curarum in negotiorum gravissimorum tractatione & administratione susceperit, notius est, quàm ut exponi à nobis verbosius debeat.

Illud tamen silentio prætexire nullo modo possumus, quòd in asserendâ & vindicandâ Evangelicæ doctrinæ puritate, constantiam semper declaravit singularem: quam etiam longævitate DEUS, & in senectute honorata ac vegeta, corporis animique sanitate & valetudine satis commoda, & in rerum adversarum, maximè post conjugis obitum, fluctibus superandis equanimitate, quæ Christianum hominem decet, & tandem exoptatâ & beatâ morte remuneravit.

Non tantùm enim exitus ipsius placidus & lenis verum esse cõprobavit illud Poëtæ:

Quem deus vocavit, celavit & parvi:

Verùm hoc etiam Servatoris: *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.*

Nam cùm ante semestre ferè Falckenbergam abiisset, & ex filiabus unam circa initium Januarii collocasset, nuptiis vix peractis, debili-

Digitized by Google

debilitatem quandam sentire cœpit, qua paulatim attenuatis viribus, finem instare vitæ intelligens, maturè viatico cœnæ Dominicæ ad emigrationem beatam instruvoluit. Atque ita reliquum tempus inter precesad Deum ardentes, & recitationes psalmorum & piarum è sacra Scriptura sententiarum, exegit, desiderium subinde solidi exitus testatus, & suos mœrentes consolatus, achortatus, ut voluntati divinæ rem omnem committerent. Nihil enim aliud esse senium, quàm ire ad mortem.

Ad extremum Ecclesiæ ministro consolationes tum alias, tum hanc etiam subjicienti, quòd omnis Christianorum spes & fiducia collocanda sit in precioso CHRISTI sanguine; Absque hoc si foret, respondit, solatio, miserrimi essemus; atque ita fidei spique plenus animulam suam Deo conditori, quo nemo putasset tempore, hora quasi sextavespertina, die Martii XXIV. absque omni doloris & cruciatus, qui quidem animadverti posset, sensu reddidit, cum in choasset ætatis annum LXXII. qui inter climacterios numeratur.

Reliquum est, ut supremum pietatis & humanitatis officium Senis optimi & multis nominibus venerandi, exequiis cumulare præteris, Cives Academici, & inter exequias tum

tum alia, tum hoc etiam cogiteris; *Meliorem esse umbram senis, quam gladium juvenis.* ἡ γὰρ ἐν νέοις τὸ σπουδαῖον ἔνεστιν, ἀλλ' ἐν πανηγύρει. Ideoque Deum nobiscum oretis, ut in defuncti locum eum sufficiat, qui tranquillitati & prosperitati publicæ, & nominatim Academiæ commodis & honori faveat & consulat. P. P. XIIX. April. An. M. DC. XIV.

XIIX.

Ad juventutem Scholasticam.

Vicit iò antiqui domitor moriendo Colubri,
Vicimus. hinc vetas arte novâ cantate mellisma;
Victi Galilæe, Nefas; Mortemq; triumphans:
Victi Orcino victor redivive barathro,
Victi. exsultate, sacræ quibus halitus aurâ
Pectus adhuc animat, calicemque haurite salutis.
Faticanos primâ scrutemur origine libros.
His JOSEPHUS hic est vili venundatus ære:
Cui, putei postquam squallentis marmore clausum;
Tumba retentârat, seges inclinatur; Olympus
Supplicat: idem animis vitæ horrea pandit geni-

JO-

Digitized by Google

JOSUA hic est verus primus sua ductor in oras.

Primus enim signavit iter, claustrumq; sepulchri
Dissidit, & domita Mortis vexilla levavit.
Nempe, neci Vitæ transcriptus Curio, functos
Pone sequi comites, superamque revisere lucem
Justi, & adsertum tumulis reducum extudit agmen.

Verus hic ille SAMSON, portarum effractor Averni;
Quem nostri urit amor. Dalila hunc Samsona ligatum
Depilat, enervans peccati forfice nostri.
Ecce! suos una nostrosq; nece enecat hostes.
Hic triduanus hic est balænæ in ventre Propheta;
Tranquillans rabidam commoti Numinis iram,
Quæ nostro irruerat nimis impetuosa Phaselo.
En! ut eum revomant inferni viscera Ceti!
Hæc est illa dies, Dominus quam fecit; in isthac
Ostia, supplicibus panduntur Olympica votis.
Scilicet hic Porta est longè augustissima per quem
Hactenus occlusi jam liberiore patescunt
Cœli aditu. Superam hic resumsit Janitor aulam.
Luridus en Mortis, ceu cedere præda solemnis,
Carcer hiat! vires exuta & virtus eidem.
Monstra Erebi ringantur; avari Portitor Orci

Rumpat

Rumpatur; Phlegethontei rabiunto Leones.
Vis, Inferne, tui quò cesit acuta veruti?
Vectibus elusis Stygii Ducis antra revulsis
Postibus, ut patulæ, stant evacuata, cataste.
Regia jam affectanda Poli est, Orcoq; mi
grandum.
Æthertam ne porrò forem quis pessulus obdat;
Sarcophagus neu vos veteris rèmoretur Adami:
Surgite lèto alacres, & prævia signa secuti
Linquite in obscuro Judaïa passa sepulchro;
Sordidaq; antiqui procul indumenta reatus
Abjicite, induvias caculisq; relinquite inanes.
Unguina ferte DEO. sed non queis mortua inun
guint
Corpora in Eöis. quin vos magis ungite Mentis
Affectûsq; aciem; quin pertentate videndo
Hoc contenta Cavo; & cordi imprimite fideli.
Unguina ferte Dei, sed puro in vase, Ministri;
Ne Paschale aliquo libum fermentet acore.
Rancor, adorve alias impurus amaricet error.

Autore Johanne Rodenborch
Antwerpiensi.

P.P. Solemnibus Resurrectionis
Domini;

No-

Digitized by Google

XIX.

Nomine Rectoris & Consilii Academici publicata relegatio H. H. S.

SI in ullo judiciorum genere; in Academicâ profectò animadversione locum habere debet, quod ad Rusticum Narbonensem Episcopum Leo Papa scripsit: *Quod in peccatis severiùs castigari necesse est, nè sæviente plectatur animo, sed medentis.* Nam & animum gerimus erga Scholasticam juventutem paternum; & à parentibus liberos unicè charos fidei nostræ committi novimus.

Verùm cùm fieri vix aliter possit, quàm ut in cœtu paulò numerosiore, & ex diversissimis hominibus collecto, aliqui sint feri & mali; *adversus eos, quos benignè præstita clementia non emendat, constanter,* ex ejusdem Leonis monito, *temenda est justicia.* Ideò quippe Scholarum gubernatoribus politica potestas attributa est coërcendi & puniendi eos, qui ad ipsorum jurisdictionem pertineat.

Cùm ergo ad delictorum atrocitatem etiam contumacia accedit inemendabilis:

Ibi verò ad extremum illud quantumvis invitis descendere cogimur, ut, quod leges jubent, homines prorsus insanabiles & desperatos, ex Academia tanquam infames excludamus, ut judex armatus gladio, planè majore illos severitate, propter mandatum DEI, & propter pacis defensionem puniat.

Hanc ipsam severitatem nobis extorquet H. H. S. S. Is enim ob perpetratum in hujus opidi cive facinus immane ac barbarum accusatus, & arresto attentus; cùm vel discessisset, vel quærentibus copiam sui facere malitiosè detrectasset; & mense primùm Januario, deinde Februario peremptorie ad rationem facinoris perpetrati, & violati arresti reddendam, sententiamque à Senatu Academico audiendam publicâ significatione citatus, additâ denunciatione; si author tantum magistratus ac legum contumaciter detrectare perseveraret, futurum, ut cum infamiâ perpetuâ ab Academiâ excluderetur; non modò primâ; sed etiam secundâ vice, citationes illas ab animo verè paterno profectas contempsit, & neque ipse comparuit, neque ullum animi legum observantis, aut ad meliorem frugem propensi præbuit indicium.

Quid igitur restat, nisi ut legibus obtemperemus,

Digitized by Google

premus, & exclusionis famosæ pœnâ afficiamus commeritum? Perjuros & infames esse eos Lex tertia pronunciat, qui retenti Rectoris mandato & Arresto, contra voluntatem Rectoris hinc discedunt.

Non ergo Nos, qui vel in honorem laudatissimæ nationis TIBI parcere mallemus; sed leges Sacrosanctæ, tanquam summi magistratus, imò ipsius DEI vox TE H. H. S. ut perjurum & infamem proclamant; Et eandem autoritate Nos TE ab Academiæ nostræ societate honestissima excludimus, exclusumque significatione hac publicâ testamur.

Nec verò dubitamus, quin summus Patriæ tuæ Magistratus, ab eo, quem tàm immaniter tractasti, supplicitèr imploratus, officium suum ita sit facturus, ut à simili legum Scholasticarum contemptu & violatione alii deterreantur. P. P. III. Cal. Majas, Anno M. DC. XIV.

XX.

Invitatio ad auscultationem Carminis.

SINGULARE fuit DEI misericordis beneficium, quod majorum

nostrorum ævo, cum tenebris densissimis obruta jaceret Evangelii lux, sub tyrannide Pontificâ concionatores extiterunt, qui historiam Passionis CHRISTI in publicis concionibus satis luculentè, quod monumenta multorum testantur, pro illorum temporum captu, proposuerunt. Nec verò dubium est, quin ea res ad salutem æternam plurimis profuerit: & rectè fecerunt B. Lutherus ejusque [illegible] fideles, quòd cùm religionem à sordibus Papatus repurgarent, morem illum retinuerunt, ut certum anni tempus declarandæ eidem historiæ tribuerent.

Atque utinam idem ardor in omnium animis esset, quem in antiquitate illâ venerandâ fuisse animadvertimus! Futurum omnino esset, ut gratiore plures animo ineffabile Filii Dei, quòd patiendo, moriendo, ac resurgendo in universum genus humanum contulit, beneficium agnoscerent atque prædicarent.

Nobis quidem studium hac in parte M. DIONYSII FREDEBORNI Anclamensis Pomerani valdè probatur, qui suam testaturus pietatem, carmen conscripsit de hoc ipso argumenti genere elegiacum. Itaque ejusdem publicè recitandi potestatem illi haud inviti dedimus; & juventutem scholasticam hortamur, ut posteà HORATII

finitâ

finitâ concione, ad illius auscultationem in auditorio maximo frequentes conveniant. Iuvenim & ipsi pietatem suam testabuntur, & ea, de quo nulli dubitamus, audient, quæ ad meditationem tantarum rerum, & ad imitationem momenti habebunt plurimum. P. P. Dominicâ Palmarum, ANNO M. DC. XIV.

Programmata in Academia VVittebergensi publice proposita,

RECTORE MAGNIFICO,

Viro cl. & excellentissimo,

JOHANNE VVANCKELIO,

Philosophiæ & opt. artium M. & P. C. Historiarum Professore P.

I.

Exequiæ Andreæ Ruhelii Iudicis.

CUM promissum hoc Abrahamo patri credentium à Deo factum narrasset Moses; *Tu ad patres tuos in pace abibis, & in canicie bona sepelieris*: Illud ipsum quo pacto impletum fuerit, non tacuit. Affirmat enim *Abrahamum, postquam CLXXV. complevisset annos, per acta feliciter ætate, vitæ saturum maturaq; senectute mortuum, & ad populum suum aggregatum fuisse.* Suavissima profecto hæc

hæc mortis descriptio est, & solis iis nota, quos ad veritatem divinitus erudierunt literæ.

Harum enim ignaris *nullâ res terribilior est morte; quòd finis sit & extremum, neque quicquam mortuo jam vel bonum vel malum esse videatur.* At verò Christiani sciunt, se per mortem ad patres suos colligi, & dormire cũ beatis universis, quí inde ab initio mundi vixerunt. Quare cùm alias ita compa atum sit, ut secundùm Philosophum sint οἱ χρηστοὶ φιλόζωοι, μάλιστα ὅτι τῇ τελευταίᾳ ἡμέρᾳ: ipsi in placida senecta, dierum saturi, & quasi defangati hac vitâ ad quietem sese haud invitî cõponunt. Certissimâ quippe fide & spe nituntur, post hanc vitam aliam meliorem & æternam restare, ad quam per Filium Dei ex ipso pulvere mortis excitabimur, eam accepturi ab immensa Dei veracis misericordia, gratia, benignitate, mercedem, ut cum ipso Deo in æternum vivamus.

Hujus Θανασίας vere Christianæ specimen rursum nobis egregium exhibuit senex honoratus, ANDREAS Rühelius, ad cujus exequias ut cives Academicos pro more invitaremus rogati, officium hoc neq; piè defuncti meritis, neque familiæ laudatissimæ honori denegare potuimus. Non solùm enim ipse nostro ordini cõjunctissimus semper fuit; sed eos etiã reliquit nominis sui hæredes, quibus jure meritoq; favere debeamus.

Digitized by Google

Atque ad ipsum quidem quod attinet *Andream Ruhelium*, natum eum accepimus anno Christi M. D. XXXVI. Navenhemi, quod Hassiæ opidum circiter milliari Germanico à Giessena distat, patre *Cunrado Ruhelio*, viro honesto & integro. A pueritia mox pietatis & humanitatis studiis de voluntate parentum optimorum consecratus, eos in variis scholis fecit progressus, ut anno ætatis decimo quinto vix completo, ad Academiam nostram missus fuerit; in qua fratrem jam habebat *Cunradum Ruhelium*, qui postea Consul fuit, & inter Bibliopolas celeberrimus; cujus viri memoria vel ideò nobis sacrosancta, quòd si viveret, jam PROSOCER audiret.

Ad eum ergo à parentibus missus, in albo literatæ civitatis à Rectore tum Magnifico, *Vito Ortelio VVinshemio*, artis Medicæ Doctore, adscriptus fuit mensis Septembris die XXI. anno Christi M. D. LI. *Etsi autem* in ea tempora incidit adventus illius, quæ partim à bellicis motibus, partim à lue pestifera satis infesta his regionibus, & privatim Academiæ nostræ fuerunt: Tamen occasioni oblatæ neutiquam defuit, & in audiendis illius ævi Professoribus, & nominatim *Philippo* illo *Melanchthone* diligentiam & assiduitatem adhibuit studioso adolescente dignam.

Cùm

Digitized by Google

Cùm autem ad peregrinationem animum adjecisset; optimo illius viatico virtute & doctrina instructus in Livoniam pervenit, & amicorum, quos sibi morum honestate facilè comparârat, commendationibus usus, in familiam se insinuavit *Caspari à Munster*, summi post Principem Equitum Magistri, quem vulgo Landmarscalcum nominât. Ei cùm per annos aliquot fidem & industriam suam probâsset; concitato â tyranno Moscovitarum bello, militiæ nomen dedit, & talem se præstitit, ut honorifico à civitate Rigensi ornatus fuerit testimonio.

Tandem verò literis suorum revocatus, & monitis fautorum impulsus huc rediit, & anno Christi M. D. LXIV. matrimonio sibi junxit virginem honestissimam *Reginam*, natam è familia hujus civitatis in primis & honorata & antiqua *Matthæorum*, patre *Tiburtio Matthæo*, Senatore, nuptiis III. Cal. IX. celebratis.

Elapsis deinde annis quasi quindecim, anno M. D. LXXIX. in ordinem Senatorium cooptatus Camerarii munus summâ fide & dexteritate cùm administrasset, anno M. D. XXCII. *Judicis opidani officium*, communibus amplissimi Senatus suffragiis ad se delatum suscepit, & per annos XXXII. laudabiliter gessit.

In conjugio concordiæ & dignitatis pleno, trium filiorum, quatuor filiarum pater factus; ex illis *Andream* sibi, & *Reginam* matri cognomen, jam olim ad vitam meliorem præmisit. Reliquos non solùm ex voto superstites reliquit; sed etiam in præcipuis dignitatibus constitutos ab aliquot jam annis vidit. Natu enim major ex filiis *M. Cunradus Rubelius* Præpositus est Ecclesiæ Schliebensis: minor verò *Tiburtius Rubelius*, J. U. D. inter Senatores hujus civitatis, & Dicasterii Electoralis Advocatos locum tenet honoratum.

Filiarum una matri item cognominis, præstanti viro *Laurentio Rangio*, Patricio ac Senatori reip. Colbergensis: altera *Ursula M. Andreæ Schefferi* Archidiacono in Insula Mariana Prussiæ, nuptum olim data est. Tertia *Elisabetha* virginitatem, & parentum senio confectorum caritatem curamq;, conditionibus hactenus lucidentis præposuit.

Ut autem ab ævi humani meta propè abfuit, vitæ annis LXXIIX. completis: Sic verè dicere potuit, *potissimam illorum partem labores fuisse & incommoda*. Præcipuè verò proximis hisce annis duo vulnera accepit, orbatus ante annos octo uxore concordissima; & superiore proximo anno, nepote ex filia *Jacobo Rangio* Colbergensi, optimæ spei adolescente. In his tamen omnibus dignam homine Christiano declaravit constantiam & æqua-

Digitized by Google

æquanimitatem; valetudine plerunque usus satis commoda: Donec vitæ satur & ipse dissolvi, & cum Christo esse optavit: Quæ suspiria tandem misericors Deus clementissimè exaudivit. Die enim Lunæ proximo, hora quasi sexta matutina, vitam in terris suam in agnitione, confessione & invocatione filii Dei placidè finivit.

Reliquum est ergo, ut in funere viri tam præclarè de multis meriti, postea hora I. cohonestando, affectionem suam erga superstites cumulatè declarent Cives Academici, audituri in concione funebri ea, quæ hic dici non potuerunt. Efferetur autem ex ædibus defuncti in vico Judæorum sitis, & post concionem in ædem Mariana habitam, in cœmeterium suburbanum deportabitur. Hoc verò ut indicasse vobis satis est; ita rem familiæ laudatissimæ honorificam, nobis gratam se facturos sibi persuadeant universi, qui significationem hanc voluntatis nostræ plurimum apud se momenti habuisse reipsa declaraverint. P. P. V. Maji. Anno M. DC. XIV.

II.

Exequiæ M. Pauli Reichenbachii Vittebergensis.

QVOD magnus ille doctor sapientiæ Seneca dixit, *Tam juvenis mortem ante oculos*

los debere esse, quàm seni: Non enim citamur ex censu; neque idem universis finis est: Alium in medio curriculo vita deserit; alium in ipso aditu relinquit; alium in extrema senectute fatigatum jam & exire cupientem vix emittit: Id verissimum esse cùm quotidiana testetur experientia; insigni hodiernus dies docet exemplo. Invitati jam fuerunt publico programmate Cives Academici ad exequias senis venerandi, *Andreæ Rubelii*, judicis hujus civitatis emeriti. Invitandi nunc sunt iidem ad cohonestandum præsentiâ sua funus viri honesti & erudi ti, *M. Pauli Reichenbachii*.

Ille bene & feliciter actâ non tantùm reliquâ vitâ, sed etiam senectute, citra insignes morborum molestias mortuus est: Hic in ætate quidem jam devexa, sed ejusmodi tamen, quæ à prioris illius ætate tanto ferè, quanto hominis ævum æstimari solet, intervallo abesset, constitutus, semestri spacio cùm morbis conflictatus gravissimis obiit. Ita nimirum *uno modo nasci, non uno mori homines*, quod idem Seneca affirmat, res ipsa loquitur.

Verùm bene habet, quòd *citiùs mori*, ex ejusdem sententia, *vel tardiùs, ad rem non pertinet: bene mori aut malè, ad rem pertinet: Bene autem mori, est effugere malè vivendi periculum.* Quod postremum viri sapientis verbum alia mente

mente prolatum, rectissimè nos Christiani adsensum veræ pietati consentaneum traducere possumus. *Beatos* enim *pronunciat Spiritus sanctus, qui in Domino moriuntur, eosq; à suis deinceps requiescere laboribus* adseverat. Sunt ergo non solùm à malè vivendi periculo liberi, sed ejus beneficio, qui *per mortem suam abolevit eum, qui mortis habebat imperium*, eam adepti beatitatem, *ut ladi à secunda morte nequeant.*

Hanc beatitudinem non est quod dubitemus obtigisse ipsi etiam M. Paulo Reichenbachio; cui postremum humanitatis præstiturio officium, eâ pro more narrabimus, quæ ipse tanquam finis appropinquantis præscius, consignata in chartam conjecit.

Natus est ille mense Junio anni M. D. LXV. patre Johanne Reichenbach, viro integro & honesto, & inter X L. viros hujus civitatis spectato. Matre verò Catharina Mebisin / civis item Wittebergensis filia. Ab his parentibus piè sanctèque educatus & institutus, in schola opidana primâ bonarum artium jecit fundamenta. Deinde ad altiora progressus publicis Professoribus auscultandis operam navavit sedulam.

Nominatim verò in studiis Philosophicis præceptore usus fuit D. *Hieronymo Nymanno* Torgensi, & in disputationum exercitiis gnavum

gnavum ac solertem, & omnino talem se præbuit, ut dignus fuerit habitus, cui Philosophicæ Facultatis decreto *Magistri Philosophiæ* honor conferretur. Eum verò consecutus ad Theologiæ studium sese totum contulit, & habendis concionibus sacris tum alibi, tum in templo Academiæ arci contiguo, ad functionem sese Ecclesiasticam præparavit.

Inde factum, ut anno M. DC. III. Pædagogi simul, & concionatoris aulici munere præfectus sit à *Theodorico à Molzan*.

Anno verò sequente uxorem duxit virginem honestissimam *Annam Conradi Mayseri* filiam unicam, ex qua cùm filios duos *Johannem & Augustum*, totidemque filias, *Magdalenam & Mariam*, suscepisset, solam ultimam hanc reliquit superstitem.

Vitam se egisse ipse fatetur miseram & erumnosam, cujus tamen difficultates à se mitigatas & lenitas fuisse scribit assidua lectione scriptorum à Theologis verè Lutheranis editorum. *Faxit*, inquit, *Deus misericors, ut bene moriar, atque filius Dei in æternum maneam, ex cujus prædestinatione mihi nihil in hac vita, neque mors, neque diabolus surripuerit.* Hoc verò animi Christiani votum clementer exaudivit Deus, & non tantùm vires animi invictas subministravit, ut præter adversitates, etiam morbum tam diuturnum & perti-

Digitized by Google

pertinacem sustineret ac perferret fortiter; sed instructus etiam ante dies quasi XIV. Cœnæ Dominicæ viatico, ab quo dolore & cruciatu graviore placidè denique ex hoc calamitatum hospitio emigraret, quod nudius tertius hora IX. matutina factum: Cùm quidem omnibus, à quibus unquam offensus fuisset, ex animo se ignovisse testatus esset; & fidem suam crebra sententiarum lectissimarum repetitione animasset ac declarasset.

Quæ cùm ita se habeant, agite Cives Academici huic quoque ordinis nostri membro extremum pietatis & humanitatis officium cumulatè exhibete, & pompam funebrem postea hora IV. ex ædibus defuncti, quæ D. Tiburtij Ruhelij domui vicinæ sunt, proditurum, in cœmeterium suburbanum frequentes comitamini, & ut unde cæpimus, ibi desinamus, hoc Senecæ cũ animis vestris cogitate: *Quomodo fabula, si vita, non quàm diu, sed quam benè acta sit, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas: Quocunque voles,* (nos rectius, quocunque Deus volet) *desines.*

Tantùm BONAM CLAUSULAM impone. P. P. die V. Maji Anno M. DC. XIV.

Ad

III.

Ad convictores mensæ communis.

FAcile imperium in bonos esse, & equum generosum etiam umbrâ virgæ regi, veteres sapientes dixerunt; quæ verba nunc repetere visum, ut quàm jucunda nobis sit modestia illa, quam hactenus in loco hoc sacrosancto à plerisque audimus præstitam, cognoscatis. Utinam superioribus annis ejusmodi morum honestatem ac civilitatem declarassent illi, qui tum munificentiæ Principalis fructum in hoc publico convictorio perceperunt!

Utinam cavissent, ne barbaricâ immoderatione & cyclopicâ feritate tantopere offenderent Serenissimi ac Potentissimi Electoris Saxoniæ, Nutritoris sui liberalissimi Consiliarios & Officiarios præcipuos, qui ad visendum cœtum hunc convictorum fuerant ablegati! Potuisset tum à munificentia Electorali facilè impetrari, ut quod in Academiâ Lipsicâ convictorum tum modestia elicuit, in hanc etiam Academiam conferretur beneficium, & quemadmodum deci-

bo,

Digitized by Google

bō, sed de potu quoque mensæ communi prospicerent. Tantum beneficium unius horæ intempestivæ averit.

Sed ne in perpetuum illius obtinendi spes præcisa posteritati sit, in vestra manu est. Non enim dubitamus, quin, si porrò legibus salutaribus morigeros, de quo dubitare nolumus, vos præbueritis, eadem re certior factus Serenissimus Princeps, pro insita animo generosoque excelso clementia, flecti sese patiatur, ne hominum ingratorum petulantia munificentiæ Principalis fontes posteris universis clausisse videantur.

Vos modò causam dare cœpisse etiam nobis date, ut pro commodis vestris alacres indies vigilemus, & de rationibus cogitemus, quibus damnum reipub. huic literariæ tum illatum, decirali aliquando possit.

Hoc autem ut à vobis præstitum tanto certius & ipsi cognoscatis, & referre ad Aulam Electoralem possimus; præter quotidianum & assiduum inspectorem, in hoc semestre præsidium curam hujus convictus inspiciendi commisisse scitote Viro Reverendo & Clarissimo, Dn. BALTHASARO MEISNERO, S. S. Theolog. D. & Prof. P. & Viro item Cl. & Prestantissimo Dn. JOHANNI ROSENARCHIO Poetices Prof. P. Collegis nostris honorandis. Ad hos Ephoros deferre

querelas, si quæ necessariæ fuerint, modestè patefactis, & inprimis sufurrones istos ac turbones, si qui erunt, Poenales tanquam alastoras quos dà Respublicas de testabimini, & canepejus & angue fugietis, qui vel libellis famosis aliorum famam lædere, vel seditiosis vocul is & sertunculis pacé & tranquillitatem publicam perturbare non verentur: à quo genere nos homines, si porrò eiam integros & incorruptos, quod hortamur & speramus, vos præstiteritis, rem facietis Deo simul & Magistratui gratam, & ordini nostro honorificam, & vobis singulis atq; universis salutarem. P. P. *IIX.* Id. Maj. anno *M. DC. XIV.*

IV.

Exequiæ Elisabethæ Brittannicæ.

EA nunc sunt tempora, ea vitæ humanæ conditio, ut placida ex hoc miseriarum hospitio discessio & emigratio gratulanda potius, quàm deploratione injusta quasi invidenda videatur, præsertim iis, qui *θεοφιλεῖς* non solum in liberatione ab ærumnis & miseriis præsentibus sitam norunt, sed in spe atq; expectatione beatæ immortalitatis per Christum partæ collocatam esse, in

Schola

Schola Spiritus Sancti ab ineunte ætate didicerunt. Ex horum numero fuit matrona honestissima ELISABETHA Brüdermannin / ad cujus exequias suâ præsentia cohonestandas ut Cives Academicos publicè invitaremus, rogantibus denegare justissimas ob caussas non potuimus Nata enim illa fuit anno Christi *M. D. LXXVI.* in hac urbe parentibus honestis & piis; Patre quidem JOHANNE Fuchs / viro inter cives primarios spectato; matre verò MARIA Pazin / ex familia ut vetusta, sic honorata.

Ab his cùm educationis laudabilis commoda sperare debuisset; mox in prima infantia fuit illis tantùm non planè orbata. Vix enim bimula patrem, & cum eo potissimũ prosperitatis inter homines subsidium amisit.

Sed accessit detrimentum gravius. Cùm enim mater ipsius post trium annorum viduitatem ac solitudinem ad secunda vota transiisset, & nuptias cum viro honestissimo doctissimoq; M. MICHAELE Hemia Dresdensi celebrasset; à vitrico patris affectionem & charitatem expectare jam poterat, præsertim ad honoratam eodem functionem promoto. Cùm enim is Doctoris in arte Medica titulum & honores in hac Academia suscepisset, quod anno *M. D. XXCI.* Novemb. die *XIIX.* factum; & luculento stipendio fruisset a Senatu

Stargardiensi in Pomeraniam evocatus & conductus; mater aliàs valetudine non firmissimâ prædita, vix duobus mensibus Stargardiæ completis obiit; eamq; elapso vix biennio vitricus, imò pater alius, subsequutus est. Ita ab omnibus destera præsidiis humanis, cognatorum consilijs nisa, non sine magna patrimonij jactura, rursus huc sese conferre coacta fuit.

Hic verò longum foret æsumnas & miserias recensere, cum quibus tot annis inter peregrinos æquè ut in patria fuit conflictata, donec tandem annorum quasi XXIII. virgo matrimonio juncta fuit viro item honesto & erudito, *Hieronymo Brüdermanno* Hamburgensi. Cum hoc verò nuptiis anno M.D. IC. solenniter hic celebratis in conjugio quidem vixit ut concordiæ & amoris pleno; ita satis fœcundo, quinque nempe filiorum, & filiolæ unius mater facta; præter alias tamen vitæ conjugalis, quæ tarò piis deesse solent, molestias, ex liberorum dulcissimorum obitu dolorem aliquoties percepit gravissimum. Filiolam enim MARIAM ante quadriennium; filios JOHANNEM ET OTTONEM ante annum & semestre præmatura morte extinctos extulit.

Sed ut in cæteris Christiana fœmina dignis virtutibus reliquam vitam transegit: ita in-

in hac quoque parte voluntati divinæ obtemperam se in ferendo moderandoque luctu semper præbuit. In primis vero optandum dedit, ut curriculo ævi sui non longo sibi claudam imponeret bonam.

Cum enim corporis dispositio ad phthisin prochivis esset; mense Ianuario in morbum prolapsa, cum alia quoque accessissent symptomata; adeo mox fuit debilitata, ut lectulo affixa hebdomadas XIX. jacuerit. Quo toto tempore æquanimitatem & tolerantiam declaravit singularem. Sumque morbi sævitiam crescere sentiret; adeo non concidit animo, ut migrationem beatam sibi tum precaretur, tum gratularetur.

Præter alias vero sacræ Scripturæ sententias, quas tum antea, tum per mensem hunc postremum, postquam Cœnæ Dominicæ viatico fuerat instructa, sæpe repetivit & ex verbi ministro subinde accedente audivit, in ore frequenter habuit dulcissimam vocem Pauli: *Cupio dissolvi, & esse cum* CHRISTO. Cujus voti tandem nudius tertius à Deo misericorde compos facta, ea ipsa hora, qua precibus Ecclesia publicis emigrationem ipsi salutarem exoptavit, animulam suam *Christo* Servatori reddidit, cum vixisset annos XXXIIX.

Funus ergo postea hora III. ex ædibus mariti, foro vicinis, in cœmeterium suburbanum deducendum Cives Academici ut frequentes comitentur, atque ita affectionem animi sui erga nostri ordinis homines cumulatè declarent, magnopere censemus & horramur. P. P. III. Idus Majas Anno M. DC. XIV.

V.

Rectoris & Consilii publici significatio, de ordine Lectionum.

QUem à veterno desidiæ negligentiæq; in muneris sui functione non excitat horrendum illud vocis divinæ tonitru: *Maledictus, qui facit opus* JEHOVÆ *remisse aut fraudulenter?* Is nullis neque monitis neque minis adduci poterit, ut *justa & fidelia*, ut cum Ambrosio loquamur, hominibus exhibeat servitia. Et satis superque ὀφθαλμοδουλεία illa, quæ necessitatem semper actam non flagra expectat, testatur, ejusmodi homines neque de officii sui partibus rectè sentire, neque ullâ judicii divini cura tangi.

De his enim si cogitationem ullam susciperent seriam, & Deum sibi pro justis actibus

in die judicij vicem redditurum crederent; futurum omnino esse, ut Dei jura in obsequiis, ut rursus Ambrosius loquitur, Dominici carnalis custodirent, & Dei reverenti à commoti, absentibus quoq; candide & fideliter inservirent, quibus ut morem gerant, divino mandato devincti sunt atq; obligati.

Hæc ut pluribus moneretur, tum alia causa fecerunt, tum quorundam ex ordine ingerato negligentia, qui velut ignari aut obliti, cujus gratia ad nos missi magnis suorum sumptibus hic alantur, ad publicas, in omni disciplinarum genere, doctrinæ auscultationem vel nunquam, vel rarò accedunt. Iis ergo ut nullum, desidiæ prætextum relinquamus, more abaliquot jam annis usurpato ob oculos rursus ponimus in tabella subjecta specimen operarum scholasticarum, ut quid expectare à nobis hoc semestri debeant intelligere, ratio ea ad studiorum suorum accommodare possint. P. P. Dominica Jubilate, anno Christiano M. DC. XIX.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

LEONHARDUS HUTTERUS D. & Collegii Theologici Senior, proponet æstate proxi-

proximas controversias tam praxin, quam Theoriam Theologicam spectantes, de vero accurato usu libertatis Christianae, & rerum Adiaphorarum, sive indifferentium inde ad reliqua, qui restant, Articulos fidei dextre explicandos successum faciet &c. Hora IX.

FRIDERICUS BALDUINUS D. Pastor & Superintendens, progredietur in Explicatione Posteriorum Epistolae ad Corinthios, & capite Octavo ad sequentia, quousque poterit, tractaturis de Deo, & pro virili ejus & in Theoria & praxi Theologica suum usum habebunt. Hora IV.

VOLFGANGUS FRANCIUS Th. D. & Praepositus templi arcis aliquantum subsistet adhuc in explicatione amplissimarum materiarum capitis decimi octavi Leviticis, & in de τῷ progressum faciet ad eundem Levitici Mosaici capitis sequentia, quae ipsa, sicut praecedentia, studiosis mentem Spiritus Sancti de multis illustribus practicis in illis parefaciunt. Hora II.

BALTHASAR HEINSIUS MEISNERUS Th. D. modo coeptam Prophetae Danielis explicationem continuabit, & in enarratione cap. 2. praecipuas de quatuor Monarchiis quaestiones, ut difficillimas, ita scitu dignissimas

nis, pro virili enodare, Deo annuente, conabitur, hora IIX.

IN FACULTATE IURIDICA.

BARTHOL. REUSNERUS U. J. D. & Decretalium Professor, Collegiorum & Senior, absoluto nuper tit. de JUDICIIS integro, instituit seq. de FORO COMP. celebriora saltem capp. persequetur, & his adjunget aliquid e Jure civili, ejusdem materiæ, hora IX.

LUCAS BECKMANNUS J. U. D. Explicaturus L. 7. §. hodie vlt. cum 3. ff. seqq. ff. de pactis. Quibus absolutis processum possessorij summarij ssimi seu momentanei, quid & quomodo formandus sit, & in quibus a processu ordinario differat, tractabit. hora III.

WOLFGANGUS HIRSBACHIUS J. U. D. præterita hyeme [illegible] dissidiorum quæstione de jure πιστεως agitari solitas ab interpretibus, præsertim Ferocia L. diudum 14. C. de Contrah. Emp, Æstate sequenti explicabit σὺν θεῷ materiam Juris Emphyteutici. Hora IV.

ERASMUS UNRUH V. J. D. explicabit materiam exhæredationis liberorum & parentum, legis ex titulo Pandectarum de lib. & posthum. &c eò pertinentes, cum concordantibus juribus breviter resolvendo. Hora. VII.

VALENTINUS GUILIELMUS FORSTERUS D. præterito semestri, prælegit ad quorundam instantiam, & propter cœli intempestatem, de juris autoritate libros duos; & super eodem argumento disputationes duas; item aliam de jure optimissimo, & unam de controversis quæstionibus, habuit. Posthac compendium juris per quæstiones & responsiones brevissimè proponet, & succisivis horis reliquos de juris autoritate libros, & istis absolutis, singularem de legatis & fideicommissis librum, ante hac inchoatum, sed injuria temporis interruptum, de novo, tamen concisè, resumet, & pertexet, hora I. Disputaturus etiam publicè, quantum per alias occupationes licebit. Omnia DEO permittente.

IN FACULTATE MEDICA.

IRNE-

Digitized by Google

ERNESTVS HETTENBACH. Phil. & Medicinæ Doctor, & professor ordinarius ac collegii Medici Senior, ab oculis, ad narium & vicinarum oris partium affectus curandos, accessionem cum Deo est facturus, Hora IX. antemeridiana.

DANIEL SENNERTVS, Phil. & Medic. D. absolutâ jam doctrinâ de Febrium omnium, puta ephemerarum, putridarum, hecticarum, pestilentium item & malignarum, ipsiusq; Pestilentiæ natura, causis, differentiis & signis, easdem Febres Curandi rationem monstrabit. Hora. IV.

TOBIAS TANDLERUS D. & Med. P. absolutâ ante annum herbarum omnium theoria, fruticum nunc expositionem subjunget, ac singulis mensibus plantarum, quotquot hic vel è sylvis aut campis, vel exhortis haberi poterunt, oculatem demonstrationem conjunget. Hora. I.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

LAVRENTIVS FABRICIVS M. Senior Facult Philosophicæ, cum præceptis Hebræis conjúxit praxin Psalmi 90. & 91. cum 53. Esaiæ capite, partem horum postremam continuat, Hora I.

GEOR.

Digitized by Google

GEORGIUS WECKERUS Med. D. Physicam D. Philippi Melanchthonis explicabit. Horâ III.

ADAMUS THEODORUS SIBERUS Orator P. Aristotelis de arte dicendi libros explanabit. Horâ IV.

MARTINUS SCHMIDT M. Græcus Professor, in Vaticiniis Cassandrinis Lycophronis pergit. Horâ VIII.

LUCAS MARTINI progredietur ad finem secundam libri secundi Logicæ Keckermanni, examinaturus una cum Præceptis præcipua exemplaria Theologica hora VII. In Ethicis proponet doctrinam de Virtutibus horâ IX.

JOHANNES WANCKELIUS Historiarum Professor P. pro tempore Rector semestris æstivi lectiones publicas auspicabitur ab Historia Japhetæ, & quantum per occupationes licebit, in historia populi Israelitici reprehenda ac declaranda, Deo prosperante, progredietur. Horâ III.

AMBROSIUS RHODIUS Med. D. Mathematum superiorum Professor, Arithmeticam practicam vulgarem demonstrabit, ad numeros fractos continuatam, absolvet, & Algorithmos duos reliquos, Astronomicum & Algebraicum itidem cum suarum operationum demonstrationibus adjunget. Horâ VII.

JOH.

Digitized by Google

JOHAN. RODENBORCHIUS Prof. Poes. Hymnis aliquot una cum primâ parte libri primi AntiSymmachiani jam absolutâ præmissis, in secundâ sectione ejusdem d. I. in quâ fontes errorum Ethnicorum eleganter detegantur, porget; inde ad tertiam transiturus, librum primum absolvet: eidemque secundum interpretando subhectet hoc semestri, Deo volente. Hora II.

VI.

Rectoris & Consilii publici Decretum.

NE idem nos committere videamur, quod in Platonis legibus, quibus adjecta principia sunt, sapientes improbant; Verum eorum sententiæ obtemperemus, qui legem brevem esse oportere statuunt, quo facilius ab imperitis teneatur, velut divinitus emissa vox sit: Omisso proloco longiore;

NOTUM FACIMUS universis ac singulis, qui in Album Academiæ vel jam relati, vel deinceps referendi sunt; Propter causas gravissimas, rebus omnibus accurate pon-

Digitized by Google

ré ponderatis, & magnâ diligentia delibera-
tis, constitutum ac decretum esse hoc in per-
petuum valituro edicto:

Quicunque legum petulanter violatarum aliquoties accusati, convicti, damnati fuerint, & post adhibitas iterum ac sæpius commonefactiones, & tentatos frustra correctionis modos salutares, ita se gesserint, ut nulla spes emendationis reliqua esse videatur; Antè quàm ad graviora progrediantur, eorum parentes, tutores, patroni ac magistratus, quorum sumptibus hîc abutuntur, de vitâ inter nos improbè peractâ, actâ literis Academiæ nomine datis certiores reddantor.

Hoc ergo edictum ab animo prorsus paterno profectum, si qui contumaciter, spreverint, atque ita amissâ parentum ac Mæcenatum gratiâ, spem omnem melio-

rem

rem sibi ipsi præcidere voluerint: Quem accusare jure meritoque possint, præter se habebunt neminem.

Decretum & sanctum prid. Id. Majas: Promulgatum XI. Cal. Junias, Anno CHRISTI M. DC. XIV.

VII.

Exequiæ Catharinæ Almerin. Viduæ.

SI ullis sepulturæ honos cumulate à literata juventute exhibendus est; iis profectò animo prompto parato que præstandus videtur, qui cibum potumque tolerabili precio per annos plurimos convictoribus subministrando, non sine magna molestia sua, bene de ordine nostro mereri studuerunt.

Quantum enim in eo situm sit, ut inter peregrinos hospitem aliquis nanciscatur commodū, & affectionis paternæ maternæq; vicarium; quantæ requirantur curæ & impensæ, ut hominibus numero plurimis, patria diversis, corporis constitutione dissimi-

victus paretur, quotidianus, quantum rei familiaris detrimenti patiatur; si ex eorum numero unus item, alter mihi pro acceptis beneficijs gratiam, non soluto victus precio discedens, referat. Nihil expertus nemo facile æstimaverit.

Quo magis confidimus Studiosam juventutē, vel sine cohortatione nostra accuratiore, affectum animi benevoli, & Christianis ac literatis hominibus dignum tanto plenius alacriusq; declaraturam erga matronam honestam & piam, *CATHARINAM AEMERIN*, quæ postea hora *III.* exadibus suis, non ita procul à Collegio Friderici distantibus, in cœmeterium suburbanum efferetur; quanto pluribus illa per annos jam triginta & quod excurrit, omnia hospita, immo verò matris benignæ, etiam ultra vires & fortunas suas, præstitit officia.

Natam autem hanc Francofurti ad Viadrum accepimus, anno Christi *M.D.LIIX.* patre *JOHANNE ACHLERO* cive ibidem honesto; matre verò *CATHARINA* Riethin, cujus parentes Lipsiæ habitarunt. Orbata verò patre in prima statim ætate, à matre huc profecta, pie sancteq; educata, earum pietatis specimen extitit. Eam enim cæcitate affectam per annos *XII.* manuum suarum labore honeste fideliterq; alun-

Dein-

Deinde post ejusdem obitum anno Christi M. D. XXCVII. nupsit THOMÆ CRUGERO civi & bibliopego, nuptiis XI. die Septembris Christiano ritu in hac urbe celebratis. Sed & hunc, anno conjugii tertio vix completo, & deinde filium, quem ex eo susceperat, unicum amisit.

Quoniam autem ex earum se numero viduarum esse intelligebat, quas Apostolus vult γαμεῖν, τεκνογονεῖν, οἰκοδεσποτεῖν: matrimonium iterare satius esse judicavit, quam ardere libidine. Itaque ad vota secunda transiens nuptias hic secundas celebravit die XXII. mensis Novembris, anno M. D. XCI. cum viro honesto JOHANNE ALMERO Saganense Silesio, bibliopego, quem & ipsum quinque liberorum mater facta anno M. DC. II. Dominica Jubilate præmaturâ morte ereptum extulit, atq; ab eo tempore per annos XII. viduæ Christianæ officio præclarè functa est.

Tres enim filios, & ex filiabus alteram superstitem ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου studuit enutrire & educare, & pietatem colere docuit; & in Deo spem suam collocans, auscultando & meditando verbo Dei, precibusque piis solitudinem consolata est; & afflictis subveniendo, atque hospitalitatem, de qua dicebamus, exercendo, testimonium sibi in bonis operibus præclarum peperit.

Ad hunc ergo modum transactæ vitæ exitus fuit consentaneus. Cum enim ante hos sex, septem dies colicâ gravissima laborare cœpisset; & medicamenta adhibita morbi sævitiem superare nequiissent; corpusculum alioqui languidum, curisque & angoribus diuturnis & multiplicibus exhaustum, & Ileo maximè miserabili, ut Medici verbis utamur, confictatum tandem succubuit: atque ita sine ægrotatione diuturniore animulam suam, inter vota & suspiria pia, CHRISTO Servatori, die Maji XXI. inter horam III. & IV. pomeridianam placidè consopita reddidit; cùm quidem præter alias sacræ Scripturæ sententias, quas familiariter sibi notas fecerat, hoc Davidicum in ore semper habuisset: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: De necessitatibus meis erue* ME DOMINE, & quæ sequuntur.

Ite ergo exequias Cives Academici frequentes huic studiosorum altrici bene meritæ, & populariorum vestrorum, quibus per tot annos illa inserviit, pietati atque humanitati vicar os, vos succedere cogitate.

P. P. X. Calend. Junias Anno M. DC. XIV.

104.

Ad Studiosam juventutem, ante collectionem Eleemosynarum.

PULCHERRIMUM præclarissimumque opus esse misericordiæ, beneficentiam non solum sacræ, sed sapientumveteres extra Ecclesiam virorum testantur literæ, quantum sentent as de hac virtute colligere ex quo loci hujus, neque instituti nostri est.

Juxtim tamen hoc silentio præterire non possumus, quod cum Seneca eum, qui dat beneficia, Deos, qui repetit, fœneratores imitari affirmans, commodi alicujus ex dato beneficio percipiendi spem, tanquam illiberalem damnare videatur; Regum sapientissimus fœnerationis genus illud honestissimum & certissimum esse asseverat, quando erga tenues atque egentes exercetur benignitas. Deum enim ipsum, fœneratori hujusmodi meritum rependere

At verò idem Seneca cùm alibi beneficium ita definit, quòd sit benevola actio, tribuens gaudium capiens; tribuendo, in id quod facit prona, & bonæ fuæ parata: An non Paulina illa in memoriam nobis revocat, in quibus *hilarem datorem à Deo diligi*, & tanquam ex ore Salvatoris audimus, *Beatius esse dare, quàm accipere?*

Agite ergo cives Academici, eos, qui vos præcesserunt, alacres imitamini, & gratitudinis ergò Deo aliquid tribuite, quòd ex eorum estis numero, qui de aliis bene merere possunt, non qui alterius indigent beneficentia, quòd non ex alienis ipsi manibus pendetis, sed ex vestris aliis. *Eorum* enim est, *unumquemque nostrum animæ suæ benefacere, quoties miseri ordea suâ inopia succurrit aliena.*

Qui ditiores sunt, eorum prompta & facilis sit largitas, quippe quos abundare Deus voluit, ut per ipsos alii non indigerent. Qui tenuiores sunt, non quid fiat, aut detur, meminerint referre, sed qua mente; cum beneficium non in eo, quod fit aut datur, sed in ipso dantis aut facientis animo consistat. *Fidelium* enim *largitas non de muneris pensum ponderet; sed de benevolentiæ quantitate.*

Cùm ergò proximis hisce diebus corrogandæ rursus per Academiæ ministros sint Eleemosynæ ad eorum, qui ex ordine literatorum

Digitized by Google

forum in Nosocomio Academiæ alantur & curantur, usum ac necessitatem: Agite, prompta benignitate declarate, vos credere, *fili unumquemq; id præstare, quod indigentibus fratribus; & Thesaurum suum condere in cœlo, qui Christum pascit in paupere.* Denique *unumquemque, quoties rogatur, à Deo tentari, an sit dignus gaudio.*

Possunt autem & tenuiores cum ditioribus in hoc liberalitatis genere certare, si ad sustentationem egentium de quantulacunque substantia aliquid, quod eos non contristet, excerpant. *Quamvis enim major fœneretur ruditus de majore semente; potest tamen etiam de exigua satione multus fructus provenire justitiæ. Sit ergo dives munere copiosior; Dum pauper animo non sit inferior. Justus autem Deus & verax, neminem fraudat mercede meritorum. Sed super fluum est, si commoneas eum, quem scias facturum.* P. P. Dominica Vocem jucunditatis, anno Christiano *M.DC.XIV.*

Adjuventutem Studiosam.

AURA DEI huc, age, sidereis descende maniplis:
Algida corda fove, rege devia, dura flecte:

Asperulava, & hiulca conqua, & opaca serena
Vile salubrem animæ, tanti facilumq; Hospitem hospes
Tollere humo, & summo condere in aggere cura
Cumulet, non opibus, nec mani surgida fusta;
Sed VENTU generosa nova vi animata superni
Gaudia, age extremo mœstum cor in omnia fibra
Exprimet; solida illa lamen, ne cyrrea saxa
Umbellâ fatuêre boni, canis instar hianti
Gutture in adunda ranam delusa fauce fugientem
Quinetiam si sancta sitis urbis sq; libandi
Purpura nectarea linguam potabilis una
Lubricet, & mystica hodiq; celebret cruore
Lympha sacra non illa meri; sed pectoris imi
Lætificans fibras, superum quam cella profudit
In cor Apostolicum, sucum hoc de gramine mysti
Hauriet intrepidi & plenis invergite buccis
Si tanti ullus amor, lingua si tanta libido
Flagrantes hic corde facit, facis ora loquaces.
Sumite materiam, si quicquam ardebitis, æquam
Cordis inexhaustæ, sat nullam extra Numinis amori.
Jam, quibus insedit FLATUS SACER igne
bisulca
In specim linguæ, tranquilla mente sedebant.
Æolus est? commune & nostris pestile sacris
Hæc vitulum, at vestræ longè dispersit hic à se.
Spiritus ergo animis & nos sedeamus, ut idem
Compositas mentes humiles & invisat ab alto.
Si fastu tumefactæ rigescat, te Numen idem horret.
Sive es impuris incumbis amoribus, aut te
Noctur-

Digitized by Google

Nocturno fluitate mero, pudere diurno
Sauna iocus, tibi est: si scenoxis are trucidas;
Callida si ambitio transversum rapit at in omnes
Flagitii technas; aut si macrescis opima
Sorte propinquantis: sacri si frigore torpes;
Si sabie pruris rixandi, FLAMINIS exsors
Istius dubijces. Fatuelli, & mentis inanes!
Ignigenas linguarum acies qui vibrat in agmen
Pubis Apostolicæ; haud animabit in enthea quæsvia

Undenum Galilæa virûm manus omnis in unũ
Consociata locum, concordia vota litabat.
Pectora mundanos sibi digna habitacula queris?
Garrula de nihilo est SACRI jactantia FLATUS.
Horrificâ quoties se turbo phreneticus irâ
Fecerit abruptis in prælia vasa habenis.

Schema ô Christiados miserum, quod præ nitet æstu!

Quippe Columbino candore nitentibus olim
Assat, in adstantes licet, & de cespitat omni
SPIRITU, angello, quoties subtilia inaures
Ferramenta doli, quo fratrem frater inunctat.
Insidiatorum nullius hic advena recti est.

Hæc & plura alias docti, porrò docendi
Præsens condigno festum instauravate parate;
Artâ rumpentes tetrica retinacula noxa
Servamin ministerio doctrinæ Corcula pastu.
Attolerate aliquo pluteos procedere ad aræ
Quempudet; (è tanto ut puditum hactenus a-

gmine multos) Ejus

Ejus & hoc numen Flatus aliquando pudebit,
Quando Herus ipse sui fruges excuſerit arvi.
Terrena ecquid eis fruſtilla gravabimus offa,
Salvifico verbi qui nos quaſi Nectare mundant?

Autore Johanne Rodenborch
Antwerp.

P. P. Solennibus Spiritus Sancti anno Chriſtiano ↀIↃ. IↃc. XIV.

X.

Pro miniſtris Academiæ publicis.

NON gratuitum munus; ſed mercedulam ab ipſo Academiæ fundatore ſancitam quolibet ſemeſtri colligere ſolent Academiæ miniſtri. Ut autem hactenus liberum cuique ex omnibus literatorum ordinibus relictum fuit, quantum admodum pecuniolæ ſtatutis Academicis definitæ vellet ipſius addere liberalitas; Ita idem nunc facimus; ſic tamen ut rationem temporum ſingulis habendam magnopere cenſeamus.

Nam

Nam quo tempore leges illas Fundator laudatissimus tulit, nummulo uno atque altero comparari multa potuerunt, quæ hodie vix denario compares, cùm rerum omnium precia in singulos annos plurimum augeantur. Neque parsimonia, sive tenacitas illa fructuosa ulli est, quæ in compendiis aliorum laboribus restrictior est. Pereunque enim quod ita comparcitur, alionum loco decuplum perit.

Omnino quemadmodum suos quisque labores magni & ipse æstimat, & ab aliis æstimari capit atque exoptat: Ita eundem quisque erga alios affectum induat, & quod sibi fieri vellet, aliis faciat.

Hoc verò ut rectius fieri queat, futurum hoc programmate, ut moris est, publico significamus, ut proximis hisce diebus mercedulam illam suam inter mensas colligant, ne quis se inopinantem compellatum conqueri; sed ad mensam accessurus quilibet mercedem ministris Academicis benevolè exhibendam secum afferre possit. P. P.

Festo die S. S. Trinitatis, anno CHRISTI M. DC. XIV.

XLI.

Exequiæ Pauli, D. Friderici F. Baldwini, infantis.

QUOD experientiâ Magistra edoctus Seneca dixit, sæpe inter Fortunæ maximam & ultimam nihil interesse, neque enim his portionibus, quibus ad summum pervenitur fastigium, retrò iri. Idem de valetudine & vita hominum recte fieri usurpari posse, ut ab Hippocrate dictum, ita ipsa non rarò experimur. Lubricam esse admodum validam corporis constitutionem inquit Medicorum Princeps, & corpora, ubi ad summum profecta sunt vigorem, non consistere, sed momento in contrarium impelli. Idem in filiolo carissimo nuper vivendum & clarissimum Dn. Fridericum Baldwinum S. S. Theologiæ D. & Professorem Publicum, Ecclesiæ hujus Pastorem, & vicinarum Superintendentem dignissimum, Collegam & compatrem nostrum honorandum experiri divinæ placuit voluntati.

Exhilaratus enim ille fuit non ita pridem natu filioli, qui cùm die Martii XXIIX. hora

hora V. post meridiem in lucem hanc prodiisset, die sequente per lavacrum regenerationis CHRISTO, arbori vitæ, insertus PAULI nomen accepit; tum ejusdem filioli in hac ærumnarum incremento in corpusculo vegeto & succipleno singularibus. Verum

Quasi sol ortus, hora pauca post meridiem fuit,
Repentè exortus est, repentino occidit.

Hesterno enim die post horam tertiam matutinam, cùm indicia morbi nulla præbuisset; vitam in his terris vix dum trimestrem finiit. Placuit Deo felicem ejus animulam eo properanter è medio malitiæ, subductum ad quietem beatam transtulit.

Dominus ipsum dedit; Dominus ipsum abstulit: Dominus ipsum parentibus una cum fraterculis jam olim premissis, in die illo gloriolo restituet.

Interim ut officio, quod in manu nostra est, pietatis & humanitatis Christiano lustum parentum optimorum sublevemus; Augustæ Vindelicorum Academici exequiis postea horæ III. frequentes eamus. PAULO BALDUINO adlatus fraterculorum in sinum terræ matris omnium inferendo. Simul verò de vitæ nostræ brevitate & fragilitate cogitantes, Deum, in cujus manu animæ & omnes actiones nostræ sunt, oremus, ut ætatem nos metiri

nostram

nostram sic doceat, ut mentem acquiramus sapientem. P. P. die XXVI. Junii, anno Christi M. DC. XIV.

Exequiæ conjugis Dn. Bartholomæi Reusneri, I. C. Dorotheæ Zangeræ, & filiolæ Catharinæ.

NONDUM biennium est, quando idem, ad quod nunc vocamur, pietatis atq; humanitatis officium præstitimus honestæ, & omnibus sui sexus dotibus ornatissimæ matronæ CATHARINÆ, viri amplissimi & consultissimi DN. JOHANNIS ZANGERI JCti celeberrimi, & immortali laude digni memoriæ. Tam exiguo temporis intervallo superstites fuere matri filia DOROTHEA, viri itidem amplissimi & consultissimi, DN. BARTHOLOMÆI REUSNERI, Decretal. Professoris, Jurid. Collegii Ordinarii & Senioris, collegæ nostri honorandi, conjux; matrituri in matrimonii quâ dignitate, quâ fertilitate parissima, sic in vitæ conjugiique spacio dissimillima.

Illa enim septem liberorum mater fa-

ci-

& conjugio quidem annos viginti quinq; in vita verò annos exegit sex & quinquaginta. At verò filia septem itidem liberis in lucem feliciter editis, conjugii annum decimum tertium nondum implevit; vitæ verò tricesimum vix attigit. Nata enim fuit mensis Maii die vicesimo, in quem incidit festum Ascensionis Christi in cœlum, anno M. D. XXCV. Nuptias verò cum eo, quem dicebamus, viro celebravit mensis Novembris die decimo septimo, Anno M. DC. I.

Quod si in aliis quoq; filiam cum matre comparare voluerimus; dissimilitudo apparebit evidens. Hæc enim cum è septem liberis tres ad vitam meliorem præmisisset; reliquorum matrimonia vel consummata, vel certe contracta, & quidem filias ambas duobus Professoribus publicis collocatas vidit. Illa verò ex septem liberis DOROTHEAM quidem & NICOLAUM acerbo fato jam olim extulit: MARIAM verò MAGDALENAM, CATHARINAM, CHARITATEM URSULAM, ANNAMDOROTHEAM, & JOHANNEMBARTHOLOMÆUM superstites quidem; sed in tenera fere omnes ætatula reliquit.

Mater post obitum mariti, quinquennium ita vixit, ut non uno invaletudinis genere vexata tandem placidè obierit: Filia verò

fo in ipso ætatis flore complexu mariti mo-
ri tissimi, morbi mortisq; genere erepta lacry-
mabili, vitæ quidem exitum nudiustertiu
hora quasi IX. vespertina habuit in agnitio
ne & invocatione sui DEI tranquillum &
beatum; sed ejusmodi tamen, ut nihilo a
cerbius viro simul ac soboli, hominum qui
dem judicio, potuerit contingere. Fœtus enim,
quem utero gestabat, quique, ob morbi violen
tiam nutrimento necessario destitutus, ante
vivere desiit, quàm vivere vere incipieret, sepul
chrum ipsa facta est. *Catharinam* verò matri
ut temperamento, sic moribus perquam simi
lem, ideoq; matris effigiem oculis patrium
repræsentaturam, morbo itidem periculosissimo
afflictam & prostratam reliquit; & nunc ta
men vix XX. horarum intervallo subsecu
tam eidem tumulo secum inferet.

Et quis cogitatione, ne dum verbis assequi possit angorem animi, quo Collega hos
ter nunc prorsus improviso & inopinato op-
primitur, sive uxorem cogitet amore & fide
erga maritum ac sobolem ad exemplum usq;
præstantem, sive sobolem ipsam intueatur
matris piissimæ præsidio destitutam, & unius
patris curæ derelictam? Quis dolori tanto
non succumberet, si absq; solatiis foret iis,
quæ Spiritus Sancti Schola subministrat?

Sed bene habet, & pietas nos de Col-
lega optimo sperare cogit spectata ipsius Pie-

tas,

us, de quo dubitare videremur, si in conquirendis salutaribus animæ & tam potius vel labora-
remus. Nostrū potius fuerit & precibus Deo pijs Collegæ præclare de Schola hac meren-
tis, atque ut optamus ac speramus diu, Cœlis sto propitiante, meritis, salutem ac domum
æternam, adeoq; rorantibus hanc Academiam commendare; & affectum animi erga ipsum in calu tristi ac lugubri pium propensumq; prolixè declarare. Hujus verò pars cùm haud postrema sit honorifice, quo exequiæ Christiano ritu celebrandæ decorantur: Fu-
turū omnino confidimus, ut vel sine cohor-
tatione nulla, & sola temporis lociq; significa-
tione expressa, prompti paratiq; confluant, quibus vel salus Academiæ cordi, vel sensus aliquis est pietatis atque humanitatis.

Et quoniam ita nos decet habitum ire honorem defuncti; ne quid periculi sit viventi-
bus inde metuendum; de voluntate ipsius vi-
dui, hic ordo datus est exequiis, ut auditurī concionem funebrem hora prima in ædibus viri clarissimi & excellentissimi, *D. Ambrosii Rhodii*, Collegæ nostri item honorandi con-
veniant, atq; inde ad eadem Marianam pom-
pam funebrem comitentur: Finita verò con-
cione, thensam funebrem per forum rectà & brevissima via exturbe exturā subsequa-
tur, ad Cœmeterium usque suburbanum, ubi exuviæ magnæ matri commendabuntur.

Et

Et quia satis superque spectaculum hoc docere potest, non ex censu nos citari, & alio quidem atq; alio tempore; omnes tamen in eundem locum tendere; Inter alia sapientum monita, poëtæ veteris sententiam intercundum cogitandam apponimus:

Vado mori, credens per longum vivere tempus
Fortè dies hæc est ultima: Vado mori.

P.P. die III. Julii, anno M. DC. XIV.

EPITAPHIUM.

DOROTHEAM tellus tegit hac Zangeridæ cujus
REUSNERUS conjunx Bartholomæi erat:
Uxoris specimen fuit hæc concordis, & ingens;
Dum permiserunt fata, columna domus.
Sed non sola jacet: Jacet unâ Filia matris
Effigia; & gravidæ flebile ventris onus.
Una dies rapuit; Sed Christo vindice, vitæ
Perpetuæ reddet voti bona, summa dies.

Prosopopœia Consolatoria.

PArce Marite, meum lacrymis urgere sepulcrum;
Definite o soboli corcula fida meæ.

Sanguis

Languinis hinc dolor agnati, hinc lamenta meorũ
Manibus incumbunt pondo molesta meis.
Cum semel aetherias intrarunt piá funera sedes,
Non exorando stant adamante poli.
Parcite, quaeso, mihi; quin vobis parcite, quaeso;
Parcite; fleta nimis, duriter ossa cubant.
Ecquit enim, ecquid agis? Quid, quaeso, Marite, gemiscis?
Quidvé meo quereris nomine? quidvé tuo?
Si quid Olympiacae turbaret gaudia civi,
Turbassent madida jubila nostra gena.
Sed bene habet. Quis non patulum prae carcere Carpum?
Quis non prae pelago littora tuta velit?
Quis non prae exilio patriam? prae Marte quietem?
Quis non prae stadio leta brabea legat?
Quis non prae terris Cœlum? prae morte beari?
Quis non prae luteis gemmea tecta casis?
Portum ego jam teneo? vos turbida jactitat aura:
Palmam ego jam retuli; vos fera bella manent.
Monte ego anfracti superato vertice fisto:
Vos at in hunc duro calle fatigat iter.
Undiq; vos lacrymae, vos undiq; tristitia cingunt:
Maesta nec in mentem scite venire meam.
Syrmate vos pullo proprium deducite funus:
Mistola, Candidula luce coruscа, nitet.
Infera despicio; vos suspicitote superna:
Nolite ad vestras me revocare plagas.

Nempe in præclaras cecidit mihi pertica villas.
Fata quid optatis deteriora mihi!
Vos ad me potius, quàm me ad vos, ire precandum;
Vos mihi, non vobis jungar, oportet, ego.
Non ego, quicquid habent tot avari æraria mundi,
Nec suprà, aut subtùs quas fovet orbis opes,
Accepture velim; loca quò terrena revisam;
Regnáve ut oblique; quæ pede calco, tuar.
Si miserum subtùs quid est; summèque nihili;
Quos mala tot, quot vix cuncta animantia, premunt?
Fœtidum homo semen; saccus laterumve; esca
Vermium; & à sortis lusibus acta pila est.
Vivere fac licuisse mihi vel millie per annos;
Vivere quid prosit? quidve nocetve mori?
Vita quid est hominis, nisi quædam extenta labor?
Quâ gressu accelerante, vitæ mors sua pari.
Munere fungentem lucis, defungier illâ,
Si placet, his mecum dispiciote notis.
Si mors inde orsa est, unde & detractio vitæ;
Nunquid idem vitæ principium atq; nocet?
Visáne deteritur, quantis per vivitur? atqui
Quicquid deteritur, pars quoq; mortis idem est.
Clepsydra nequaquam guttâ exhauritur abillâ,
Quæ fluit extremâ continuata vice;

Sed

Ad imagè rotiùs fluxu vacuatur ab undæ;
Defluvium claudat gutta suprema licèt:
Sic neq; momentum, quo vivere desinis, unum
Tota necis caussa est; sed modò finit eam.
Sors ita cur exsors? Cur mens vos occupat amens,
Ut sit & in votis secula tota mori?
Lubrisne queunt vos oblectare dolores,
Ut juvet hos tantâ sustinuisse morâ?
Imòne hoc cupiunt cupidi producere vitam:
Et dubitatis, an hos certè phrenesis agat?
Sed miser est tantisper homo, quantisper in orbe est;
Vita ubi defecit, desinit esse miser.
Vestrigo sic ducens communes aeris haustus,
Corporis infirmi termina mille fero.
Quota injuria! O tam bona clausula lethi!
Hora venit vitæ, cùm necis hora venit.
Quid mihi jam diræ nocuit violentia Pestis?
Quidve oberit Parcæ colla dedisse jugo?
Stare vel ire mihi fuit, ut residere, negatum,
Vix potui strato decubuisse toro.
Ergo quid amisi? nisi id intolerabile morbi
Pondus, & immensi triste doloris onus?
Quid contrà accepi? certè quod voce profari
Nec datur, humanâ nec datur aure capi.
Hæc breviter jactura obitus, & summa lucelli est.
Mercine nunc ambas pensiculate pari.

Nocturna insomnis non torqueor amplius horâ,
Quando oculis est jam noxq; sopor; q; procul.
Ut minus officiat, quæsta ut lucrosa penumplo
Mors sit, ab exemplo disce Marite, meo.
Sic neq; deserui fragile immaturius ævum.
Immatura piis tempora nulla puto.
Quin Pietate, Fide q; simul maturrima, me Spe,
Et matura malis debilitate cado.
Quid cadone? immò, cado; sed casu liber ab omni
Casus hic; ad nutum res cadit acta Dei.
Fictilibus mensam vasis attende referam;
Quæ frangenda priùs testa sitinde, roga:
Quid figulus? frangine priùs veterem, anne recentem?
Primam, ait ille, solo quæ cadit ista prior,
Fictile vas homo sit, mundus figlina: quid autem,
Si nova tam citò, quam vasa vetusta ruant?
Hoc modo discrimen, si quid discriminis hoc est:
Mors juveni a tergo est; ante oculos q; senì.
Æris gratuitum si quis tibi credidit usum;
Æsne potest meritò poscere, quando libet?
Dat Deus hoc vitæ spatium, gratis dat, & illo
Fruge tua utaris cum q; salute, cupit:
Si citius, quam tute putes, sua is ære repostat;
Id neq; mirari, nec malè ferre decet.
Me bona vestratis ne poscite, deprecor, ævi;
Ne tenuis vestras dissipet aura preces.

Quo

Quod mihi vita foret, factus mihi CHRISTUS
abundè est,
Ille piè functis omnibus omne bonum,
Liquid lætitiæ? quæ vobis, quæso, voluptas,
Quâ non hic longè nobiliore fruar?
Autem cupitis? nulli hic incanuit ætas:
Et tamen est ætas nullibi sera magis.
DOCTRICEM expetitis? paucis, age, quem & monebo:
Fide Deo; mundum despice; disce mori.
Me vobis decori pulcris? me civibus usui?
Qui melius fieri, quàm fit, utrumq; putem?
Quid magè honorificum, quàm quaquaversus euntem
Agnum, cœlicolas inter, ubiq; sequi?
Quid magis ex usu vestrod, meod, putatis?
Auxerit an damnum commoda vestra meum?
Haud reor: at nego vos id credo precarier. Atqui
Vivere damnosum; quæstius obire fuit.
At soboli superesse meæ si fortè decebat;
Principe nonne mei parte superstes ago?
Possideat Corpus, non possidet omnia lethum:
Optima pars nostrum nil timet arma necis.
Sed nec humus mera sum: Caro terrea, terra vicissim
Facta, at mens cœlos, unde oriunda, petit.
Si peccare in me, aut nimio peccastis amore;
Hanc versum à me ad se discupit arte Deus.

Quid vetat ergo meis complaudere plausibus omnes,
Si quos tangit amor, vel pia Cura mei?

Johann. Rodenborch
Antwerp.

ODA LUGUBRIS.

QUisnam dolorum finis atrocium?
Quæ pausa? quis sit tristitiæ modus?
Cùm tot simul sit luctuosis
Funeribus domus una pulsa.
Domus, Themistos dulce Palatium,
Sedes *Minervæ*, quâ Chorus Aonum
Præ cæteris lectâ æviternum
Hospitium sibi collocavit.
REUSNERE fulgens Leucoridos Nitor,
Dices Voluptas, Gloria Pallados,
Mirúmne totum te perennes
In lacrumas penitùs resolvi!
Mirumnè, planè nil reliquum Tibi
Nunc esse præter flere, quòd occidit
Heu præter ætatis vigorem,
Spemq; Tuam, atq; preces tuorum,
Dilecta conjux Delicium Tuum,
Olim, sed heu! jam cordolium Tuum
Cum prole dulci, cumq; ventre
Progenie tumido novellâ.

Portenta

Portenta rerum, monstra Triformia,
Parcæ Tyrannæ, Tuque adeo ferox
Mors helluo humanæ avitatis,
Oeconome anguineæ cohortis.
Vosne addecebat tam miseris modis
Domum Camœnis hancce sacerrumam
Tractare? nec sat diritatis
Hoc erat, aureolam puellam
Stravisse letho? quin superadditis
Ejus parentem; cui Pylios dies
Spondebat incorrupta virtus,
Et Pudor, & Pietatis ardor?
Non hanc senectæ debilior mora,
Non sæva vitæ Tela libidines
Intemperantis compulerunt
Tam subitò in tenebras abire.
Vivebat omni laude celebrior,
Amans Mariti, nec metuens mori,
Si fata sic ferrent, salutem
Illius ut reparare posset.
Cultrix supremi sedula Numinis,
Et felle nullo tincta cor entheum;
Sed forma præstans, atq; pulchra
Candida mens imitata formam.
Condibat omnes aurea suavitas
Ejus loquelas, quin erat omnium
Ceu Gemma virtutum, suique
Intemerata Nerea sexus.

Vos, quod dolendum, nil tamen omnia,
Nil hæc morati falcis acuminæ [illegible]
Hanc mes[illegible]istis, jamq; cæco
Contumulata jacet sepulchro.
At multa quid jam fusti neo queri?
Locus querellis nullus idoneus
Hîc est, nec ad manes profusæ
Lacrumulæ veniunt sepultos.
Virtute casos mortua defleat
Caterva cætûs, Te verat emori
Mors sancta, felicem q; vitam
Aureolo dat habere cœlo.
Vixti beatè, spurcitie carens,
Et labis expers, quàm licuit Tibi,
O sidus, & Lux pulcra quondam
Fœminei Theodora sexûs!
Vixti secundâ sorte, nec appetens
Ullius unquam prætereà boni,
Sed faustitati defuisse
Temporis hoc poterat videri,
Posses caducæ tempore florido,
Fruique vitæ longius aurulâ,
At cœlitum sedes suopte
Depositone quiit carere.
Posthac anhelans. Posoeris æthori
Surrepta terris, & paradisiis
Gaudens viretis ludis inter
Angelicos hilarè Quirites.

Præsc

Præsentiebas hæc nova gaudia,
Abrepta dulci nuper in Extasi;
Mentemq; paulò post revisens,
Has rediviva dabas querelas.

Oqne voluptas in superûm Thronis!
Quæ vita sua vis! quanta q; Gratia!
Hîc jã licebat Numen ipsum,
Hîc teneros revidere natos.
Cur reddor orbi? quàm brevis ab! mihi
Isthæc voluptas visa! sed optime,
Tu Christe fac verâ fruisci,
Ut citò morte soluta possim.

Jam jam fruisci perpetuò licet,
Jam parta vere est illa beatitas.
O Fœminarum Fax decora,
O superi socia almi cœtus!
Ergo perennis Tu Themidos Nitor,
Reuneree nostræ Lux Academiæ,
Compesco luctus, nimiaque
Exilium nimiis querelis.
Qui Christum nè victitat, is male
Notuit mori, nec decet anxiè
Hos fine defunctum dolere,
Tantaq; gaudia qui invidere.

Portu petito Dorotheæ Tuæ,
Potita gaudet; jam superûm Choris
Adjuncta lætatur; quid Illi
Dulcius eveniat beatæ?

M. Johannes Cörberus Urfersheimio-Francus. F.

XIII.

Exequiæ Johannis Casparis Grubneri Chemnicensis.

ROBERTUM Siciliæ Regem, qui ante annos trecentos floruit, cum mirificis passim laudibus ornet Franciscus Petrarcha, testis oculatus, inter cætera hoc ornat elogio; Quod in singulis vel Regibus vel Philosophis miretur antiquitas, in ipso & Rege simul & Philosopho posteritatem admiraturam.

Hujus encomii veritatem ut Regis excessu ex hac vita memorabili confirmat, ita ipsum sibi omni ex parte constitisse, ita superstites consolatum inquiens, tanquam non ipse; sed hi morituri essent; ita res suas disposuisse, ut rus peteret, non sepulcrum, & ex ipsa morte cõcionari videretur: Sic alibi ejusdem sapientiæ argumentum refert singulare & cognitu dignissimum.

Cùm

Cum enim filium ipsius unicum Carolum Calabriæ Ducem, in medio ætatis flore, & in summa omnium expectatione ac spe, morbus invasisset, & Rex non tantùm patris, sed etiam medici officio functus fuisset: & adolescens nihilo secius regius, summo regalis totius gemitu ac dolore obiisset; solum Patrem, cunctis flentibus, non flevisse scribit.

Immò exactis exequiis, nec vultu, nec vestealium, oratione magnifica proceres mœstos populumq; consolatum, & ipso die regni negocia explicuisse, lites audiisse ac dremisse; quid in re qualibet facto opus esset, edixisse, ut non ipse luctu oppressus Rex; sed à Regealari submissus consolator, aut vicarius videretur.

Hoc Regis laudatissimi factum, exponere in præsentiarum placuit, quia non dubitamus, quin vir clarissimus & excell. Dn. *Caspar Grubnerus* Jenensis, Medicinæ Doctor, & civitatis Chemnicensis medicus Ordinarius, in maximo luctu sit futurus, audita morte filii suimet unici, adolescentis, *Johannis Caspari Grubneri*, ad cujus exequias cives Academicos hoc programmate invitamus.

Verùm ut hoc naturæ negari neq; potest, neq; debet; *Non enim hominis est iisdem oculis suorum funera, quibus ipsos intueri*: Ita luctus iste non modò Christiani, sed etiam

ejus

ejus est, qui se in studiis Philosophiæ & eloquentiæ historiarum versatus. Quare in Regis [illegible] datus, simul exemplum incuens vir clarissimus Poëtæ illud secum cogitabit.

Quod decimi reges, cur mihi non pater?

At vos, cives Academici, in hoc triumphi spectaculo funebri sub nde illa ejusdem Rectorachæ verba lugentia habitis.

O spes hominum tua! ô res hominum vadua!

Natus enim fuit adolescens ille, cui supremum pietatis & humanitatis officium impendebatur IV. prolixè nobiscum præsentibus, patre quidem illo, quem diximus, Matre verò ESTHERA Ketevvichiana, ex familia *Nevvtonium*, tum multis aliis nominibus, tum verò hanc etiam ob causam celebri, quòd adolescentes aliquot honestis in Academia hostra stipendiis sustentat.

Ab his parentibus ita de à prima infantia pie sanctèque educatus filius, cùm in scholis patriæ, tum à privatis præceptoribus ita fuit eruditus atq; eruditus, ut dignus fuerit habitus, cui locus inter Scholæ illustris alumnos daretur. In eadem quo facilius in studiis progressus, ut quod cæteri discentes triennio solent assequi, id ipse quadriennio præstiterit, & de parentum ac præceptorum consilio se ad Academiam contulerit.

Ad hanc verò cum exeunte Maio appe-

lit-

disset, eo proposito, ut paternis insistens vestigiis Medicinæ studio rorum se traderet; ad illud scilicet & inclinatione naturali propensus, & adminiculo Græcæ linguæ præclarè instructus. Ecce tibi; mox primis adventus sui diebus in febrim incidit ardentissimam, quæ cum obstitisset, quò minus nomen ipse suum profiteretur. Die demum Junii XIV. contubernale internuncio in album Lycææ Juventutis fuit relatus; ubi valetudinem primùm recuperasset, cæteris præstiturus.

Sed Febris continua, acuta, nec malignitatis, ut medicorum verbis utamur, expers consilia omnia everit. Etsi enim natura medicamentis etiam fideliter adjuta toto morbi decursu varias evacuationes instituere conata sit: Illi tamen expellendo impares fuit, nec ex iis melius habuit ægrotus; sed indies omnia in deterius prolapsa sunt: Donec tandem Calendis Julii, hora VII. vespertina, tota mente in *Christum* Servatorem versus expirarit, & è corporis vinculis placidè excessit, cùm vixisset annos quasi novendecim; & in ore assiduè habuisset verba ista: *Domine JESU, propitius mihi peccatori! Domine JESU, in manus tuas commendo Spiritum meum.*

In his igitur manu quiescat animula: corporis exuvias, quæ templum fuêre Spiritûs Sancti, ex ædibus Oeconomi hora III. in Cœme-

Cœmeterium subolis patrum exportandas, in terræ sinum ritu Christiano inferendas, comitatu frequente cohonestaveris: rem facietis Deo gratam, parentibus defunctis familiæ laudatissimæ honorificam, vobis vestroq; ordine dignissimam, & voluntati nostræ, quam pluribus exprimi nihil attinet, consentaneam. P. P. III. Jul. Anno M. DC. XIV.

XIV.

Invitatio ad recitationem legum Scholasticarum.

PLena prudentiæ civilis est apud Livium. L. Valerii tribuni pleb. oratio, qui de legibus abrogandis vel retinendis agens, inter alia hæc protulisse perhibetur: *Alia leges non in tempus aliquod; sed perpetuæ sedilitatis causa in æternum feruntur. Harum nulla abrogandæ est, nisi quam aut usus evarguit, aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit. Aliæ leges tempora aliquis desiderant; & hæ mortales, & temporibus ipsis mutabiles sunt: ut in navis administratione alia insecunda, alia in adversa tempestate usui sunt.*

Ad hanc veluti normam judicii si leges exigamus, quæ inde ab initio Academiæ ju-

Digitized by Google

jus partim à summo Magistratu præscriptæ, partim Comitiis publicè decreto sanctæ variis temporibus fuerunt. Fateri sanè cogimur, fuisse nonnullas, quæ ad posteriorem classem pertinerent, quæ tam diu manserunt, quàm diu causa scribendarum harum manebat. Annales ipsa docet, maximam earum partem ejusmodi esse, ut inter perpetuas numerari jure meritoque debeant.

Ex hoc genere nisi & Serenissimi Principes Electores Saxoniæ, quibus secundum Deum initia, incrementa & stabilitatem suam Academia nostra debet, & ii, qui docendi munus in eadem hactenus sustinuerunt, legem illam esse censuissent, qua legum Academicarum recitatio solennis singulis Rectoribus severè injungitur: Neque illi toties legem eandem sanctionibus suis confirmassent, neque hi in observanda illa tam religiosi & diligentes, si paucos excipias, ad hæc usque tempora fuissent.

Potest quidem, incidere nonnunquam impedimentum aliquod, & ejusmodi rerum conditio, ut legis etiam sanctissimæ neglectus necessarius excusationem mereatur. Verùm ubi & remotum, quod obstare videbatur, impedimentum fuerit, & tranquillior reip. status redierit: ibi

vero

verò sit absque causa graviore lex ulla violetur, culpa carere contemptus ille non tam legis, quam legislatoris ipsius nullo pacto videtur posse.

Quæ cum ita sint, intermissam proximo biennio consuetudinem repetemus, & die Martis proximo hora nona in Auditorio Boideniano, LEGES ACADEMIÆ prælegi publicè curabimus.

Ad eam ergo Academiæ festivitatem, ad quam præter omnium Facultatum Professores publicos, etiam cæteros Doctores ac Magistros, tum exempli causa; tum observantiæ suæ erga fundatores & conservatores Academiæ munificentissimos testificandæ gratia frequentes accessuros omnino confidimus, studiosam juventutem significatione hac publica invitamus, minimè dubitantes, quin promptos omnes paratosque in hoc officii genere simus habituri.

Et quoniam in hos ipsos dies incidit lustratio ordinis in hac ditionis Electoralis parte Equestris; datutos operam singulos & universos, quotquot nostri sunt, speramus, ut morum gravitate & vitæ honestate ac modestia, quæ bonarum artium studiis deditos & excultos decet, hospitibus sese probent, neque causam ulli præbeant, vel de se conquerendi, vel siniſtrè de toto ordine Scholastico

lastico judicandi. Minimè verò omnium verendum putamus, ne quis intempestivè & importunè alienis sese negotiis immiscendo periculum sibi ipse accersat. Quod tamen si quis præter voluntatem & expectationem nostram fecerit; quem accusare possit, præter seipsum habebit neminem. P. P. VII. Idus Augusti. Anno M. DC. XIV.

Exequiæ Samuelis Knopfii VVirsbergensis Franci, vultro interempti.

SI ullus unquam casus adolescentiam studiorum gratia huc missam deterrere debuit à contumeliis verborum, quæ hostis humani generis, nostriq; inprimis ordinis, diabolus ex Orco ipso evomuisse videtur; hesterni profectò diei casus perquam luctuosus id facere debet.

Adolescentes duo, alter natione Francus annorum unius & viginti; alter hujus civitatis, ut majores nostri loquebantur, filius triennio minor, inter quos ante infelicissimum hesternũ diem nulla unquam, ut ex fide dignis audivimus, noticia, nedum familiaritas, aut ex hac distractâ, simultas intercesserit; ex occasione probri altrinsecus jactati, dum

neuter PENNALIS audire vult, ita à verbis ad verbera venerunt, ut major ille cultro saucciatus in pectore mox animam, ô vitæ exitum lacrymis nullis satis deplorandum! post suspirium unum atque alterum ad Deum, quod tu CHRISTE Servator benignissime exaudiri velis! efflarit. Alter natu minor nunc verè PŒNALIS, in custodia sententiam expectare cogatur meritis suis dignam.

Peractum est hoc homicidium in luce meridiana; & sub Sole hoc clarissimo sanguis humanus effusus est, paullò ante horam undecimam, cùm à prandio satis frugali & sobrio, post offensionem leviculam, quæ horis matutinis inter utrunque ex improviso accidisse dicitur, ex communi convictorio extra portam proximam ambo exiissent. Adeò verum est vetus illud; Nescire nos, quid vesper serus vehat.

Et nunc quid facere possumus, quàm ut Judici utrunque suo relinquentes, in terræ matris, quæ sanguinem interempti invita hausit, nec prohibere potest, quò minus ad Deum ille vindicem clamet, sinum exuvias nimis proh dolor! flebiles inferamus?

Ad quod officium prolixè prompti; præstandum, ut frequentiores conveniant cives Academici, tum alias ob causas censemus; tum quia de peremptæ natalibus & vita hactenus actâ, ea testantur ii, quibus familiaritet notus

notus fuit, quæ omnium commiserationem justissimam merentur. Patrem enim habuit, & habere diutius potuisset SAMUEL KNOPFIUS Wirsbergensis Francus, cui nunc exequias ibimus, Virum Reverendum & doctum Johannem Knopfium, Ecclesiæ Selbicensis Pastorem per annos jam benè multos vigilantissimum: Matrem verò Margaritam, ex familia in hac ipsa urbe ut vetusta, sic honorata, Buckolschiorum; quos parentes mœstissimos, casus tam tristis nuncio audito, quod animi habituros arbitramur? Sed consolatione præstiti officii sustenta rerecti sint. Filium enim hunc suum in Schola Patria piè sanctèq; educari curarunt, in qua jactis felicibus bonarū literarū fundamentis, Curiam Variscorum missus, in Gymnasio illo per integrum vixit sexennium, liberalitate per trienium ibidem sustentatus Illustrissimi & Celsissimi Principis, CHRISTIANI, Marchionis Brandenburgici. Inde verò de Parentum ac Præceptorum consilio in hanc nostram se contulit Academiam, circà festum Paschatis anni superioris M DC.XIII & cum studiis Philosophicis Theologiæ tractationem accuratam conjunxit, hoc sibi propositum habens, ut baculus aliquando esset senectuti Paternæ. Vitam quoque Professioni consentaneam fuisse, hoc est, piam honestamq; testantur populares, convictores, contubernalis.

Digitized by Google

Talis ergo cùm SAMUEL KNOPFIUS fuerit; & tamen in ipso ætatis flore, ex causa tam futili sit extinctus: Cogitate, cogitate per Deum immortalem! quotquot nostri estis, quàm tenui filo vita vestra pendeat, & Diabolicum illud probrum PENNALIUM tum detestari ex animo, tum sapienter contemnere potiùs, quàm furiorè ulcisci discite.

Commilitoni verò quondam vestro extremum humanitatis & insperatum officium præstituri, postea Horâ III. ante ædes Viduæ Henrici von Braunschweigk / medio fere spacio inter Collegium Friderici & Augusti sitas, convenite, & in hoc tam lugubri officio salutem Academiæ & vestram singulorum piis votis DEO commendate. P. P. IX. Augusti, Anno MDC.XIV.

XV.

Exequiæ Iohannis Aumanni Hersfeldensis Hassi.

CIrcumfertur altercatio Hadriani Augusti, & Epicteti Philosophi, sententiis referta lectissimis. In ea quærenti Hadriano, quid homo sit, Philosophus pomo similem illum respondens, versus addit, non indignos cognitu:

Poma

ema ut in arboribus pendent; sic corpora nostra
Aut matura cadunt, aut citò acerba ruunt.

Aptissima profectò similitudo, & omnium oculis hoc præsertim tempore, ad autumnum declinante anno, exposita. Ut n. violentia ventorum ante maturitatem pomorum pleraque decutit: Ita morborum varietas, eorum sævitia plurimos ante senectæ-metam, à natura suo quodam modo præfinitam, & verbo etiam divino expressam extinguit.

Vitam hominis ad septuagesimum, aut octogesimum ætatis annum extendi Moses inquit. At quotusquisque metam illam attingit? Itaque non malè & alteram Epictetus Hadriano, quid homo sit interroganti, similitudinem proponit, lucernæ illum in vento positæ comparans; non modò fugacem hominum vitam esse innuens, sed etiam fragilem.

Ejus rei specimen rursum nobis exhibet adolescens pius & eruditus IOHANNES AUMANNUS Hersfeldensis Hassus. Amisit ille in prima infantia Patrem, Virum Clarissimum & præstantissimum MATTHIAM AUMANNUM, Philosophiæ & opt. artium Magistrum, Principalis gymnasii Hersfeldensis collaboratorem: Matrem verò, BARBARAM Dähn, ex familia in hac urbe antiqua & primaria ortam, omni ma-

tionalium virtutum laude cumulatam fœminam, superstitem reliquit.

Ex his Parentibus anno Christi M. D. XCV. in lucem editus, & matris potissimùm curâ, præmaturè mortuo Patre, in Schola Patriâ pièe & honestè educatus, operam dedit, ut veræ religionis & bonarum artium ea poneret fundamenta, quæ sustinendæ reliquorum studiorum moli satis essent.

Cùm autem verendum esset, ne contagio quopiam opinionum erronearum inter suos adolescentis animus inficeretur: Præceptorum, quibus orthodoxa veritas cordi est, & amicorum suasu ac hortatu nuper admodum in hanc nostram sese contulit Scholam, Maij mensis die decimonono in album relatus civitatis literariæ. Seddum studia sua strenuè urgere pergit, hoc sibi habens propositum, ut temporis partem aut nullam aut minimam inutiliter abire patiatur, & cum accurata Philosophiæ tractatione, sacrosanctæ etiam Theologiæ cognitionem conjungit: pridie Calendas Augusti in melancholiam incidit profundam, quam subsecuta est febris tertiana peracuta. Ut autem hic morbus brevis & præceps, alterutrum facere consuevit, ut aut extinguatur, aut extinguat: Ira vim suam in hoc etiam adolescente exeruit. Heri enim intra horam sextam

& sep-

Digitized by Google

& septimam matutinam, postquam per totam noctem precibus sese ardentissimis & assiduis, elevatis ad cœlum manibus, Deo conditori suo, merito & sanguine Iesu Christi, Servatoris sui fretus, commendasset, animam placidè exhalavit.

Vitæ anteactæ mors etiam fuit consentanea. Fructus enim fidei sinceræ, Spiritus Sancti præsentiam & efficaciam satis declararunt, dum candidè & amicè, quod ex contubernalibus & convictoribus accepimus, cum iis conversatur, quorum utendum fuit consuetudine & familiaritate. Idem Spiritus Sanctus in agone extremo solatia subministravit efficacissima, quod ex iteratione collegi potuit sententiarum lectissimarum, & suspiriorum ardentissimorum: Inter quæ frequenter in ore habuit illud Vatis Regii Canticum: *De profundis clamavi ad te Domine:* & hoc ejusdem; *In manus tuas commendo spiritum meum. DOMINE JESU!* Hunc ergo commilitonem vestrum jam coronatum, quod agonem vitæ ab eo transactum esse argumento sit, ex ædibus aurifabri in platea Consulum, in Cœmeterium suburbanum postea Hora XII. uti frequentes Cives Academici comitem mihi, & Populares atque amici officiosè rogant, & nos magnoperè censemus, P. P prid. Id. Augusti, Anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

XVII.

Exequiæ Alberti von Leipzig viri nobilis interfecti.

HUmanis homini nihil est in rebus amicum;
Nemo scit, horæ suæ quæ sit, & unde necis;

Verè nimis dixit Poëta Germanorum inter paucos celebris, Georgius Fabricius, in epigrammate, quo viri ex equestri ordine splendidi, Volradi Waezdorfii, tormento proprio interfecti, tumulum exornavit, fuisse illi affirmans

Grande animi studium, quærere laude decus;

cumque porrò ita inducit loquentem:

Gallia me studiis incumbere vidit honestis,
Indè Palæstinæ urbibus hospes eram.
Cui via irati pelagi & pirata pepercit
Barbarus, in patria mors violenta fuit.

Non ovum ferè ovo, quod ajunt, tam simile, quàm fato Waezdorfii à Poëta celebrati fatum viri itidem nobilis ALBERTI von Leipzig / ad cujus exequias ut cives Academicos programmate, ut moris est, invitaremus, rogati sumus.

Natus enim ille fuit mense Martio, an-

no

ao CHRISTI M.D.LXXVII. parentibus ut nobilitatis perantiquæ; sic omnium, quæ hunc ordinem decent, virtutum laude florentibus. Patre quidem WOLFGANGO von Leipzig zu Wesenigk / qui sedem suam dimidio supra Torgam milliari habuit, & per annos plurimos Electoribus ac Ducibus Saxoniæ in saltuariorum præfectura operam navavit laudabilem ac gratam. Matre verò SALOME von Zerbst / è domo Hundelufft inditione Anhaltina.

Ab his ergo parentibus procreatus, & inde à teneris unguiculis in veræ pietatis, omniumque virtutum studio culturaque fideliter educatus, filii probi & generosi officio nulla in re defuit. Et quoniam animum ipsius ad laudem decusq; inter exteros comparandum incitari parentes animadverterunt; in pueritia Wizlebio, Capitaneo Electorali Saxonico in Liebenvverda, in familiam & disciplinam ipsum tradiderunt: Cujus in Belgium proficiscentis comes, Regis Hispaniæ præfecto militari porrò fuit commendatus: In cujus familia cùm triennium versatus, & in bellica re non mediocrem & peritiam & celebritatem consecutus fuisset: è Belgio feliciter ad suos rediit.

Sed ardens gloriæ cupiditate animus non diu domi ipsum sivit commorari. Itaq;

Digitized by Google

primùm quidem cum fratre suo WOLFGANGO, piæ memoriæ, eques in Hungaria militavit. Mox verò cum altero fratre ANSHELMO, felicis item memoriæ, sacræ Cæsareæ Majestatis Tribuno militari, in legione Althemiana inter pedites adversus hostem Christiani nominis Turcam, per integrum novennium tam strenuè fortiterque legessit, ut tandem Vexilliferi honorem in legione Buchemia fuerit evectus.

Eum verò honorem in quatuor expeditionibus Hungaricis sic administravit, ut eximiam sibi apud superiores benevolentiam gratiamque, præclaram apud omnes existimationem, & dignam natalibus ac factis suis gloriam comparârit.

Postquam autem de pace inter Romanum Imperium & Turcam agi cœptum; domum reversus parentibus senio confectis, utpote propè octogenariis, usq; ad vitæ illorum exitum, fidelem & necessariam in administranda re familiari præstitit operam.

Tandem verò illis etiam è medio sublatis, per biennium in delata ad se parte hæreditatis paternæ tractanda, patrem familias se præstare, & togæ non minùs, quàm sago aptum natum demonstrare cœpit. Eam verò ad rem cùm sociam requiri intelligeret industriam, fidelem & concordem, non ita pridem sponsalia celebravit, eũ Virgine nobilissima, ANNA, filia viri item strenui ac nobilis, ABRA-

NAM von Leipzig/vff Beerwaldau. Sed eccè dū in constituenda re domestica & apparandis nuptiis totus est; casus infelicissimus omnia ista cōsilia interturbavit & evertit. Die quippe mensis hujus octavo, multis sanè modis infelici, atq; utinam non ominoso! ad lustrationem ordinis sequentis cùm huc venisset; Casu insperato, quem omnibus nimis notum animus horret exponere, vitam in his terris suam finivit: Atque ita necis horam ubi minimè putasset, atq; unde minimè credidisset, invēnit. In hunc verò casum utraque à parte luctuosum & maximoperè dolendū, (siquidem bellatorum fortium & exercitatorum jactura incomparabilis est) quoties intuemur, non tantùm de vitæ fugacitate, & exitus incertitudine ac varietate cogitemus: Sed ad preces etiam in emendatione vitę pias excitemur, ut nostri misertus DEUS furorem Satanæ reprimat & coërceat, & clades tristissimas, quas & peccata nostra merentur, & multa minitari nobis videntur, clementissimè avertat. Extincto verò, qui assidua verbi divini auscultatione ac meditatione, religiosaq; & devota Cœnæ dominicæ usurpatione pietatem; & obedientiā erga summum magistratum, aliisq; virtutum, tali viro dignarū, documentis, promptitudinem in præstando officio suā cumulatè declaravit, supremū humanitatis honorem exhibeamus; & in honorem familiæ nobilissimæ, ac nominatim

fratrum

fratrum & sororis defuncti, exuvias exædibus Martini Kelneri, postea hora II. ad locum sepulturæ in æde parochiali comitantes, non dubitemus, quin quod Waezdorfio suo, Fabricius, (ut unde cœpimus, ibi desinamus) tribuit, idem Alberti von Leipzig votum assiduum fuerit:

Credo meum te, CHRISTE; *Tuo me surgere verbo,*
Ad superam jubeas, cùm venit hora, domum.

P. P. Prid. Idus Augusti, anno M, DC. XIV.

XIIX.

Rectoris & Consilij publici significatio, de Relegatione H. I. S.

Utilissima sunt in tota hominum societate, virorum de Ecclesia Dei viventis præclarè meritorum monita; Augustini quidem; *Sic vigilet tolerantia, ut non dormiat disciplina*: Leonis verò Papæ hoc: *Quos persistere in sua obduratione cognoscimus, eos oportet districtius comprimi, si nequeunt benignitate sanari.*

Toleravimus hactenus animo verè paterno in nonnullis, qui pro Scholasticis sese haberi volunt, eoque nomine in album adscripti

scripti sunt civitatis literatiæ, non pauca aut levia delicta, spe & persuasione adducti inducitata fore, ut ad meliorem se frugem recipientes, maculas hactenus susceptas vitæ honestate eluerent ac delerent: cùm sciamus voluntatem esse supremi magistratus, ut mitiora priùs tententur remedia, quàm adurendum ac secandum descendatur.

Verùm quemadmodum non prorsus vanam spem illam fuisse gaudemus, ac deinceps etiam de iis, qui per ætatem judiciique imbecillitatem labuntur nonnunquam & humani aliquid patiuntur, meliora nobis pollicemur: Sic dolemus tantùm non invitos nos cogi ad edendum severitatis necessariæ exemplum.

Vix enim ullum ex civibus non solùm Academicis, verùm etiam opidanis esse arbitramur, cui non innotuerit nomen H. J. S. quem civitatis, in qua vixit, antequam ad nos accederet, nomen notiorem reddidit. Itaq; in illius factis recensendis operæ parcimus, rectiùs illam in exarandis ad eos, quorum autoritas & reverentia nihil apud ipsum ponderis habuit, publico nomine literis collocaturi.

Unum hoc celare jurisdictioni nostræ subjectos non potuimus, quòd cùm à clementiâ propter ætatem & alias causas nos habe-

rer

ret non prorsus alienos; proximis his diebus tum fuerio sis in eorum, à quibus nulla fuerat affectus injuria, famâ vitamq; debacchationibus; tum contumaciâ adversus magistratum Scholast cum præfracta & intractabili, ad stilum ut decretorium accederemus, nisi neglectæ disciplinæ crimen sustinere apud bonos omnes vellemus, tandem nos compulerit.

Quare cùm in annos V. ipsum relegaverimus, & ante Solis occasum hoc ipso die ex urbe agroque Wittebergensi exire jusserimus: Mandamus, ut qui ex nostra illum societate remotum intelligunt, cautionem & diligentiam adhibeant, ne paribus peccatis pares sibi pœnas, cum damno vix reparabili attrahant. Postquam enim semel expergefacta est severitas, non facilè consopiri illam patiemur. Caveant, quibus salus sua cordi est, ne dispensationem sibi concreditam malè administrando, ad auferendam illam Regem Regum ac Dominum dominantium provocent atque irritent. P. P. dominicâ injusti Oeconomi,

Anno M. DC. XIV.

Exe-

XIX.

Exequiæ Iohannis Georgii Crellii infantis.

EX perpetua & assidua hominum, cujuscunque sint loci & ordinis, experientia natum est veri verbium Apollonii Rhodii.

οὔποτε φῦλα δυσπαθέων ἀνθρώπων
τερπωλῆς ἐπέβημεν ὅλῳ ποδί. σὺν δὲ λιγὺ αἰὲν
λυκὴ παρεμέμλωκεν εὐφροσύνῃσιν ἀϋτὴ.

Quibus versibus significatur, *nunquam genus miserorum hominum*, ut verbum verbo reddamus, *Lætitiam toto pede accedere: Sed aliquam semper amaram adesse lætitiæ tristitiam.* Ac sanè disputant sapientes, an lætitia ullo minimo dolore pensanda sit, & in hac nonnulli sunt opinione, bona malis paria non esse, etiam pari numero. Verùm & humanius est, & ad pietatem Christianis hominib. dignam propiùs accedit eorum judicium, qui censent abundè atq; indulgenter cum eo decidere non fortunam, sed Deum, qui jure dici, non infelix queat: & in vita non solùm perfectâ & constantem felicitatem, sed etiam interpolatam quandam casibus tristibus, tamen pro felicitate habendam esse.

Hoc

Hoc si cogitaverit vir honestus & integerrimus, *Sebastianus Crellius*, Notarius publicus, & Consistorii Ecclesiastici Advocatus, moderationem in luctu recenti adhibebit eam, quæ veritatis etiam cœlestis ignaros decere possit.

Exhilaratus ille subinde fuit conjugii fœcunditate; sed eam lætitiam sobolis melitissimæ obitus toties iterati luctu intra pauculos annos gravissimo, perturbarunt. Vix enim duo menses supra annum integrum elapsi sunt ex eo tempore, quo post trium filiolarum funera acerba filiam vix quadrimulam *Euphrosynam* extulit.

Eum luctum cùm duplici gaudio compensaret divina clementia, primùm quidem sanitati priscinæ restituto filiolo carissimo, & aviti nominis hærede *Paulo*, de cujus febri tertiana duplice correpti vita, cùm obiret filia, admodum dubii & anxii parentes erant: Deinde verò ortu filioli *Johannis Georgii*, Martii mensis die X. V. II. hora X. antemeridiana in lucem feliciter editi, & per lavacrum regenerationis arbori vitæ *Jesu Christo* inserti: Ecce tibi! ne pleno pede parentes φιλοσόφους adisse lætitia dici aut videri posset; die ab hinc octavo paroxysmis epilepticis tentari is ipse *Johannes Georgius* cœpit.

Tantæ

Tantæ verò morbi sævissimi violentiæ corpusculum tenellum nullo modo potuit resistere diutius; Sed nudius tertius hora X. vespertina hunc etiam filiolum parentibus Deus mœstissimis eripuit. Quid ergo? An infelices idcirco parentes censendi, utpote qui in orbitatem duntaxat liberos produxisse videantur? Si profanum aliquem audire voluerimus, haud multo aliter statuendum erit. Sed diversissima est veritatis cœlestis sententia. Non enim huic vitæ destinata est vera felicitas: Sed aliam expectamus meliorem, in qua suas quisque fidelium necessitudines, suosque amicos, cum lætitia nullis terminanda aut interrumpenda seculis, recuperabit. Hanc ergo spem nostram ut testemur, & dolori parentum solatia quædam pia subministremus: exequias hujus etiam infantis frequente, Cives Academici, comitatu posteà hora III. cohonestemus.

Efferetur autem ex ædibus parentum, arci oppositis in cœmeterium opidanum, & ad suorum latera sepelietur, malis scilicet & casibus, quibus plena & infesta hominum vita est, universis subductus: quorum incursum atque impetum, nusquam non sese ostentantem ut clementer avertat Deus, in his ipsis congressibus & spectaculis, orare & precari singulos decet. P. P. XXI. die Augusti, Anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

XX.

Significatio examinis beneficiariorum Academiæ.

GRavi consilio à majoribus nostris sancitum, & hactenus constanter observatum fuit, ut singuli Rectores in suo magistratu examina instituant eorum, qui vel beneficiis & eleemosynis publicis fruuntur, vel ex Principum munificentia, aut etiam privatorum quorundam liberalitate subsidia nonnulla studiorum accipiunt.

Nihil enim rectius, quàm eorum voluntates supremas sanctè custodiri, qui non solùm dum viverent, præclarè de patriâ promereri; sed post mortem etiam suam posteritatis utilitatibus pro viribus consulere voluerunt. Nihil item justius, quàm ut illi, qui beneficia illa rectè collocant, vel ideò magistratui innotescant, ut eorum ratio possit haberi, si qua promovendi illos ad luculentiores conditiones detur occasio: Ex adverso verò, si qui liberalitate publica abuti deprehendantur, ut ad meliorem mentem revocentur, vel si emendationis spes nulla sit, iis remotis, ad dignores beneficia illa transferantur. Huic ergo majorum instituto ut sa-

Digitized by Google

fiat, seriò mandamus universis & singulis, qui vel ab Academia quocunque nomine stipendia quotannis, vel panes singulis septimanis accipiunt; Vel in templo Arcis psalmodias decantant; vel denique communi mensæ serviunt; ut proximo die Saturni hora VII. matutinâ in conclavi ordinario Collegii novi conveniant, specimina profectuũ suorum, partim Scriptis secum allatis, partim responsionibus in examine expeditis edituri. Quod si quis facere contumaciter neglexerit; beneficio se privatum iri sciat. P.P. prid. Cal. Vlbr. Anno M. DC. XIV.

XXI.

Pro Eleemosynis colligendis.

QVàm antiqua & nobilis fuerit à multis seculis OSNABRUGA Westphaliæ urbs, argumento est, quòd circa annum Christi DCC. XXC. Carolus M. Imp. Collegium ibi instituit, in quo assidui Lectores Græcæ & Latinæ linguæ essent: ut in ea Germaniæ parte veræ de Deo doctrinæ possessio retineretur, & linguæ artesq; Ecclesiæ & reip. necessariæ propagarentur. Eam urbem superiore anno M. DC. XIII. m. Martii d. XI. incendium horrendum atque lamentabile

Digitized by Google

ita deformavit, vastavit, & maximam partem hausit, ut absque vicinarum regionum subsidiis nullo pacto queat instaurari.

Permissum ergo de voluntate Serenissimi Electoris Saxoniæ etc. Domini nostri clementissimi fuit, ut in eum usum eleemosynæ etiam à nostri ordinis hominibus per Ministros Academiæ colligerentur. Qua in re quo liberalior quisque civium Academicorum fuerit, eo largiorem experietur remuneratorem Deum, cui salutem hujus Civitatis & totius patriæ supplices commendamus. XXV. VIII bris. Anno M. DC. XIV.

XXII.

Ad Studiosam juventutem.

EN Poenum ad portas! & deliciamur evantes!
Nec palpamus adhuc tras sit tectoria fuci!
Audi, queso, loquar paucis ALEMANNIA tecum,
Audi; audita animi penitis defige medullis.
Famane inaudita est Niobes in marmora versæ?
Tolle Poëtarum nebulas. Tu Tantalis illa es.
Gorgonis objectu stupidè lapidescis. Amyclæ
Perdiderunt Silii; tibi longa torpida pacis

Oti

Digitized by Google

Otia, nescio quæ fatorum extrema minantur.
Patria, da veniam; nulla hæc ad pertæ revelo.
Rursus ab Ausonio Furiæ bacchantur Averno;
Rursus item ad Trojam novus amandatur Achilles,
Et Conjurati redeunt ad prælia Achivi.
Alter adest jam Tiphys, & altera, quæ vehat Argo
Delectos Minyas cum Jasone Colchin ituros,
Aureæ Phryxæa raptatum vellera ovicla.
Hesperiæ fuscis Gens emissaria ab oris,
Dummodo Gerytonæ faveat placeatq; trifauci,
Teutoniæ haud facit assis heros; cœlumq; mereri
Reputat, ac Superis facinus dignum, omnia Sancta
Gypsatis manibus transcribere regna Cathédra.
Raptum Helenæ adsimulant, quo personata subintret
Thais, & expicto illudat Babylonica vultu.
Tandem Europa cave, fatalis terminus urget;
Signa dat interitûs orbis manifesta propinqui.
Tu MICHAEL, Tu schema gerens quasi vile
IEHOVA,
CHRISTE, gregis miseri ac inopis miserere
Sarepta:
Omnis in uno Te spes inclinata recumbit.
Pendunt a salus mundi foris, intus in anis.

Digitized by Google

Fortè volunt aliqui, nequeunt tamen; unus abunde
Suffiris, unus aves solidam præstare salutem.
Pacem tempus adest flagranti arcessere voto:
Nulla salus bello. Pacis *dator unice* Pacem
Da nobis hodie: Nec Erinnys Ibem, nec audax
Qui scelerum hortator Vaticanam occupat arcem.
Juppiter Orcinius, nec Arii pestis, agellos
Teutonas infestet. MICHAELE, tertiulite ductor
Militiæ cœlestis age, in partemq; vocato
Servitiis devota tuis casta agmina cœli.
Ecce novus Sanherib, proles Orientis Eryus
Ultima, barbarico meditatur acinace sacram.
CHRISTE, tibi Solymam, dulcemq; exscindere Gentem.
Stoice quid Romane crepas? quid rudis? hostilium
Nempe nimis vilem, negres ut ei æstima rotari!
Agmina præsidii quid si cœlestis eidem
Destinet Omnipotens prono famulantia cultu?
Quid si etiam pueris, divina tuentibus ora,
Armituum integras, pennatâ è gente, cohortes
Si stipare latus, ne quâ offensacula turbent
Fortè pedum gressus, divi attestentur eapte?
Esto igitur; cœli cladem, terræq; minantor;
Stridentes inflanto tubas, sonituq; canoro
Protinus armatos ad signa ciento manipios:

Mortem

Mortem acuat, properetq; omnes tentare furores
Mundus, & irarum stimulos turbaq; calorem
Excitet in nimios belli ciuilis amores:
Cerberus Æneas profláto è pectore flammas;
Fortuna, ipsa, sua per summa pericula jactet
Exercere vices, atq; in nos commodet omne
Obsequium Bellona suum: desæviat Orcus:
Spes animet se nostra tamen. Deus arbiter hæc
stat;
Causa pia & Magno se Judice nostra tuetur.
Pro nobis MICHAEL, verbo metuendus & hastâ,
Insevim belli excipiet. solusq; ruenti
Objiciet telo caput, atq; in se omnia vertet.
Ite modò & plenis robur deposcite votis.
Clamor eat cœlo, pulsusq; remurmuret æther
Vocibus orantum. nunquam opportunius ursit
Hora preces inter cæsa & porrecta litandas.
Quid si etiam plures à nostrâ parte catervas
Monstret ELISA, ut equo flammante, ita curribus auctas?
Si quis in hac acie fidei prospectet; acutum
Utq; sub obtutum veniant oculi, oret, aperti.
Vos libris jurata manus, qui nomina nostra
Estis Ephebei; Vos CHRISTI insigne secuti,
Præsentem ut speretis opem famulantis Olympi,
Imperio parete Ducis; penitusq; timete
Præsentem incautâ vultus violare figurâ.

In mores migrate novos, & tempore primo
Ad magnum Pietatis opus componite mentes.
Id jam agite ex animo. lacryma commissa dolentum
Angelicæ Ambrosia esto manus. Si seria res est,
Sitis in hunc etiam quivis pro sorte benigni
Numinis editimum, qui verba salutis ad aures
Nunciat, & pacem cœli terræq; colonis.
Angelus est, at va, per quem Angelus efuvit l. ui.
diuq;

Autore Johanne Rodenborch
Antwerp.

P.P. Solennibus SANCTORUM ANGELORUM Anno Christiano cIↃ. IↃc. XIV.

XXIII.

Invitatio ad auscultationem Carminis de Angelis.

QVO rariores inveniuntur è tam numeroso, quod Christus indies augeat & prosperet! studiosæ juventutis agmine, qui publicè declamando profectum suorum specimina edant, & aliis exemplo præeant laudabili; Hoc promptiores su-

mus

nus & parariores ad Cathedram iis aperiendam, qui operæ precium in illo exercitii genere videntur fecisse. Ac sanè calamitates, quas superioribus aliquot annis Academia nostra propter dissipationem à lue pestilenti ortam, experta est minimè leves, excusare præteriti temporis cessationem quodammodo videntur posse.

Jam verò, postquam misericors & omnipotens DEUS ab omni ejusmodi contagiorum periculo Sionem hanc suam clementissimè liberavit: Opera danda singulis, ut omissa aliquantis per exercitia magis indies magisque frequententur. Tantum enim abest, ut obstare cujusquam hac in parte conatibus velimus; ut persuasum cupiamus universis, nemini benevolentiam nostram defuturam.

Quam etiam ob causam hortamur eloquentiæ, & inprimis Poëticæ facultatis studiosos, ut postea finitâ circa horam II. pomeridianam concione sacra, in auditorio Collegii Novi maximo frequentes conveniant; & ELIAM MAIOREM Uratislaviensem carmen de ANGELIS sanctis recitantem audiant. Dignum enim illud Poëtæ nostro visum, quod lucem videat publicam. Et nos, si quid in hoc genere judicii habemus, in transcursu nonnulla animadverti-

se nobis visi sumus, quæ venam arguant minimè contemnendam.

Sed artificem opus ipsum laudabit; & qui significationem hanc ita, ut par est, acceperint, tantillum temporis non malè se collocaste prædicabunt. P. P. die IX. mensis Octob. Anno M. DC. XIV.

XXIV.

Exequiæ Georgii Crusii Ulsenbemio Franci.

PErsimile est foliis hominum genus omne caducis:
Quæ nunc nata vides, pulchrisq; virescere silvis,
Autumno veniente cadunt, simul illa perurens
Incumbit Boreas:

Non ineleganter, nostro quidem judicio, expressit Poetarum ab omni ævo Principis sententiam seculi & ipse sui decus HELIUS EOBANUS HESSUS.

Ejus verò fragilitatis, cui mox à primo ortu homines sumus obnoxii, quemadmodum hoc ipso anni tempore specimen nobis arbores exhibent omnium oculis obvium: ita non minùs evidens & hoc est, quòd in commilitone quondam vestro Cives Academici

Digitized by Google

Is verò est juvenis honestus & eruditus, GEORGIUS CRUSIUS *Ulsenhemio Francus*, natus mense Octobri, anno Christi M. D. XXCIX. parentibus piis & honoratis: Patre quidem viro Reverendo, LEONHARDO CRUSIO, Ecclesiæ Welbhusianæ Pastore à multis jam annis vigilantissimo; matre verò MARGARITA Spielerin, omni matronalium virtutum laude cumulatâ.

Ab his parentibus sanctè castèque à teneris educatus, cùm indolis præclaræ indicia in puero elucerent; facilè obtinuit, ut inter alumnos Principales in illustri Gymnasio *Heilsbrunnensi* reciperetur. In eo verò non tantùm per annos propè XII. continuos liberalitatem expertus est illustrissimorum ac laudatissimorum Principum, *Marchionum Brandenburgensium*; Quorum clementia nemini quicquam in illo Gymnasio celebertimo deesse patitur, nisi quis morum pravitate seipsum tantis beneficiis indignum reddiderit: Verùm etiam eò jam progressus, ut capiendi uberioris cultus ingenii gratia ad Academiam, tanquam bonarum artium emporium rectè mitti posset; ejusdem munificentiæ Principalis fructus, quàm diu nobiscum vixit, percepit ubertimos.

Nam

Nam hic etiam sesquiannum stipendia [illegible] honestissimo, sacræ Theologiæ professionem studio sese mancipavit, hoc sibi [illegible] potissimum, ut patri optimo, in ætate [illegible] jam ingravescente, ad functionem aliquam [illegible] Ecclesiasticam vocatus [illegible] gere facilius esse, & *Patria Patri* gratum se [illegible] posse videretur præbere posset.

Sese exin dum studiorum cursum urgere & promte & feliciter; & professionem [illegible] cum honestate ac morum suavitate, [illegible] gravis, omnibus, quibus notus erat [illegible] carus & secundus, cohonestare [illegible] cœpit: cum paucos dies febre primum [illegible] quidem correctus est: Verum *cum autem* [illegible] *ut medici verba referamus, abscessus* [illegible] *inveterascere; in parte debilium morbus* [illegible] *fieri. atque inflammationis opitulationem* [illegible] *præcludere*: *Qui morbus* [illegible] *fit: absque manus salutis* [illegible] *cognoscere. Et non parum* [illegible] *videbatur. Nihil* [illegible] *nec non acutis periculosum* [illegible] *Jamque* [illegible] *acutissimæ inflammationis.* [illegible] *cum morbo vincendo Medicamenta* [illegible] *tamen hydragogia varia*, [illegible] *Decies XV. largum venas fi*, [illegible]

[illegible] animi robur sese exeruit [illegible] admirationem. Cùm enim primas morbi

morbi invasiones postridie Michaëlis sensisset: gravissimos quosque dolores animo tulit æquissimo, & omnia alia, modò Deum haberet clementem ac propitium, susque deque habuit: Ac veluti præsagiens propinquum vitæ finem, saluberrimo Cœnæ Dominicæ viatico, die mensis hujus octavo, in lecto quidem decumbens; at mente atque affectu cordis intimo ad *Christum* Servatorem suum erectus, instrui voluit: Cujus etiam efficaciam ad extremum usque halitum sensit præsentissimam.

Nudius enim tertius, cùm astantes omnes de sanitate recuperanda spem concepissent optimam: Ipse ad beatam ex hoc ærumnarum hospitio emigrationem avidissimè adspirans, & medicamenta ut supervacanea non admittens; mori se velle subinde gemiuavit; ardentissimisq; Deum & Salvatorem suum JESUM suspiriis identidem invocans, voluntatem suam in voluntate divinâ prorsus acquiescere testatus est; Populares quoque & amicos hortatus, ut precibus piis, & sententiis è sacra Scriptura lectissimis recitandis præirent; easque non solùm avidissimè arripuit; sed ad usum etiam suum sibi applicatas rectissimè transtulit.

In primis verò hoc memorabile, quòd de die admonitus, quem extremum in terris egit

egit, illum ipsum esse respondit, quò Servator noster in Cruce expiravit; seque non aliter atque latronem illum beatum, eo ipso die in Paradiso cum *Christo* futurum asseveravit: Voti sui mox ita compos factus, ut cùm oculos suos carissimorum digitis claudi jussisset, & singulis porrecta manu extremum vale dixisset, animulam suam Christo Servatori sedens, cùm tam propinquam finem, sensibus adhuc integerrimis, nemo dubium putaret, placidè & absque ullo mortis, qui animad verti posset, sensu, appetente jam meridie inter X. & XI. reddiderit.

Sexto ante excessum die, de statu suo carissimos parentes, literis à se dictatis, suaq; manu subscriptis, certiores reddidit; & vale illis dicens, unicum hoc oravit, ut quia diutius vivendi spes nulla appareret, impensas ad honestam sepulturam necessarias libentes subministrarent. Hoc filij carissimi votum suo loco & tempore Parentes optimi ratum habebunt & luctum omnem temperabunt, ubi & *Θεανσίαν* filij carissimi, Christianis omnibus exoptandam, & nos in communi standis exequiis cumulatè optatis illius, nostroque officio satisfecisse cognoverint.

Ite ergo, ite exequias commilitonum desiderato, & cùm folia sic decidere cogitatis, ut alia vere renascantur: Christianorum fiduci-

Digitized by Google

fiduciam omnem in mortuorum resurrectione collocandam esse mementote. Efferetur funus in cœmeterium suburbanum ex ædibus Wolckianis ædi Marianæ vicinis, postea hora III. R. P. Die Galli Abbatis, Anno M. DC. XIV.

XXV.

Invitatio ad creationem novi Rectoris.

Octobris dies XIIX. celebris est trium in Germania Academiarum inauguratione; nempe HEIDELBERGENSIS, quam anno Christi M. CCC. XXCVII. Rupertus Ruffus, Comes Palatinus Rheni Dux Bavariæ instituit, & honestis stipendiis ac sumptibus dotavit: GRYPSWALDENSIS, quam Vratislaus Pomeraniæ Dux annis post priorem illam LXX. aperuit; & hujus nostræ WITTEBERGENSIS, quam annis post Heidelbergensis initia CXV. FRIDERICUS ille Sapiens, Dux Saxoniæ, & Romani Imperii Septemvir fundavit, pompaque celeberrima in hoc opidum introduxit, ut ab eo die lectiones publicæ à Professoribus fierent inchoatæ.

Ejus

Ejus rei memoriam ut nulla unquam deberet oblivio ; Fundator sapientissimus voluit, ut deinceps natali Academiæ die quotannis hyberni semestris Rector crearetur, & publicè renunciaretur. Quod ergo observatum hactenus constanter fuit: Idem nos etiam, CHRISTO propitiante ac prosperante observabimus, & ad diem perendinum sanctioni Principali obtemperabimus.

Quamobrem universos Academiæ hujus cives invitamus & hortamur, ut ad eam festivitatem die Martis proximo horâ VII. matutinâ in templo Arcis frequentes conveniant, & novi Rectoris creationem non tantùm præsentiâ honorifica exornent: sed precibus etiam piis, adeoque totius Ecclesiæ & Patriæ dulcissimæ salutem DEO nobiscum devotè commendent.

P.P. die Galli Abbatis, anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

Programmata in Academia VVittebergensi publicè proposita,

RECTORE MAGNIFICO,

Viro cl. & excellentissimo,

BALTHASARO MEISNERO

S.S. Theologiæ D. & Professore publico.

I.

Rectoris & Consilii publici significatio de lectionibus publicis.

ETSI plerosque ex Professoribus publicis in continuandis iis, quæ per semestre æstivum à se tractatum iri programmate nupero significarunt, per hybernum semestre progressurus animadvertimus, ut iterata significatio non magnopere requiri

videatur: Tamen ne vel morem ab aliquot jam annis usurpatum intermittamus, vel eorum qui recèns accesserunt, utilitatibus desimus, In tabellâ subjecta exponimus, quidin singulis disciplinis ab unoquoque nostrûm deinceps expectare debeatis.

Vestrum erit, cives Academici, *ut vigilantis esse* cogitantes, *occasionem observare prætervolantem*, nullum diem, nullam horam præterire patiamini, qua non viatici aliquid, in hoc optimarum artium emporio, vobis ad futuros usus colligatis & seponatis. Quod enim Pindarus canit: ὁ καιρὸς πρὸς ἀνδρῶν βραχὺ μέτεστιν ἔχει: Id sic dilatâsse videtur historicus: *Si in occasionis momento, cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paullum fueris; nec quicquam mox omissam queraris.* P. P. Dominica XIIX. à Festo S. S. Trinit. Anno M. DC. XIV.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

LEONHARTUS HUTTERUS D. & Collegii Theol. Senior, expedietur ea quæ restant in libello locorum communium Theologicorum Dn. Philippi Melanchthonis, Hora IX.

FRI-

Digitized by Google

FRIDERICUS BALDUINUS D. Pastor & Superintendens, absolvet, adjuvante Domino, residua capita in Epistola posteriore ad Corinthios, & rectâ ad sequentem auream illam Epistolam ad Galatas progredietur, eadem Methodo, qua in præcedentibus usus est, propositurus ea, quæ & in theoriâ & praxi Theologicâ textus Paulinus suppeditabit. Horâ IV.

WOLEGANGUS FRANZIUS Theol. D. & Templi Arcis Præpositus jam tandem ex capite 8. Levitici egredietur, & ad sequentia explicanda sese conferet. Hora II.

BALTHASARUS MEISNERUS Theologiæ D. & pro tempore Rector, perget, quantum per occupationes licebit, in explicando Cap. 2. Danielis difficillimo, & si fieri queat, unâ adjunget reliqui capitis interpretationem. Horâ VIII.

IN FACULTATE IURIDICA.

BARTHOLOMÆUS REUSNERUS Bu. J. D. & Decretalium Professor, Juridici Collegii Ordinarius & Senior, causâ

fontica impeditus, quò minus æstivi semestris telam propositam percurreret, Captam nuper in subsidium Arresti specialis consuetudinarii Saxonici materiam pertexet, & post ad lectionem ordinariam in Decreta lib. redibit. Hora IX.

LUCAS BECKMANNUS J. U. D. continuabit materiam L. 7. §. Hodie ita demum, &c. ult. cum ll. ff. de Pactis. Hora III.

WOLEGANGUS HIRSBACHIUS U. J. D. hoc semestri hyberno absolvet, σὺν θεῷ, materias Juris Emphyteutici & compensationis. Hora IV.

ERASMUS UNRUH U. J. D. continuabit materiam exhæredationis liberorum & parentum. Hora VII.

VALENTINUS GUILIELMUS FORSTERUS U. J. D. Deo permittente, Compendium Institutionum præterito tempore prælectum, nunc dilatabit: & aliam earum Epitomen paulò prolixiorem singularum materiarum naturam & requisita continentem, quanta fieri poterit brevitate felicitateque proponet. Hora I. Et ad quorundam Dominorum Commilitonum instantiam quæstiones selectiores juxta seriem Institutionum publicè diebus Saturni disputabit.

IN

IN FACULTATE MEDICA.

ERNESTUS HETTENBACHIUS Phil. & Medicinæ D. ac Collegii Med. Senior, curationem internarum affectionum Oris, tum earum partium, quæ intra illius cavitatem continentur, ad *Rhazæ* præscriptum, Deo juvante, docebit. Hora IX.

DANIEL SENNERTUS Phil. & Medic. D. continuabit & absolvet, cum Deo doctrinã de Curatione Febrium. Hora IV.

TOBIAS TANDLERIUS D. Medic. ac Botanicæ & Anatomes Prof. Publ. ea quæ de fruticum historia restant, paucis absolvet, & hybernis mensibus OSSEOLOGIAM corporis humani ad doctrinam Galeni, & aliorum recentiorum pertractabit. Hora I.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

LAURENTIUS FABRICIUS M. Hebræus Prof. & Facultatis Phil. Senior, futuro semestri utramque partem sui officii urgebit. Et quidem priore biduo doctrinam suavissimam, quam Hebræi vocant optimi

fapor's. vocum milloth latissimè patentem interpretabitur, & progressum faciet ad miram structuram sermonis Hebræi: posteriore autem biduo usum illarum observationum in Hiobo admirandi stili à cap. 6. initium faciens, commonstrabit. Hora I.

GEORGIUS WECKERUS Medic. D. quàm primùm per valetudinem, qua adhuc conflictatur, adversam licuerit, in libello de anima, cujus primam & secundam partem absolvit, Deo volente, progredietur. Horâ III.

ADAMUS THEODORUS SIBERUS Orator, librum secundum Rhetoricæ Aristotelis explanabit. Horâ IV.

ERASMUS SCHMIDT M. Græc. & Mathem. Prof. in Græcis 400. propè versus, qui de Lycophrone restant, absolvet; & inde ad Grammaticæ Græcæ Institutiones transibit. Hora VIII. In Mathematicis doctrinam de Tempore, seu Computum Astronomicum & Ecclesiasticum, à festo Trinitatis huc usq; continuatum itidem absolvet. Inde Arithmeticam docebit. Hora I.

IACOBUS MARTINI Logices & Philosophiæ practicæ Prof. librum ultimum Logices Keckermannianæ examinabit. Hora VII. deinde in doctrina virtutum perget, & totam Ethicam absolvet. Hora IX.

JOHAN-

JOHANNES WANCKELIUS Historiar. Prof. Publ. Regum Jerosolymitanorum historiam pertexet, eâque ante Cal. Januarias, si Dominus voluerit, absoluta, Johannis Sleidani libros de IV. summis imperiis auspicabitur. Hora III.

AMBROSIUS RHODIUS Med. D. Mathem. super. P. brevi absolvet Logisticam Cossicam, eiq; adjiciet Calculum numerorum irrationalium. Hora VII.

JOHANNES RODENBORCH Antverp. Prof. Poëseos, & p. t. Decanus Facultatis Philosoph. in Juvenalis interpretatione perget. Horâ II.

II.

Exequiæ Christophori Leonhardi Stolbergensis.

ET autumno in primis scaturire morborum agmina, qui sint & acutissimi & exitiosissimi, Hippocrates medendi arte nunquam satis laudatus, ejusq; interpres Galenus docent, prolatis ejus rei causis minimè aspernandis: Et manifestas vitæ humanæ mutationes, adeoq; hominum interitus in annorũ septenarios ac novenarios frequenter incidere, nemini ferè dubium est, in eam rem penitius intuenti.

Digitized by Google

Utriusque rei evidens rursus specimen nobis exhibet mors improvisa & præmatura adolescentis è studiosa juventute pii & honesti, CHRISTOPHORI LEONHARDI Stolbergensis Misnici, ad cujus exequias cives Academicos non solùm ex more; sed ex instituto etiam Fundatoris invitamus. Voluit enim ille & lege peculiari sancivit, ut literatorum funera non tantùm Scholasticorum; sed etiam Professorũ præsentia cohonestarẽtur. Accedit & hoc, quòd is, cui sepulturæ honorem prolixè ab iis, qui Nostri sunt, præstari magnopere cupimus, ita & natus, & educatus, & inter nos versatus, quod ex testibus fidei dignis accepimus, fuit, ut absq; neglecti officii crimine supremo illius honori deesse nequeamus.

Patrem contra ipsius vota & naturæ ordinem, reliquit superstitem, virum inter suos honoratum PAULUM LEONHARDUM; Qui cum filium ingenio præditum perspexisset ad optimarum artium studia capaci & idoneo; ne per incuriam illud degeneraret, studiosè cavit. Itaq; inde à teneris unguiculis tum domi disciplinam adhibuit, sanctam & laudabilem; tum magistris puritiam filii concredidit probis & fidelibus. Inde ergo factum, ut inter alumnos Scholæ Portensis locum promeruerit, & dignus fuerit habitus, qui à Rectore lu-

di il-

judi illius illustris in familiam reciperetur; & ab eodem post exactum sexennium, diligentiæ, modestiæ & officii undiquaq; præstiti testimonio sit ornatus luculento.

Cùm autem instructus iis artibus, quæ in scholis illis provincialibus de voluntate serenissimi Electoris Saxoniæ, Domini nostri clementissimi, tractantur, ad Academiam nostram suorum obsecutus consiliis venisset: Sesquiannum ita inter nos exegit, ut expectationem de se commotam egregriè sustinuerit, & vera pietate, vitæq; & morum honestate & elegantia. Dei juxtâ atq; hominum sibi favorem & benevolentiam conciliarit singularem.

In primis verò cùm Sacræ Theologiæ studio totum se dicare decrevisset; Earum artium sibi cognitionem haud vulgarem comparavit, quarum adminiculis destituti minùs fructuosè in eodem studii genere versantur. Nominatim autem linguarum principum notitiam asecutus est tantam, quantam in ista ætate haud temere invenias. Carmen enim & Græcum & Latinum satis eleganter scripsit; & in Musicis profectuum suorum specimina edidit minimè pœnitenda. Antè omnia verò omnium ferè sacræ Theologiæ Professorum publicorum auditor fuit assiduus & ita diligens, ut conciones

Digitized by Google

etiam sacras non solùm audierit attentus, sed manu quoq; festinante exceperit.

Atque ut professioni vita esset consentanea, tum precibus ad Deum piis, ac religioso cœnæ Dominicæ usu pietatem ac fidem suam declarare atq; animare studuit: tum operam dedit, ne cui ex Præceptoribus aut commilitonibus molestiæ aut querelæ causam præberet; Sed ita se gereret, ut ad continuanda studia feliciter inchoata, Electoralia aliquando stipendia, cujus spem acceperat, subsidio juvari mereretur.

Sed has spes & conatus tam præclaros paucorum dierum ægrotatio, præter omnium opinionem atque expectationem abrupit & intervertit. Cùm enim per geminatam fermè hebdomada tentationes quasdam valetudinis minùs firmæ sensisset, & gravedine ac respirationis difficultate laborare cœpisset, neque medici consilium maturè adhibuisset; Hesterno die apperente jam luce, paulò post quintam matutinam catarrho de repente in fauces & pectus decumbente, quasi præfocatus expiravit.

In hoc tamen agone Christus Servator fidelissimus militem suum non deseruit; sed gemitus & suspiria suprema, misericordiam propitii Dei magna fiducia implorantis, exaudivit, & mundatam sanguine suo preciosis-

simo animulam citra doloris exquisiti sensum vinculis corporeis exolvit.

In hoc ergo fragilitatis humanæ exemplum tum aliàs semper, tum hoc ipso autumnitatis tempore intuentes, & annos quos nondum XXI. defunctus complevit, cogitantes; officium pietatis & humanitatis ultimum ipsi cumulatè præstemus, atque ita vitam instituamus, ut quacunq; horâ è statione quemq; suâ Deus evocare voluerit, ad beatam emigrationem semper instructos & paratos inveniat. Efferetur autem funus è collegio Augusti postea horâ III. ad cujus deductionem ut frequentes conveniatis, hortamur, P.P. III. Cal. IXbr. Anno Christi M.DC.XIV.

III.

Invitatio ad auscultandam oratorem.

ANNUS crastino die, CHRISTO sit gratia, completur nic. ex quo Deus per ministerium *B. Lutheri* contaminatam multipliciter Ecclesiæ doctrinam, à sordibus Pontificiis repurgare clementissimè cœpit. Est is dies ultimus Octobris, & proximè antecedens panagia, sive festivitatem omnium sanctorum memoriæ superstitione Pontificiâ consecratam. Illo

Illo enim die B. Lutherus foribus templi ad arcem, primam disputationem contra indulgentias Papales publicè affixit; atque ita classicum cecinit, quo Deus ad bellum verè sacrum plurimorum per totam Europam animos excitavit.

Testantur autem illius ævi scriptores fide dignissimi, non levitate aut ambitione, vel aliis affectibus impulsum; sed rei indignitate & tot animarum periculo præsentissimo commotum *Lutherum* tanti discriminis aleam, Deo ducente, subiisse. Nam ut alios taceamus, Franciscus, Guicciardinus, testis oculatus, memoriæ tradidit, Leonem X. Papam, pecuniæ tantum â mortalibus extorquendæ gratiâ, per universum orbem amplissima concessisse Indulgentiarum quæstoribus privilegia; quæ impudentissimè ab illis administrata, magnas tum alibi, tum potissimum in Germania offensiones concitarunt: Cum & mortuos â pœnis liberandi facultas parvo venderetur: & precium ipsum perlustra & popinas quotidie sine pudore in aleę lusum ususque turpissimos profunderetur.

Et quod familiam ducit, si quid hujusmodi exactionum ungves harpyiarum evasisset, non ad ærarium Pontificis sacrum deferretur; sed ad explendam mulieris cupiditatem

idem destinatum esset. Multarum quippe Germaniæ partium proventus, per summam avaritiam extortos, Leo sorori suæ Magdalenæ dono dederat; atque ita nomen & auctoritatem suam detestandam reddiderat.

Ab hujusmodi initus cæptam Ecclesiæ reformationem cùm in hunc diem Deus, frustra obnitente Satana, felicissimè continuari voluerit: Decet nos nullam de tanto beneficio cogitandi occasionem prætermittere.

Itaque facilè passi sumus, ut orationem de non dissimili argumenti genere conscriptam publicè recitaret Daniel Paulinus Pannonius: ad cujus auscultationem ut posteà hora II. in auditorio Collegii *Friderici* maximo frequentes conveniant Cives Academici, magnopere censemus & hortamur. P. P. III. Cal. Novemb. Anno M. DC. XIV.

IV.

Rectoris & Consilii publici significatio de exclusione I. S.

NOTA omnibus optimarum artium Studiosis esse debet Ciceronis senten-

sententia, qui Delphicum illud γνῶθι σεαυτὸν censet non ad arrogantiam minuendam solùm esse dictum, verùm etiam ut bona nostra norimus. Exignoratione enim sui ipsius hos malorum ortus Philosophus docet, quod animus pusillus & angustus bonis illis, sese ipse orbat, quæ summo studio certè appeteret, si se illis dignum esse meminisset.

Præclarè quidem uterque: Sed longè rectius hominis præstantiam Paulus Apostolus expressit, severè monens ac prohibens, ne quis offensioni aut incommodo exitio que sit fratri, δι' ὃν, vel ut alibi loquitur, ὑπὲρ οὗ ΧΡΙΣΤΟΣ ἀπέθανε: Quibus è verbis procul ambiguo nata est Synesii Philosophi simul & Episcopi sententia memorabilis: Τίμιον ζῶον ὁ ἄνθρωπος. Τίμιον γάρ, εἰ δι' αὐτὸν ἐσώθη ΧΡΙΣΤΟΣ.

Totus quippe *mundus iste*, ut Bernhardum audiamus, *ad unius animæ precium æstimari non potest: Non enim pro toto mundo DEUS animam suam dare voluit, quam pro ANIMA HUMANA dedit. Sublimius ergo est animæ precium, quæ non nisi sanguine CHRISTI redimi potuit. Agnosce homo, quam nobilis est anima tua, & quam gravia fuerint ejus vulnera, pro quibus necesse fuit CHRISTUM Dominum vulnerari.*

Hanc ipsam operis sui æstimationem non

hum dissimulavit *amator animarum Dominus*, quando in Caini pœna satis declaravit, quam atrox & nefarium habeatur DEO homicidium. Cum enim statueret, si quis etiam Cainum, hominem fratricidam occidisset, eum tanto fore supplicio dignum, ut si septies mori posset, septies esset interficiendus: Quis inde non perspicit, quid æquum sit fieri in cæde hominum homicidæ?

Ex eodem fonte lex illa manavit, quam post diluvium Deus propria voce, & in lege sua Moses Dei jussu subinde repetivit, ut *sanguis sanguine expietur*; cùm alioqui perversa ingenia nunquam satientur malencus; sed facinora cumulent facinoribus, nullis malitiam circumscribentes terminis. Etenim qui hominem ad divinam imaginem factum perimit, in ipsum conditorem injurius est, cujus imaginem ita destruit atq; evertit, ut nulla ope humana possit in integrum restitui.

Quapropter etiam asyla iis, tanquam Dei inimicis, patere noluit, qui scientes ac volentes hominem occidissent: eos verò, qui imprudentes homicidium fecissent, & solutæ erroris pœnas darent, non malitiæ, ad mortem usq; Pontificis in asylo manere jussit, ut hac ipsa lege cædis humanæ immanitatem declararet, & ad majorem omnes in re tam atroce cautionem excitaret.

Homi-

Homicida enim, quantumvis à culpa alienus, tamen ut impurus & humano sanguine pollutus, intra asylum occultari tantisper cogebatur, neq; inter alios homines liberum efferre caput poterat, dum superstes is erat, quem Dei in terris quasi vicarium, ejusque divinæ majestatis personam quodammodo adumbrantem, ille facinoris sui diritate gravissimè offenderat, in eoq; ipsam Dei majestatem violaverat.

Hanc ipsam legem secuti videntur esse rerum capitalium æquissimi judices Areopagitæ, cùm imprudentem neq; sceleratum homicidam ἀπενιαυτισμῷ solerent damnare, hoc est, annuo exilio. Nimirum tam immanis res apud omnes homines semper habitum est HOMICIDIUM, ut etiam ii, qui imprudentes inscientesq; id fecissent, tamen certis piaculis indigere sint existimati, quo à Furiarum exagitatione, hoc est, à suæ ipsorum conscientiæ terrore possent conquiescere.

Hæc in memoriam vobis, Cives Academici, de summi Magistratus nostri voluntate revocare & debuimus, & voluimus, ne cum J. S in hoc oppido parentibus honestis natum, homicidii ante aliquot menses in S. R. quod omnes nostis, perpetrati, pœnam non capite aut fustigatione; Sed *relegatione ex universis Serenissimi Electoris Saxoniæ*, &c.

Dom-

Domini nostri *clementissimi ditionibus ac provinciis perpetua* luere cognoscitis; ad extenuandam vel culpam, vel pœnam id trahatis & detorqueatis.

Prædicanda quidem & grata mente agnoscenda est Serenissimi Electoris clementia, quòd propter causas gravissimas ei, cui vitam deges non abjudicarunt, supplicii genus abominandum misericorditer remisit. At quid putatis? An propterea minùs ille violatæ imaginis Dei, & destructi templi Spiritus sancti reus? An idcircò minùs è terrâ clamabit, & Deum vindicem postulabit sanguis innocenter effusus? An ejectum & extorrem è patriæ finibus conscientiæ pavores & terrores ullo vel loco vel tempore persequi desinent?

Imò verò ut in malis, meliùs cum illo actum fuisset, si quod in primo patrati facinoris fervore ac dolore optantem illum plurimi audiverunt, eidem cum interfecto illatus fuisset sepulcro. Verissima enim nobis videtur Synesii sententia: Μεγίστη ὀλ(Θ)ιότης, τὸ μὴ ἀποθνῄσκειν, δέον περ ἀγαθὸν τὸ ἀποθνῄσκειν. *Quisquis autem multum temporis impunitus manet; hunc censeri oportere infaustissimum esse, cujus nec Deus, neque homo curam habeat.*

Digitized by Google

Nos verò quemadmodum idem Synesius Johannem quendam, qui Æmylum cognatum trucidasse per insidias incerto rumore ferebatur, indignum pronunciat, cui det dexteram, qui cum in eadem mensa cibum capiat, Æmylii vindices formidans, & alienis maculis contaminari recusans: Sic ne sanguinis effusi contagio polluamur, J. S. à civium nostrorum numero segregatum, omnibusque Scholastici ordinis privilegiis exutum, *cum infamia in perpetuum ab Academia excludimus, & exclusum publicè significamus.*

Vos autem, qui jurisdictionem nostram semel agnovistis, monemus, hortamur, & si fas est, obtestamur, ut in exemplum hoc intuentes, vos ipsos coërceatis & reprimatis, ne repentino & inconsulto perciti impetu temerè in digladiationes aut alias concertationes prorumpatis: Sed ita vitam instituatis, ut bona, quæ divina vobis benignitas cumulatissimè indulget, rectè collocantes, quanto in cognitione vestri proficitis, tanto ad cognitionem Dei propius vos accedere statuatis.

P.P. Cal. Decembr. Anno M. DC. XIV.

Exe-

V.

Exequiæ Iohannis Sprungii Senatoris.

NOndum mensis ultra annum integer elapsus est ab eo die, quo superiore anno ad exequias Cives Academicos publicè invitavimus, in funere matronæ honestissimæ *MARGARITAE SPRUNGIAE*. Ecce! nunc ad idem officium viduo præstandum ut jurisdictioni nostræ subjectos invicem us, rogamur. Ita nimirum inter homines agitur; cumq; nos omnes morituros certum sit; quando, quomodo, ubi mortituri simus, incertissimum est.

Nec verò dubitamus, quin è civibus nostris pleriq; die ab hinc decimo quarto cum quadam animi oblectatione spectarint virum è Senatorio ordine honoratum, Dn. *IOHANNEM SPRUNGIUM*, cùm is inter alios, ex utroq; & Professorum & Senatorũ ordine, convivas nuptiales ita incederet, ut juvenibus parum concedere videretur. Iam verò officium idem à nobis pietatis & humanitatis postremum flagitat. Sic nimirum volubilitatis humanæ rota ducitur.

Digitized by Google

Sed ô beatos, qui ita se parant; ut quo cunq; tempore, aut loco evocentur, ad migrationem ex hoc miseriarum hospitio tanquam lam & fel cem probè instructi deprehendantur! Quò in numero ut hunc ipsum Dn. *JOHANNEM SPRUNGIUM* habeamus, tum alijs argumentis, tum hoc etiam adducimur, quòd mortalitatis suæ memor in chartam ipse jam olim ea conjecit, quæ de se & vitæ suæ curriculo tum hoc loco, tum pro concione funebri vellet exponi: quorum summam si pro more paucis repetamus: rem neque vobis ingratam, & voluntati defuncti maximè consentaneam facturos nos confidimus.

Igitur *JOHANNES JUNGERIUS*, cognomento *SPRUNGIUS*, anno Christi *M. D. IL.* mense Martio natum se annotavit, Oxariæ in Saxonia, Patre *HERMANNO JUNGERO SPRUNGIO*, ordinis in Patria Senatorij viro: matre verò *ANNA*, quæ Patrem habuit *JOHANNEM HENNICK*, ejusdem civitatis Senatorem.

Ab his Parentibus piè sanctèq; educatus, prima studiorum fundamenta jecit in Schola Hannoverana. Inde verò Marpurgum de voluntate & consilio Parentum missus, in Pædagogio illustri tum alios Præceptores habuit, tum Pædagogiarchan Justum Vul-

tejum

rum Seniorem: sub quorum cura & institutione paucis annis eos in studiis progressus fecit, ut idoneus fuerit habitus, qui inter Academicos numeraretur.

Non multis interjectis annis, ad nostram hanc se se Academiam contulit, & cùm ad Jurisprudentiam inclinaret, ita Philosophica excoluit studia, ut præcipuam tamen & temporis & diligentiæ partem Jurisprudentiæ tribuerer. Qua quidem in re Præceptores nactus idoneos, operam dedit, ut occasione divinitus oblatâ rectè uteretur. Præter cæteros verò illius ævi viros celebres, M. Franciscum Burchartum, & M. Casparum Altenceich Colonienſem, Institutionum Professorem publicum, & magnum illum Matthæum VVesenbecium diligenter audivit.

Cùm autem divinitus oblata esset commoditas, in hac civitate domicilium collocandi, noluit eam negligere: Sed anno Christi *M.D.LXXII.* IV. Nonas Junij nuptias celebravit cum ea, quam dicebamus, Margarita, Conradi Museri junioris vidua. Conjugium habuit fœcundum, susceptis ex eadem uxore filiis sex, *Johanne*, *Michaële*, *Hermanno*, *Christiano*, *Godofrido* & *Ernesto*: filiabus verò quatuor, *Elisabetha*,

Digitized by Google

Margarita, *Maria*, *Anna*, quos tamen præter ultimum filium, juris studiosum, omnes ad vitam meliorem in prima plerosque infantia extinctos jam olim præmisit.

Cùm autem inter Advocatos nomen ipsius innotuisset: anno M. D. IIIC. in Consistorio Electorali Ecclesiastico locum Advocati promeruit, quem hactenus laudabiliter obtinuit. Eodem anno in Senatorium adscitus ordinem, operam huic civitati semper utilem & honorificam navare studuit. Qualis præterea ipsius vita fuerit, pluribus hîc nihil attinet exponi; cùm & notior ac probatior ea sit bonis omnibus, quàm ut commemoratione ulla indigeat: & concioni, qua postea hora I. funus honestabitur, funebri magis illa convenire videantur.

Annos implevit vitæ LXV. menses octo: Valetudine usus utplurimum prosperâ, & sensibus viribusque animi & corporis integris & vegeris.

Sed quod apud Sophoclem Oedipo, de Polybi exitu, utrùm is insidiis, an morbi violentia occubuerit, quærenti nuncius respondit:

Σμικρὰ παλαιὰ σώματ' ἐνδίκως κτανεῖν:

Id in nostro etiam JOHANNE SPRUN-

Digitized by Google

SPRUNGIO sumus experti. Cùm enim die proximo Mercurii tum alias obiisset muneris sui functiones, tum concioni sacræ pro more suo interfuisset: Postridie de valetudine parum firma cœpit conqueri; & invalescente in dies horasque singulas debilitate, absque sensu doloris insigni nudius tertius hora quasi VI. vespertina, inter vota & suspiria ad Deum pia naturæ debitum persolvit.

Huic ergo viro, qui Academici & Senatorii ordinis hactenus ornamentum fuit, agite exequias eamus frequentes, & monitum illud Petrarchæ nobiscum cogitemus: *Nec valde vitam diligas, nec vita finem oderis aut metuas, neque propinquum jam provectæ ætatis, qui nunquam pueritiæ, vel infantiæ longè erat, etsi longissimè fingeretur.* Efferetur funus hora I ex ædibus defuncti in platea Consulum propè vallum sitis, post concionem habitam in cœmeterio ædi Marianæ adfito terræ omnium matri mandandum. P. P. X. Cal. Decemb. Anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

VI.

Exequiæ Cunradi Reuteri Bitterfeldensis.

AMbrosii Reuteri Norimbergensis nomen in hac Civitate & Academia neque apud majores nostros incelebre fuit, & notissimum est hodieque iis, qui ad senectutem in hoc opido paulo grandiorem Dei beneficio pervenerunt.

Is cùm in juvenili ætate veritatis Evangelicæ tum renascentis oppugnatoribus sese animosiùs quàm cautiùs opposuisset, & ex periculo præsentissimo mirabiliter liberatus, huc sese contulisset; non modò in civitatis hujus administratione fuit habitus honorificè, ad Consulatum etiam, ut accepimus, evectus: Sed etiam in mutatione illa insigni, quæ D. Mauricii Electoris Saxoniæ, Herois nunquam satis laudati, ævo contigit, vitæ redditus privatæ & quietæ, reipublicæ literariæ usque ad vitæ exitum operam navavit laudabilem, publicis Academiæ & judicii Ecclesiastici scriptionibus præfectus.

Cùm autem ætatis anno *LXIIX.* æræ Christianæ *M. D. LXIV.* Iulii mensis die XI. placidè

cidè in Domino obdormiisset, & de XXIII. liberis quorum ex diversis & honestissimis conjugiis pater factus fuerat, XII. reliquisset superstites; Ex iis in hunc usque diem Deus superesse voluit virum honoratum Dn. GUNRADUM REUTERUM, Consulem Bitterfeldensem; cui nunc in luctum, Deo sic volente, conjecto acerbissimum, denegare hoc officii genus, ut ad filii exequias Cives Academicos pro more invitaremus, non potuimus.

Ea quippe est familiæ honoratæ dignitas, ea patris mœstissimi tum inter suos, tum inter notos omnes existimatio; Ea denique piè defuncti conditio; ut hoc quicquid est officii vel non petentibus ultrò deferendum fusse videatur. Etsi autem nulli dubitamus, quin hæc ipsa significatio momenti satis habere possit, ad excitandos eorum, qui jurisdictionem nostram agnoscunt, animos, ut commilitoni optimo exequias eant frequentissimi: Tamen id prolixius eos facturos confidimus; ubi curriculum vitæ, quod inter homines defunctus absolvit, aliqua ex parte nobis narrantibus cognoverint.

Igitur CONRADUS REUTERUS, patri viro optimo cognominis, Bitterfeldi in lucem hanc editus fuit, Anno Christi M. D. XCII. ipso die Jacobi Apostoli; patre eo,

quem diximus; matre verò omni matronali laude cumulata fœmina, *Anna* von Richeln oriunda ex familia in Salinis Saxonicis & antiqua & honorata.

Ab his parentibus à prima infantia piè sanctèq; educatus, cùm prima studiorum puerilium fundamenta in schola patria feliciter jecisset; contagii pestilentis metu Schmidebergam à parentibus missus, totum quinquennium educatus fuit domi Mauricii Thilonis Consulis Schmidebergensis, quo fide jubente Ecclesiæ fuerat per Baptismum initiatus.

Inde verò de voluntate & consilio patris in Scholam Roslebianam translatus, alterum quinquennium ita exegit, ut dignus haberetur, qui ad Academiam, tanquam ad artium optimarum emporium mitteretur; quod Cal. Sept. an. M. DC. XI. factum.

Ab eo tempore cùm totum sese studii Philosophici tractationi tradidisset; eas tamen illius partes, sine quibus Medicinæ studium, ad quod animum adjecerat, feliciter excolinequit, præ cæteris amplexus est, Physica nimirum & Mathematica.

Neque verò votis successus, aut diligentiæ profectus defuit. Cùm enim ad sumptus à Patre optimo pro virili subministratos, etiam munificentiæ Electoralis benignitas

accet-

Digitized by Google

accessisset: Ut beneficia divinitus oblata rectè collocaret, operam dedit unicè, & spem de se non exiguam omnibus concitavit.

Ante omnia verò studuit, ut professioni vita esset consentanea, & quem cum lacte materno imbiberat, veræ pietatis amorem modis omnibus declaravit.

Lectione enim & meditatione verbi divini, precum devota recitatione, & religiosa cœnæ Dominicæ usurpatione, ita à puero assvefactus, nihil habuit antiquius. Nominatim verò operarum quotidianarum initium sumebat ab illo Prophetæ dicto: *Scio, DOMINE, non esse penes hominem ipsius viam; non esse in potestate viri, ut ambulet, gressusque suos dirigat.*

Modestiæ, integritatis, vitæque universæ honestatis testes habet eos, quibus notus fuit familiarius, quorum etiam favorem sibi & benevolentiam comparavit singularem.

Verùm ita ad honores magno gradu contendentem febris extinxit ardentissima, qua die Novembris XVI. correptus, diem XIV. spacio dolores sustinuit maximos; cùm varia subindè & atrocissima accederent symptomata: In quibus tamen omnibus animo magno sustinendis & superan-

Digitized by Google

superandis auxilium expertus est Spiritus sancti præsentissimum. Lectissimarum enim è Sacris litteris sententiarum repetitione assidua, & in primis ejus, quæ Psalmo 73. v. 25. 26. legitur, ut & cantionum piarum melodiis mirificè recreatus fuit.

Tandem cùm viatico Cœnæ Dominicæ die Lunæ proximo fuisset instructus, & ad emigrationem beatam se egregiè præparasset nudius tertius in verâ agnitione & invocatione Filii Dei, Servatoris nostri unici, horâ X. matutina, placidè expiravit.

Reliquum est, ut funeri, quod postea hora I. ex ædibus Martini Blumii in platea Collegii efferetur, & concione honestarum tertæ intra opidum mandabitur, supremum pietatis & humanitatis officium cumulatè præstemus, & in hoc etiam exemplum juvenis in ipso ætatis flore, cùm annum XXIII. ageret, immaturâ morte præreptu intuentes, nihil morte certius, nihil horâ ejusdem incertius esse cogitemus. PP. Cal.

Xbr. Anno M. DC. XIV.

Feriis

Feriis natalitiis IESU CHRISTI, Emanuelis.

ANTICHRISTE vale. Salve mi, CHRISTE, Redemptor:
Salve (si fas est ipsam salvere salutem)
Stirps hominis, stirps nata Deo. Salve enthea Mater;
Salvebillabat a flos Virginis, uber & almi
Fons nutricatus: miranda Puerpera salve.
Salve festa dies, niveo signanda lapillo,
Qua modò adingressum exordiris amabilis annum,
Priscaq; restituis tanti memoracula festi.
Nempe hæc illa dies, quæ sufficit omnibus omnes
Lætitiæ numeros, & ovantibus ebria votis
Jubila; ut abstersâ nitidum ferrugine cœlum
Rideat, & nivei tandem rota lucida Phœbi
Huclenus attrita reparet dispendia luci.
Egredere ô Homo Dive, duplex genus, unica proles,
Egredere, ô MARIÆ dulcissime Pusio! quem jam
Omniparens Deus antè suæ per imaginis aurum
Fudit ab æterno: libeat mortalis amictu
Corporis obduci, gignive è Matre secundum

In

In fluido antè Deus nimbi fulgore latebat,
Et genus electum umbroso sub nubis amictu
Numen inadspicuum trepidabat, mole coactum
Nullâ corpus habens, nullo quoq; tactile ritu.
Factio contrà hodie cuncti solidissima sensus
Corporeo exsultate Deo. nam ad mœnia Bethle
Et cerni audiriq; potest, tangiq; Puellus.
Quid crispas nares scabiose Sophille, nec horres
Spem videre tuam petulanti ssene cachinno!
Nil potuit Tropicus vi Dipnosophista; proinde
Zeno iterum insulsis animavit Henoticon aulis.
O amor! ó Pietas! quæ te, pie CHRISTE, Jehovam
Traxit in has tenebras, & lamentabile seculum.
Lactis alumnantem Genitricis ab ubere sucum
Parvule fugis inops, & edis pappare minutum, Il
Per quem ne. conops humoris alumnus egebat:
Et, quem nec tellus Pontúsve, nec extima mundi
Ambitione loci potuerant cohibere, modesti
Instabulo tugurijsse nunc sponte coëgit.
Ejа venite, videte Dei miracula nostri;
Visite Cunarum fanum non corde profano.
Cum anno animi renovante novi quò tessera pre
ſet
Publica, quisq; sui vivat memor ordinis, aesi
Hospitium mortale Deo paret hospite dignum.
Ilias inde mali est, quia nos piget ire lavatum
Sordem animæ lacrimis; cœlum lacrimavit obortis
Im-

Imbribus, invito extorquens suspiria cordi.
Hoc, Pubes, hodie meditandum indicimus omni;
Qui puerum huncce pio sibi conciliare paratu
Serius adfectat, quo dignè accedat ad ARAM,
Qua Præsepe Dei est hodie nascentis. ad istam
Sunt quoq; Pastores. Pro re tolerate merentes.
Maxima nemo petit: sed & exiguissima nemo
Credo dabit. mensura dati sit copia rerum.
Grande nefas, pendenda Dei non pendere Servis.

Autore Johanne Rodenborch Antverpiano.

VII.

Invitatio ad auscultandam dissertationem contra Photinianos.

QUAM horrendæ & tetræ fuerint Photini in Filium Dei blasphemiæ, vel inde colligi potest, quòd cùm Gratiani & Valentiniani junioris edicto libertas religionis omnibus fuisset concessa; soli ab Ecclesiis excluſi fuerunt, ut Socrates refert, Eunomiani, Photiniani & Manichæi, quod factum circa annum Christi CCCLXXVI. ad quem Photini mors à Chronologis refertur.

Inde

Inde verò apparet ad viginti annos superfuisse Photinum ab eo tempore, quo pestiferum ipsius dogma cum Pauli Samosateni furore consentiens, in Concilio Sirmiensi, jussu Imperatoris Constantii coacto, fuerat damnatum.

Ut autem ejus dogmatis præcipuum caput hoc fuit, quòd Deum quidem omnipotentem unum dixit, qui proprio Verbo condidit universa; Ante secula verò nativitatem & ὕπαρξιν Filii Dei dicere fugit: Sed ex Maria natum Christum docuit, Ut Sozomenus refert: vel ut Epiphanius exponit, quòd ab initio Christum non esse asseruit; verùm à Maria demum extitisse, ex quo Spiritus sanctus supervenit in ipsam, & genitus est ex Spiritu sancto: Ita illud notatu dignum, quod idem Epiphanius Photini hæresin refutaturus ipsum ait fuisse loquacem & acutæ linguæ, & qui multos posset sermonis pronunciatione & dicendi promptitudine decipere, Instar, inquit, levis & perfrictæ frontis mulierculæ, colorem suum per verba in disputatione mutabat, falsoq; adducebat dicta inconsistentia ad intelligentiam veritatis; sed quæ essent ex ipsius mente ficte excogitata.

Verùm enimverò sicut virus per fraudulentiam ipsius vocem ac dicendi promptitudinem illo ævo diffusum, Hosii Cordubensis

Digitized by Google

bensis & Basilii Ancyrani aliorumque Patrum opera non magno labore fuit detectum & oppressum: Ita optandum erat & dogma & autoris nomen oblivione sempiterna fuisse obrutum.

Quoniam verò, merentibus ita hominum peccatis, & blasphemiam tetram, & nomen infaustum ab Orco revocari postremus hisce mundi effœti & delirantis temporibus justus Deus permisit: Agnoscenda & grata mente prædicanda est ejusdē æterni Dei misericordia, quòd nunc quoque Hosios & Basilios excitat, quos Photinianorum conatibus opponat; & discipulos illis adjungit docles.

Inter hos verò cùm AGGÆUS FRIDERICI Frisius nomen suum profitea ur, facilè nos adduci sumus passi, ut orationculam de divinitate Servatoris nostri JESU CHRISTI Photinianorum blasphemiis oppositam publicè pronunciaret. Ad hujus ergo auscultationem ut postea horâ II. post finitam concionem, in auditorio maximo Studiosi frequentes convenant, magnopere censemus. P. P. Die Stephani protomartyris, exeunte anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

IIX.

Invitatio ad auscultandam recitationem carminis.

QVod in gente Israëlitica multis ducibus interdictum fuit, ne quid ex hostium impiorum præda attingerent, & in usum suum transferrent; Mosi verò etiam mandato injunctum, ut supellectile pretiosa, mutui prætextu spoliaret Ægyptios: Id non inscitè sic interpretantur nonnulli, ut exemplo illo significatum velint, quousque scriptores profanos legere, & tanquam bonis hostilibus uti cõcessum sit Ecclesiæ, adeoque Christianis singulis.

Non contrectare aliena, sed à rebus vetitis manus religiosas videntur abstinuisse Athanasius & Cyprianus. Quid enim Athanasio de filio DEI, ejusque cum Patre æquali omnipotentia & æternitate contra Arianos disputanti, adjumenti præbere gentilium scripta potuerunt? Quid Cypriano Orionis aut Hesperi sidera ad eos illustrandos prodesse potuerunt, quos amplissimi luminis solaris radii non illustrarent?

At verò Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus,

Digitized by Google

stomus, Hieronymus, Augustinus & alii multi, cùm hostes haberent astutos, versipelles, disertos, & cum toto Helleniſmo concertarent, quod tum gentilitatis nomen erat vulgare: quid aliud facere debuerunt, quàm ut omnia eorum conclavia, bibliothecas, armaria, forulosque & scrinia excuterent, atque in iis ne minimum quidem relinquerent, quod aliquem præbere usum posse Ecclesiæ videretur?

Quorsum ista? Ut neque prorsus omittendam, neque ubique inculcandam ostendamus in tractatione religionis Christianæ doctrinam gentiliũ. Audivistis hesterno die dissertationem Photinianis oppositã, in qua nihil fere loci habuerunt scriptores profani? Prodibit postea hora I. ex commilitonibus vestris JOHANNES CORBERUS URFERSHEMO FRANCUS, & ad cunas Servatoris nostri carmen ex Poëtarum flosculis concinnatum modulábitur, ut majestate fortè argumenti, quod in feriis hisce natalitiis tractatur, severiorum quorũdam judicio inferius? ita recèns nati infantuli amabilitati, & hilaritati hujus ipsius solennitatis aptissimum.

Huic ergo audiendo si quid temporis datum fuerit; neq; malè illud collocabitur, & clausula festo huic imponetur maximè conveniens. P. P. die Johannis Evangelistæ exeunte anno M. DC. XIV.

Digitized by Google

IX.

Prorector & Consilii publici nomine ad Studiosam juventutem.

VErum nimis esse proh dolor! experimur, quod jactatur in proverbio, lapillum à stolido facilè in puteum jaci, quem multi sapientes nequeant extrahere. Quid enim? An non stolidi putandi, qui exemplis edocti aliorum, ultrò cæci ac præcipites in ea sese pericula conjiciunt, ex quibus neq; ipsi eluctari, neque absque magno multorum labore liberari possint?

In C. S. quàm multi è studiosa juventute hactenus periculum adierint præsentissimum, norunt ij, qui fasces ab aliquot annis magistratus scholastici gesserunt. Quàm fideliter ab his ipsis plurimi fuerint prænoniti, negare ipsi non possunt. Quænam igitur vecordia & amentia est, quod spretis admonitionibus planè paternis, in exitium suum juventus improvida ruere non desinit?

Spectaculum nobis hesternus itemque hodi-

hodiernus dies præbuit non modò tristissimum; sed planè etiam, quod DEUS in melius vertat! ominosum. Ex commilitonibus enim vestris quidam ex ebrietate ad diglationem in loco isto, quem dicebamus, progressus, & in carcerem detrusus, & in custodia Senatoria detentus; quantum nobis attraxerit molestiarum, utinam perspicere possetis! Quanto in periculo vitæ, ne de jacturis aliis dicamus, versetur, utinam cunctis nobiscum spectare licuisset!

Sed levia hæc, si cum iis conferantur, quæ malum, quod Deus clementissimè avertat! omnibus minantur; luctuosum: quam rem cogitationi cujusque relinquere malumus, quàm tempore hoc alieno exponere.

Spes quidem erat certissima futurum, ut post exhaustum superioribus septimanis laborem misimè levem, cum ἐκφυμία & annus hic finiretur; & qui ante fores est, iniretur. Eam spem licèt hostis Ecclesiæ CHRISTI, & nominatim hujus Scholæ ἀλάστωρ nobis omninò ereptum ire videatur: Tamen ne animum omninò despondeamus, præsentiæ divinæ fiducia facit; quâ ne prorsus orbatos nos doleamus, nostrum monere, vestrum cavere est.

Quibus ergo salus, ut uno verbo dica-

Digitized by Google

mus. sua cordi est, eos autoritate quidem publica; affectu verò paterno, & tantùm non verbis parentum, patronorum, Mæcenatum hortamur, &, si fas est, rogamus atque obsecramus, ut de privilegiorum, quæ ordini nostro semel concessa nunquam imminui, nedum aboleri Supremus Academiæ hujus Patronus patietur, conservatione prorsus securi ita vivant, ne illis ipsi indignos sese reddant.

Hoc autem facere absque molestia ulla poterunt, si juramentum præstitum ante oculos semper habeant, & statutis Academiæ religiosè pareant & obtemperent. Aures suas, tanquam Ulyssis socii ad Sirenum cantus, adversus eorum clamores obturent, qui rumores sine capite & autore sparsos excipiunt, & in majus augent.

Cœtus & conventicula eorum fugiant, qui verbis factisque aliorum existimationem, domus, vitam lædere, contra datam fidem non dubitant. Quietem contrà & modestiam in officii sui functione debitam unicè sibi commendatam habeant; & ante omnia, Deum non tantùm per magistratum ordinarium; sed aliis etiam inopinatis modis eorum vindicem esse cogitent, qui contra leges furenter peccant.

Summa

Summa hæc est: Qui civium Academicorum officium fecerint; privilegiis eorundem gaudebunt, idque bene natos & educatos omnes nisi facturos sponte sua confideremus, verbis uteremur pluribus. Si qui verò contrà facere deprehensi, damnum sibi contra votum ac voluntatem nostram attraxerint; quem præter se accusare possint, habebunt neminem. P. P. XXX. Decemb. Anno M. DC. XIV. exeunte.

X.

Prorectoris & Consilii publici nomine ad Studiosam juventutem.

ETsi ad eam commonefactionem, quam proximo hoc biduo publicè omnium oculis exposuimus, quid addi possit aut debeat, vix videmus; Qui enim legibus morigeros se præbent, quos numero plurimos esse gaudemus, iis satis superq; dictum est: Qui verò jurisjurandi religione proculcatâ, & obedientiæ freno excusso, salutaribus monitis aures occluserunt; iis nulla unquam oratio satis erit:

Digitized by Google

Tamen ne vel deserti, aut negligentius, quàm necessitas postulabat, curati officii crimen sustinere cogamur; vel si non satis prænonitum quisquam jure meritoque possit conqueri; Hoc etiam die Scholasticam juventutem non tam officii sui commonere, quàm de periculis vitandis denuò & quasi ex superfluo docere voluimus.

Itaque ut in memoriam singuli sibi revocent, hortamur, illa Sophoclis Iambica, quæ Pompejus Magnus, *celsa de puppe carina*, in vilem naviculam obviam à Rege Ægyptio missam, in qua mox confossus periit, descensurus non sine lacrymis ipse sibi occinuisse perhibetur:

Ὅς τις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
κἂν δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ:
Subire tecta qui tyranni sustinet,
Est servus ejus, liber utut accesserit.

Hic post tres consulatus, & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi ac præstantissimi viri, in id evecti, super quod ascendi non potest, *Perdident quia jura sui*, fuit exitus. Hoc nimirum innuere voluit Comicus, cùm libertatem tradidit Herculis fidissimam ubique comitem, navem tamen ingredientem noluisse illum sequi, ne mari subjiceretur ac ventis.

Ita-

Digitized by Google

Ita scilicet comparatum est ingenium humanum, ut libertati, qua nihil amabilius, nihil favorabilius, homines naturâ studeant, & servitutem oderint. Et nimis verum est, quod quidam dixit; Habere mentem nostrum naturâ sublime quiddam & erectum, & impatiens superioris; imò non solùm homines; verùm etiam bestias libertatem ὡς πρᾶγμα ἀδιαλλάκτως, expetere atque omnibus rebus anteponere, res ipsa clamat.

Verùm enimverò dolendum prorsus est ac deplorandum, quòd in ipso libertatis usu multos ex hominibus à bestiis vinci videmus. Hæ enim ut loca suspecta rursus adeant, vix verberibus adigi se patiuntur; beneficiis verò cicuratæ, aut plagis edomitæ, ἄμεινον δουλεύειν ἐπιστᾶς, ἢ ἐλευθεριάζειν ἀναισχύντως, & cum periculo contra stimulum calces jactitare, naturâ magistrâ ac duce discunt.

At quid ex hominibus, si modò hoc nomine dignandi, atq; ex eorum quidem numero, qui artium liberalium studia tractari à se jactitant, quàm plurimi? Ii verò neque intelligere se, quid libertas vera sit, satis ostendunt; & concessæ etiam libertatis abusu sibi pericula, aliis molestias interdum creant maximas.

Discant ergo illi tandem, *Libertatem esse innocentiam*, quod Epictetus Hadriano

Digitized by Google

Impri. respondisse fertur. Discant qui ullius alius sentit imperium, verè liberum esse neminem. Discant, neq; superbiores esse tyrannos, neq; ullorum dominorum acerbiora esse imperia, quàm immoderatorum appetituum & illegitimarum cupiditatum. Ἐλεύθερον γὰρ ἀδύνατον εἶναι, τὸν παθεσι δουλεύοντα, καὶ ὑπὸ παθῶν κρατούμενον.

Hæ scilicet Symplegades & Syrtes illæ, hi turbines ventorum sunt, quibus semel commissa navis, exitio cum vectoribus obnoxia est certissimo.

Quòd si ad animum affectibus mancipatum, ebrietas accedat: Vix ipsa hominem servare, si velit, salus videtur posse.

Quid aliud, per Deum! faciunt, quàm quòd tyranni domum ingrediuntur, qui potandi causa in tabernis seu cerevisiariis seu vinariis, cum maximo ordinis literati dedecore, considunt? Quid mirum experiri eosdem verissimum esse, quod à Sapientibus dicitur, *Neminem crimen in pectore gestare, qui non idem Nemesin in tergo?*

Quicunque ergo & libertate rectè uti, & privilegiis ordini nostro autoritate summi magistratus concessis frui cupitis: Cum anno novo vos vitam novam exorditos modis omnibus declarate. Cogitate, ἐλευθερίαν ἀνεμ-

Digitized by Google

ἀκριβῶς ἢ ἀμέτρως φερομένην εἰς ἀφάλειαν.
Et quoniam vobis decretum quasi per transennam inaudivimus, etiam absq; ulla cujusquam prohibitione, locum illum, de quo proximo hoc biduo commoniti estis, & quem jam olim propter caussas gravissimas exosum habere debuisseris; deinceps fugere: Agite, agite in proposito hoc maximè laudabili constanter perseverate.

Fiet hoc cum maximo ut valetudinis, & existimationis emolumento; sic rei nummariæ, quæ ad alios usus à parentibus ac patronis submini-stratur, compendio.

Quod enim superioribus diebus editum fuit exemplum, idem adversus omnes locitories indicati violatores deinceps edendum, Senatus opidanus decretum sibi esse profitetur.

Simul verò etiam vociferationibus & contumeliis conviciorum nihil esse ab ordine literatorum honestissimo alienius, persuasissimum vobis habetote. Quòd si qui minùs propensum eorum, cum quibus & inter quos vivendum est, favorem sibi expetiri aut animadvertere videntur; Ii non solùm Christianis; sed sanioris etiam Philosophiæ studiosis turpe esse meminerint,

ita

ita à maleficiis vinci, ut malum malo, convicium convicio rependatur: Contrà vero Beneficio maleficium vincere utrisque gloriosum. Neque illud prorsus omittendum, quàm multas etiam eos, quorum utimur hospitio mensaque, à vobis molestias experiri in horas propè singulas necesse sit.

Sed hujusmodi concionibus modesti officii sui memores non indigent; in pertinacia autem obstinati non corriguntur. Itaq; finem illis hic imponimus, & Deum veneramur supplices, ut anni hujus initia, progressum & exitum ad nominis sui gloriam, ad Ecclesiæ suæ Scholæq; hujus salutem clementissimè gubernet ac dirigat. P. P. Calend. Januar. Anno M. DC. XV.

XI.

Prorectoris & Consilii publici nomine ad juventutem Scholasticam.

QUID amplius autem dicemus, quod duobus programmatis recentissimis (vetera enim, eaque plurima silentio præterimus) dictum, ac lectum non sit?

? Quanquam quid dicimus ? Si ii quorum agitur, non legere, sed intelligere, sed animum admittere, in pectus demittere voluissent, quæ in ipsorum rem, & causam, commodum, & incolumitatem, ac salutem adeò ipsam toties, & his præsertim diebus & diximus, & scripsimus, & in medium consuluimus: hac tertiata sive edictione, sive interminatione, sive dehortatione, atque obtestatione opus non foret.

Causa quæ sit scitis: quo in statu autem sit, aut futura sit, nescitis: futura autem est pessimo, nisi meliore via & ratione vos ac partes vestras comparaveritis.

Et hesterna quidem vespera QUIDAM E VOBIS (cum iis enim hic nobis res & oratio est: nam probi, & juris ac pacis amantes suum sponte faciunt officium) quousq; progressi sint, & quàm longè terminos officii sui excesserint: & Nos, & Luna ista jam per nox, & multò magis Deus ipse omnium nostrarum actionum severissimus ac vigilantissimus tum judex tum vindex, visa, audita, cognita habemus.

Quorum simile ne quid hac vespera aut nocte, ut & sequentibus fiat, aut teneretur: Omnes & singulos sui officii ac fidei, quam jurati huic Academiæ dederunt; quam non jurati patriæ, parentibus, ac patronis; quam deni-

Digitized by Google

denique *DEO* omnium rerum inspectori, rectori atque ultori debent, admonemus.

Idque eo, ut *AB OMNI VI PUBLICA ET PRIVATA*: nec minùs ab omni coitione, conspiratione, tumultuatione, à turba omni, & Provocatione, à conviciis item, clamoribus, vociferationibus, ab *OMNI DENIQUE RE ILLICITA ET LEGIBUS INTERDICTA* in totum abstineatis, vestra agatis, & causam totam *NOBIS ET IURI* defendendam ac determinandam relinquatis, scituris omnibus, qui huic æquissimæ ac fidelissimæ commonitioni nostræ locum relinquere contumaciter recusaverint, ipsos non tam in nostram quam in *SUPREMI AC POTENTISSIMI MAGISTRATUS NOSTRI* animadversionem jure merito incursuros. Propositum Die Secundo Ianuarij An. M. DC. XV.

Autore

Adamo Th. Sibero.

12. Exe-

Digitized by Google

XII.

Exequiæ Friderici Boxpergeri Franci.

NOn Recens opinio est, Quicquid calendis Ianuariis vel agimus, vel patimur, id per universum deinceps annum eodem modo nobis agendum patiendumve esse. sed inde ab antiquissimo Romanorum ævo ad nos propagata. In more quippe habebant illi, ut primo anni die suam quisq; artem, suique muneris functiones,

Totus ab auspicio ne foret annus iners,

agendo delibaret. Hinc natum Columellæ præceptum, ut *agricolæ ipsis Calendis Ianuariis auspicandi causa omne genus operis instaurent*. Hinc magnus ille sapientiæ humanæ magister Seneca de se scriptum reliquit: *Ille tantus Psychrolutes, qui Calendis Ianuariis in Euripum saltabam; qui anno novo quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid sic auspicabar in Virginem desilire*; (aquam hanc fuisse, quæ Romam influeret, omnium ferè frigidissimam, nemo ignorat eorum, qui primore libro classicos libarunt autores) *primum ad Tiberim transtuli castra, deinde ad hoc solium*, aqua scilicet parum calida plenum.

Qui

Quid de hoc more hesterno die vestrum, Cives Academici, quisque usurparit; vobis considerandum relinquimus: Deus certè, qui temporum & annorum seriem pro suo moderatur arbitrio, cautam nobis præbuit, ut omnibus totius anni diebus repetere & animis nostris cogitare debeamus, quod homo ille Dei Moses, precatus est: *Insinue nos JEHOVA, ut dies nostros numeremus, & mentem acquiramus sapientem*: Et hunc secutus Vates regius: *Indica mihi JEHOVA finem meum, & quis dierum meorum sit modus, ut sciam quàm longævus sim, aut quando defecturus.*

Heri enim circa tertiam matutinam è Schola hac terrena, in cœlestem Academiam, Deo vocante, emigravit juvenis pius, honestus & eruditus FRIDERICUS BOXBERGERUS FRANCUS, & exemplum nobis reliquit, quod singulis diebus animis nostris obversari debet, quo monemur, *concedi nobis divinitus autem vix dodrantalem; nihilq; ferè ævum nostrum apud Deum; Adeoq; omnino nihil esse universum hominis statum*, ut hæc etiam vatis regii verba repetamus.

Natum autem FRIDERICUM BOXBERGERUM accepimus in opido Franconiæ Königshoff / parentibus honoratis. Pater enim, cujus nomen in filium transiit, Quæstoris

toris ibidem munere functus perhibetur: à quo lanctè casteque educatus, & optimarum artium studiis consecratus, & post primæ pueritiæ rudimenta *Schleusingam* missus, aliquot annos inter Gymnasii illius alumnos ita exegit, ut dignus fuerit habitus, qui ad Academiam, tanquam ad disciplinarum optimarum emporium sese transferret.

Venit ergo primò *Lipsiam*, deinde *Jenam*, & adolescentis studiosi officio satis fecit egregiè. Cùm autem ad peregrinationes inclinaret; in Italiam proficiscendi occasionem avidè arripuit; in qua sic versatus fuit, ut linguæ Italicæ noticiam & usum haud vulgarem sibi compararit.

Inde verò regressus Jenam rediit, & non longo deinde intervallo nostram etiam Wittebergam visere voluit. Ea verò occasione in noticiam se insinuavit viri amplissimi & consultissimi, Dn. LEONHARDI KÖPPELII J. U. D. & Consiliarii Electoralis, &c. in cujus familia Dresdæ per triennium vixit, suamq; operam & fidem in liberis herilibus erudiendis patrono suo probavit.

Tandem verò valetudine conflictatus minùs prospera, cujus semina ex Italia secum retulisse videbatur, huc reversus est, & mense Majo superioris anni inter alumnos Electorales locum obtinuit.

Digitized by Google

Sed cœli mutatio ad sublevandum aut discutiendum morbum adeò non valuit, ut *febri* consumptus *hectica*, & lenta tabe eò redactus fuerit, ut rectè de ipso usurpari potuerit illud Siracidæ: *O mors! præclarum est judicium tuum ἀνθρώπῳ ὑπερωρίῳ καὶ ἠλαττωμένῳ ἰσχύι.*

Decubuit non ultra geminatam hebdomadem. Reliquo tempore in audiendis sacris concionibus & religiosè usurpandâ cœna Dominica, adeundis item, quoad vires valuerunt, publicè docentium auditoriis, fuit assiduus: ita denique vixit, ut si vitam Deus prorogasset, fructum ex illius studiis patria sperare potuerit minimè pœnitendum.

Sed animulæ ipsius requietem beatam & exoptatam minimè invidentes, exuvias postea hora III. è Collegio Augusti in cœmeterium suburbanum efferendas & more Christiano humandas, supremo honore afficiamus, & nobis quoque Siracidæ vulgatum ab ris occini ita ruamus: *Memento judicii mei. Erit enim tale etiam tuum.*

ἐμοὶ χθὲς, καὶ σοὶ σήμερον.

P.P. Non. Januarii anno M.DC.XV.

Præ-

XIII.

Prorectoris & Consilii publici nomine, Ad Studiosam juventutem.

NOtum facimus universis ac singulis, non tantùm optimarum artium Studiosis; verùm etiam reliquis, qui jurisdictioni Academicæ quocunque modo subjecti sunt, ob gravissimas causas decretũ esse, ut, donec turbæ præsentes conquiescant, ita quisque suas rationes instituat, ut post OCTAVAM vespertinam auditam, & signum in Collegio Friderici campanulâ datũ, intra habitationem suam per aliquot noctes sese continere possit. Mox enim simulatq; pulsus campanulæ finem habuerit, clausa erunt & manebunt Collegia, neque cæteri, qui studiosos inquilinos in suis ædibus habent, fores ulli, postquam semel clausæ fuerint, reserabunt. P.P. III. Januarii, anno M. DC. XV.

XIV.

Exequiæ Iohannis Mulleri Ludovicofchorgaftenfis Franci.

CUm multæ extent in sacris literis pœnarum atrocissimarum com-

Digitized by Google

minationes; haud facilè reperiri ulla potest, quæ tristior sit & ad movendos etiam durissimos hominum animos efficacior, quàm ea, quæ in Vaticiniis Ezechielis Capite XXI. proponitur.

Ejus verò versum XIII. cùm ex translatione B. Lutheri ipsis anni recens inchoati calendis Januarius ab ephemeridum scriptore additum animadvertissemus; nemo credat, quantopere fuerimus animo commoti. Postèaquam verò cum eodem Ezechielis Vaticinio contulimus superiorum aliquot dierum actiones; longè magis in stuporem sumus dati.

Ac profectò quanto magis magisq; rem cogitamus, ut neq; prorsus contemnendas, neq; pro talibus habendas oraculis astrologorum prædictiones existimamus, quæ aliter evenire nequeant! Ità non carere omine, quòd in melius Deus æternus & misericors vertat! videtur tàm lugubris vaticinii in capite anni quasi infantis citatio.

Quàm parva scintilla maximum sæpè excitare potest incendiu! Quantorũ motuum vel anteambulones vel prænuncii sæpe fuerint in maximis imperiis & rebuspub. etiam ludicra puerorum bella, docent historiæ, & meminerũt, qui paulo sunt natu grandiores. Quid igitur in amplissimo Romani Imperii corpo-

corpore fieri posse arbitramur, cùm ad turbas à Calédis Ianuariis intra Witteberga nostræ mœnia planè ex improviso, concitante illo, cui sudes in oculo est Academia nostra, exortas oculos animosq; nostros covertimus?

Et quis non præclarè cum illis actum agnoscat, quos inter pios justosq; in communem locũ abire vates divinus; & in cubilibus suis quiescere pronunciat, antequam mala, quæ præ foribus sunt, ingruant? Quis de salute æterna solicitus non ita se paret, ut quocunq; tempore sarcinulas colligere, & ex hoc calamitatum hospitio, summi illius Monarchæ jussu exire jubeatur, lætus illi & de adeunda beatitatis sempiternæ possessione certus ac securus, parere & obtemperare possit?

Impossibile quidem est, si D. Ambrosio credimus, hominem non peccare. Sed in peccatis diutius pertinaciter perseverare, neq; rectè monentibus aures præbere; hæc verò amentia est. σφετὰι μὲν τι φρένες ἐσθλῶν: & ita pugnare, ut in victoria etiam, cujus alea incerta, tibi plus damni detur, quàm inimicis, stultorum est.

Cujus generis prudentiæ ἐπιθήκας cùm cives Academici non ignoretis: Illis tamen, ut Solis luci nubes interdum, sic perturbationes πνεύματος ἅγιου. Sed cogitare debetis, quòd *feras quidem mentes im obsideat; eruditas*

prælabatur: quemadmodum incultis asperiq; regionibus diutius nives hærent: at ubi antro domefacta tellus nitet, dum loqueris, levis pruina, dilabitur, ut hoc de Satirico mutuemur.

Ut ergo *detumescant odia*, & in cogitatione fragilitatis humanæ *præteritæ aboleantur*; Ecce! secundum in tam recente anni luctuosè inchoati principio funus ut pro more indicamus, rogamur. Atque ut die ab hinc septimo ex Augusti collegio Studiosi juvenis exuvias, terræ matri reddendas extulimus: Ita hodierno die ex Friderici Collegio, rursus, morte quasi ob ortu versus occasum progrediente, & magis magisque intra opidi viscera penetrante, funus Studiosi juvenis efferendum est.

Is verò est *Johannes Müllerus Ludovicoschorgastensis Francus*, Patri suo, viro honorato & literato cognominis: cujus matrem fuisse Catharinam Hoffmannin von Gossenreut accepimus.

His parentibus jam præmortuis natus ille mensis Julii die XXIII. Anno M D.XCI. & ætatis anno octavo Culmbacchium missus, à præceptore suo viro Rever. & Clarissi. Dn. M. Henrico Hain Scholæ tum illius Rectore solertissimo ac fidelissimo; Jam verò ut è Scholarum Rectoribus Ecclesiæ ministros optimos fieri B. Lutherus & Philippus censuerunt

fuerunt, Ecclesiæ Byruthinæ Diacono, & Consistorij Assessore dignissimo; Ab illo ergo testimoniū hoc accepit, cùm sexennium ibi vixisset, quòd bonæ indolis, ingenii solertis, laudatæ probitatis specimina nunquam non dederit egregia. O laudem & prædicationem bonis omnibus unicè expetendam! quæ quidem calcar ipsi addidit, ut Curiā Varisscorum profectus, ibiq; per quadriennium commoratus, jam partum decus augeret indies. Itaq; ut fundamentis fideliter jactis reliquum præclaræ doctrinæ ædificium superstrueret, de præceptorum ac Parentis tum superstitis consilio huc venit IV. id. IIX. an. M. DC. X. Hic verò cum Philosophia studium Theologiæ conjungens, lectionum, concionum & disputationum & auditor & athleta fuit assiduus. Inprimis verò ut concionatoris quasi specimen quoddam daret, & in munere aliquo versaretur; per semestre Lectoris in publico Convictorio functus est officio. Vitam egit piam, modestam, honestā, à rixis & contentionibus alienam.

Hunc ergò juvenē, qui jā servire Ecclesiæ magnā cum laude potuisset amissimus phthisi extinctum in ætatis flore. Cùm illo hoste per semestre spacium conflictatus, cùm per hebdomadas tres decubuisset, & finem vitæ appropinquare animadvertisset; Cœnæ Dominicę usurpatione religiosa annū proximū,

Digitized by Google

vitam verò, inter suspiria & vota ad Jesum Servatorem ardentissima heri circa VII. matutinam placidè clausit.

Huic ergo commilitoni vestro, ex ædibus Academiæ, quas D. Jöstelii Vidua inhabitat, hora postea III. in cœmeterium suburbanum efferendo, honorem extremum cumulatè præstetis censemus, tum ea cogitantes, quæ bono & consilio & animo præfati sumus; tum mente ad Parentes, patronos, fautores conversa, in hoc rerum statu curas ac vota illorum ipsi vobis subjicientes.

Et quamvis vos quasi in equum collocatos, cursum jam moderari vitæ vestræ conveniat; Tamen cum grandioribus liberis fieri parentum solicitudines quoque grandiores mementote. P. P. IIX. Id. Januarii, Anno M. DC. XV.

XV.

Exequiæ Dn. Samuelis Selfischii, Bibliopolæ & Consulis VVittebergensis.

Rursum nobis in præsentiarum quidem dolor ac luctus renovatur; de futuro verò solicitudo, cura, metus mirificè angerur

augetur obitu viri amplissimi & prudentissimi Dn. SAMUELIS SELFISCHII, Consulis in hac Civitate emeriti, & Bibliopolæ tota Europa multis nominibus celeberrimi. Etsi enim illi post eam prosperitatem, quâ major homini in his terris vix obvenire posse, vix optari debere videtur, divinitus concessam, id quoque contigit, quod pro felicitatis cumulo Deus Abrahamo Patriarchæ pollicetur, ut *dierum plenus & vitæ satur in pace & senectute bona abierit ad patres suos*: Tamen cùm partim ea, quæ proximis hisce annis accidêre, recordamur; partim ea, quæ in manibus & ante oculos nunc habemus, diligentiùs perpendimus: Non possumus facere, quin cum Jeremia in has querelas, erumpamus:

Spoliata luget CURIA SENATORIBUS: Non cantionibus viæ, non perstrepunt Choris: CECIDIT CORONA Capitis nostri. Vanum nobis! quia peccavimus. Propterea mœret nobis animus, caligant nobis oculi. Propter montem SION EM ita vastatum, ut eum pervadant Vulpes.

Coronam esse dignitatis plenam CANITIEM, in virtutis via inventam pronunciat Regum, quos Sol vidit, sapientissimus. Ejusmodi corona in hac civitate jucundum illis spectaculum præbuit, qui proximis hisce an-

nis studiorum gratiâ fuerunt hîc peregrinati. At ubi nunc est? Evulsit è coronâ amotos tot senes canitie venerandos; ut eorum vix unum atque alterum reliquerit; quorum usum & aspectum, quàm diu nobis Deus concessurus sit, ignoramus; diuturnum unicè optamus.

At nunc demum ille periit; qui ut ætate reliquos anteibat; sic autoritate & cæteris, quæ illum ordinem & locum decent, virtutibus nomini erat secundus. *Prolixæ quippe senectutis beneficio multis instructus experimentis*, necessariam in magistratu constitutis esse sapientiam, multas q; injurias oblivione sepeliendas prudenter statuebat, ne pax publica turbetur, néve exulcerata lacerando amplius reddantur ἀνίατα.

Sed non patitur instituti nostri ratio, ut vel jacturam in hujus etiam viri morte factam, verbosiùs deploremus: vel laudationem instituamus meritis tantis dignam.

Quocirca queri desinamus, & inter vota (hæc enim relinquuntur) pia, ad ferendum, quicquid Deus voluerit, nos paremus, & quod nunc agendum est, agamus.

Igitur parentes habuit noster SAMUEL SEELFISCH pios & honoratos; patrem quidem *Johannem Seelfisch* Bibliopolam; matrem verò *Catharinam* Weissenhörnin / in-

lucem

lucem editus Erfurdiæ die Lunæ, qui D. Martini festum anno M.D.XXIX. præcesit.

Ab his piè casteque educatus, & in primis ad frequentandas scholas, & concio-nes verbi divini attente auscultandas inde à teneris unguiculis assvefactus, anno ætatis XVI. de parentum optimorum voluntate & consilio Wittebergam se contulit.

Licèt autem neque ingenio destitueretur, & progressus fecisset in studiorum initiis, pro captu illius ætatis, minimè pœnitendos: Tamen ad vitæ genus à patre probatum cùm appulisset animum; in disciplinam fuit datus Bibliopolæ illâ tempestate celeberrimo, *Bartholomæo Vogelio*,

In hujus familia cùm per aliquot annos industriam & fidem suam egregiè probasset: operam deinde suam addixit *Cunrado Rübelio*, Bibliopolæ item celeberrimo & hujus Civitatis consuli; cujus fratrem *Andream Rübelium*, Judicem opidanum, ante paucos menses humavimus.

In ea verò functione talem se præstitit, ut affinitate sua dignum judicaverit *Cunradus Rübelius*, desponsatâ ipsi sorore MARIA, virgine lectissimâ: Patris scilicet sibi cognominis, quem Navenhemi Cattorum loco honesto habitum fuisse accepimus, affectum & officia destitutæ parentum præsidio præstans.

Cum

Cum hac ergo contractis XXV. Octobris, Anno M.D.LVI. sponsalibus; Die XX Januarii anno sequente nuptias celebravit, Philippi Melanchthonis, Pauli Eberi, aliorumque illo ævo hîc florentium virorum præsentiâ exornatas. Eam XII. liberorum parentem factam, cùm post annorum XXIII. mensiũ IIX. conjugium svavitatis & prosperitatis plenum, mense VIIbri. anno M.D. XXC. amisisset; & in viduatu ultra triennium vixisset, ad secunda vota transiens matrimonio sibi mense Novembri, anno M. D. XXCIII. junxit virginem item lectissimam MARGARITAM, Hermanni Rubini civis honesti & aurifabri filiam.

Verùm ne prorsus expers calamitatis foret, hanc ipsam post susceptas ex ea filias duas, Christinam & Margaritam, anno conjugii XI. Christianæ æræ M.D.XCIV. prid. Cal. Vles. extulit.

Nec minùs crebra sobolis & nepotum ac pronepotum funera moderatè tulit, *Semper felici nihil infelicius* esse cogitans, & in amissorum jacturâ, si ita appellanda est ad beatitatem veram emigratio, relictorum sese charitate consolans. Liberos enim utriusque conjugii & sexus numeravit XIV. Nepotes LXXVII. Pronepotes XIV. in universum à CXXIII. liberis, nepotibus, pronepo-

Digitized by Google

nepotibus, generis & nuribus Pater, Avus, Proavus, Socer, Prosocer, salutatus.

Ex VII. filiis superstites reliquit *Petrum*, civem Stralsundi honoratum, & Samuelis ac Petri patrem; *Matthæum* ordinis hic senatorii virum, filiique sibi cognominis Patrem, & *Laurentium*, qui in vicino oppido Beltzig domicilium suum collocavit. Quatuor verò funeravit, *Johannem*, *Samuelem*, qui hic granariis Electoralibus præfectus cùm esset, ante sesquiennium cum filio Samuele simul elatus fuit: *Conradum*, & *Johannem* alterum.

Vivaciores fuerunt filiæ, quarum duas tantùm *Annam*, & innominatam alteram deflevit: Reliquas, ut & neptes aliquot, splendidissimè & honestissimè maritavit. Natu enim maxima *Maria* primùm *Augustino Cruciger*, Lucæ alterius nepoti, alterius filio nupta fuit: & ex ea natæ filiæ, altera viri amplissimi & consultissimi *D. Leonhardi Köppelii*, Consiliarii Electoralis; altera viri Rev. & Cl. *Ægidii Strauchii*, S. S. Theologiæ D. & Superintendentis Martisburgensis, uxores sunt: Hodie *Maria* eadem maritum habet virum Rev. *M. Andream Crucigerum* Pastorem in Zörwick.

Secunda, *Maria Magdalena* post obitum prioris mariti, viri Cl. *M. Petri Albini*, Histo-

rici

rici & Poëtæ celebris, ex Professore Wittebergensi per annos XI. Secretarii Electoralis, nupsit *Christophoro Wustio* Senatori Tertia, *Catharina* uxor est *Caspari Fluth*, Pharmacopolæ & Senatoris. Quarta, eaque posteriore conjugio major in matrimonio vivit viri magnifici & amplissimi D. *Benedicti Carpzovii*, qui Serenissimo Electori Saxoniæ à consiliis intimis est, & in aula Coldicensi Cancellarii munus gerit. Minima natu *Margarita* maritum habet virum cl. & consultissimum D. *Wolffgangum Hirschachium*, Professorem P. Et quis non ob πολυτεκνίαν καὶ εὐτεκνίαν hanc felicem illum nominet?

Accessit & alterum felicitatis genus, quod in Metello singulari felicitatis humanæ exemplo, Plinius prædicat; quòd *in suâ civitate Clarissimus fuit*. Adscitus enim in ordinem Senatorium anno M. D LXIX. ætatis XL^mo. Camerarii, quem vocant, munere functus est integerrimè; & anno M. D. XXCV. ab *Augusto Electore*, *Consul* hujus civitatis constitutus, per annos XXX. illi muneri maxima cum suâ laude, & civitatis emolumento, adeoque Academiæ, imò totius reip. literariæ & Christianæ commodo præfuit.

Nullis enim impensis pepercit, ut usui Scholarum & Ecclesiæ necessarii libri extarent;

rent; In primis verò elaborari à *Luthero*, *Philippo*, *Ebero*, *Hunnio* & aliis, quibus parte rei tenuibres gratuitò plurimos, & nominatim eos, qui tyrannidi Turcicæ essent vicinjores, instruxit, quibus in partibus distractorum & inter barbaros dispersorum, codicum precium, cujus aliquando consequendi nulla spes est, ad summam haud exiguam exercscit.

Sed his omnibus hoc præponderat, quòd perceptam ex ore *docentis B. Lutheri*, quem proximo ante obitum ipsius anno sibi auditum in magna felicitatis parte numerabat, doctrinam & retinuit fideliter, & opere comprobare studuit, & veram esse non minùs in exitu, quàm in omni curriculo vitæ, expertus est.

Cùm enim viribus semper fuisset, etiam in extremo vitæ actu, satis vegetis: pauculis septimanis senectâ ipsâ debilitatus cœpit decumbere. Et vitæ finem imminere præsagiens, Decembris die XI. Viatico Cœlæ Dominicæ, exornatus ad eum modum, quo valens solebat, & genibus innitens, infirmi postremùm voluit.

Ab eo tempore migrationem beatam avidè expectavit; & cùm proximis his diebus ad aures ipsius rumores ingrati & insolentes accessissent; magis de Ecclesiæ & Civium suorum; quam de

pro-

propria salute, quod in Theodosio Imp. D. Ambrosius laudat, solicitus unicè exoptavit. Cujus voti tandem die Dominico proximo compos à Deo fuit redditus.

Ut enim in adeundis fermè quotidie concionibus sacris, momentum illud observârat, quo Campani æris pulsu ad ædem sacram populus convocatur: Ita illo quoque die, cùm sensibus adhuc integris, corpore verò maximam partem præmortuo, signum datum esset; illo ipso momento ad Ecclesiam triumphantem placidè emigravit.

Talis ergo viri exequias ut frequentes cohonestent cives Academici, cohortatione nostrâ opus non est. Facient hæc in parte officium suum singuli tanto cumulatius, quanto major est hujusmodi virorum raritas. Efferetur autem postea horâ I. in ædem Mariana post concionem funebrem sepeliendus. P. P. prid. Id. Januarii. Anno, Nostra VnVs est MerCes DeVs.

XVI.

Rectoris & Consilii publici nomine ad studiosam juventutem.

QUO genere ac modo, quâq; de causâ, aut occasione annum vere-

fem

rem claudere, novum incipere quidam à vobis instituerint: neque ipsi ignorant, & nos non sine interiore animi dolore, & quotidianis usque molestissimis sentimus molestiis.

Quod enim tempus libris ac studiis nostris impendere curæ & voluptari haberemus: id inauspicatissimæ liti sive cognoscendæ, sive componendæ aut sedandæ tribuere cogimur. Neque id tamen non aliquo cum fructu, ac successu. Nam ut major melior; pars in officio sua sponte fuit: sic quos incogitantia, aut petulantia transversos abripuerat, ii ad saniora & quietiora consilia animum videntur convertisse.

Quos utrosque monemus, aut hortamur, ut quod facere sua voluntate, nostrave autoritate cœperunt, in eo perseverare pertendant, rectam rationem potius, & legum vocem, quàm pravos ac male feriatos affectus auscultent, ab omni illicita, & turpitudini, vituperationi, animadversionive obnoxia re abstineant, denique, ut verbo dicamus, sua agant.

Cæteris, si qui nondum ad animi quietem, ad tranquillitatem ac pacem se dare volunt, quique adeò ipsi sibi jus dicere, hoc est, vim facere, & conviciis, occentationibus, provocationibus, lapidationibus aliisq;

hoc genus ordinem nostrum detur pantibus leges autem ac jura violantibus actionibus grassari pulchrum ac magnificum putant: jis ergo, quiqui sint, cujates sint, non ad opinionem; sed planisimè ad veritatem persuasum esse hoc volumus; Nos de Celsissimi ac Seremsimi nostri Magistratus severisimo mandato, ut & de nostro ipsorum, quod conservandis legibus, ac tuendæ communi tranquillitati deberur, officio ac munere, jam id omni cura atque opera & egisse, & agere, ut quicunque istis ex Turbonibus ac sui ipsorum vindicatoribus, per notores, conscios ac testes, eosque jurisjurandi religione, ac fidei sacramento devotos atque obstrictos, indicati, comperti convicti que fuerint; in eos ea exempla edantur, ea vindicatæ contumaciæ, animadversæ proterviæ documenta statuantur, quæ alios officii commonefaciant; isti debitæ ipsorum meritis mercedis sensum ac memoriam in omne vitæ tempus gerant. Propositum XIV. Januar. Ann. Θεογονίας M. DC. XV.

Autore
Adamo Th. Sibero.

Exe-

Digitized by Google

XXII.

Exequiæ Martini Albini Coronâ Transsilvani.

DULCE quod est aliis & carum nomen AMICI,
Hoc mihi tristitiæ causa necisq; fuit.
Me dare nunc luctus Socio, Sociumq; fuisse
Autorem mortis, magnus UTERq; dolor.

His versibus orditur & concludit Eprigramma, decus Missiæ nostræ GEORGIUS FABRICIUS, quo tumulum cujusdam exornare ita voluit, ut quàm incertis casibus expositi simus, singulos admoneret. Is enim, quem loquentem inducit, quo pacto ab amico, nihil minùs, quàm de cæde patranda tum cogitante fuerit interemptus, versibus hisce memorabilibus refert:

Ille mihi ad lectum accurrens, dum suscitat ense,
Vaginam in tenebris insciùs, ense trahò.
Surge age, dum repetit, punctim ferit, & mihi vitam
Imprudens, heu! per vulnera quinq; rapit.

Adeò *Quocunq; ingredimur, sequitur mors corporis umbram; & errant*, secundùm Senecã, *qui in navigatione tantùm existimant minimum esse, quo à morte vita dividatur.*

Inamni loco æquè tenue intervallum est. Nonubique se mors tam propè ostendit; ubique tam propè est. Hujus inconstantiæ & incertitudinis vitæ nostræ rursus exemplar eheu! tristissimum exhibent exequiæ commilitonis vestri. Efferentur enim postea horâ III. ex ædibus Pastoris in Eutzsch / prope vallum in vicositis, qui à Cupro nomen habet, in cœmeterium suburbanum, & Christiano ritu in terræ sinum inferentur exuviæ *Martini Albini*, de cujus ortu, vita & obitu quæ accepimus, quàm poterimus brevissimè pro more referemus.

Igitur inter Pannoniæ ulterioris provincias *Transsilvania* est, regio tum pecoris, jumentorum, vini, frumenti, ac deniq; auri & argenti feracissima; tum urbibus insignis celebrioribus, quas omnes à Saxonibus conditas perhibent, qui post sæpius repetitam *Caroli Magni* victoriam, ante *CCM.* annos in Daciam mediterraneam demigraverunt, ea; armis occupatâ, & ejectis indigenis, Germanicam linguam propagarunt, & in hunc usque diem retinuerunt. Inter eas urbes & *Corona* numeratur Transsilvanorum Saxonum sedes, quæ civem habuit, opificio quidem Cotrarium; sed inter suos honestum *Martinum* Weiß, qui ex conjuge sua, fœmina item honesta, *Barbara* Straubich filium suscepit sibi co-

gno-

gnominem *Martinum Albinum*, anno Christi M.D.XCII. In eo cùm indoles præclara eluceret; ad excolendam illam, inde à teneris unguiculis, nihil deesse pasi fuerunt parentes optimi. Sed & ipse Martinus ut parentum votis satisfaceret, operam dedit sedulam.

Ac prima quidem studiorum fundamenta egregiè posuit in Gymnasio Coronensi: Deinde verò, patre in pueritia amisso, Enjedeni, quod opidum Hungaricum Transsilvaniæ est celebre, quò se discendæ & exercendæ linguæ Hungaricæ gratiâ potissimùm contulit. Postquam verò progressus eos in linguarum & artium optimarum cognitione fecerat, ut in Academiis utiliter versari posse videretur: De suorum consilio, Wittebergam proficisci statuit. Verùm in ipso itinere impedimenta obiecta fuerunt difficillima. Morbo enim dysenterico periculosè conflictatus, per semestre commorari inter peregrinos fuit coactus. Ex hoc verò cùm se se recollegisset, & Augusti die XI. huc venisset; valetudine quidem paullatim firmiore cœpit uti; verùm ita, ut vix duos, aut ad summum tres menses hic egerit à morbis gravioribus liberos & immunes. Ecce autem! dum Philosophiæ tractationi Theologiæ studium conjungit; & studium, & vitæ rursus ex improviso abrumpitur. Die n. ab hinc octavo, vespe-

ri orto inter ipsum & popularem ac civem cætera concordissimum, & bonis parentibus natum, ex sermonibus ultrò citroq; jactatis jurgio futili & nullius admodum momenti, vulnus cultri, quem cibum capiens manu tenebat, ictu accepit in pectore. In ejus curatione cùm, diætæ ratione minùs accuratè habita, dies quinq; exegisset; media ferè nocte, quæ secuta est diem Januarii XIIIum. animam Conditori suo placidè reddit.

Etsi autem hic in mentem venire alicui possit, quod apud Valerium Maximum legimus: *Fine vitæ nostræ variis & occultis causis exposito interdum immerentiæ supremi fati titulum occupant; cùm magis in tempus mortis incidant, quàm ipsam mortem accersant*: Tamen in hoc etiam exemplum intuentes, meminisse omnes debent, quid de iis, qui sanguinem humanum effundunt, vox divina pronunciet.

Et quoniam apud magistratum Scholasticum crebræ sunt de illis querelæ, qui pessimo exemplo; vel leviter iritati cultros corripiunt, & diabolo, qui homicida est, impulsore furenter in commilitonum nihil tale verentium corpora, propter contentiones plerunq; levissimas, defigunt: Tot modis admoniti, moderari iracundiæ suæ discant, qui jurisdictionem Academicam agnoscunt, quique salutem suam caram habent, universi & singuli.

Mar-

Digitized by Google

Martinus quidem noster vitæ miserias omnes superavit, & nunc in sinu Abrahami quiescit.

Cùm enim viaticum Cœnæ Dominicæ paucis ante exitum vitæ horis debita cum reverentia & devotione animi religiosa percepisset; & cum invitato ad se populari, à quo saucia cus erat, in gratiam serió rediisset; eique nihil gravius contingere; sed testimonium insuper honestum tribui unicè exoptasset; inter preces ad Christum Servatorem ardentissimas, identidem hæc verba ingeminans: *Bonum certamen certavi, & jam vici omnes hostes meos*, sensibus omnibus ad extremum usque halitum integris, expiravit.

At quid animi sit vulneris autori, vobis cogitandum relinquimus; cùm præsertim de utriusque parente vidua, & de postremis conterranei sui verbis, in ista custodiæ solitudine cogitabit.

Martinus quidem dolorem illum geminum, quòd socium sibi mortis; se verò socio luctus autorem esse ægrè ferret, citò finivit:

At verò alter ille quando sit ejus finem visurus, *Deus* novit; quem boni omnes nobiscum orent assiduè, ut *secundam mortem nos omni nisu fugere doceat.*

Unusquisq; enim hominum cum causa sua dormit, cum causa sua surgit: & interesti, quali quisque custodiâ recipiatur, ad judicem postea producendus. P.P. VII. Cal. Februar. Anno, MIhI VnI VInDICta.

XLIX.

Exequiæ Conradi Turnheimii Thuringi.

QUARTUM hodie Studiosi juvenis funus hoc anno, tam adhuc tecente indicimus. Ut enim primum Januarii diem obitus civis Academici, quem duo deinceps commilitones non longis intervallis subsecuti sunt, luctuosum nobis fecit: ita ejusdem Januarii diem postremum mors CONRADI TORNHEIMII Thuringi funestum ordini nostro reddidit. Adhujus ergo exequias honesto comitatu exornandas cùm pro more invitanda sit literata Juventus: honorem defuncto supremum habituri, quæ populares & amici de vita obituque ejusdem ad nos retulerunt, paucis exponemus.

Igitur parentes habuit, & superstites contra ipsorum vota dereliquit Conradus Torn-

Tornheimius, patrem quidem *Johannem Tornheim*; matrem verò Ursulam Pilgram, vici in Thuringia non prorsus obscuri, cui nomen Werningshausen, incolas pios & honestos. Ab his anno Christi M. D. XC. Decembris die XXI. in lucem editus, & Ecclesiæ Dei viventis per lavacrum regenerationis insertus, pro illorum conditione inde à pueritia castè sanctèque fuit educatus.

Cùm autem prima studiorum puerilium rudimenta in disciplina illa domestica percepisset, & ingenio videretur à natura instructus ad imbibendas bonas artes idoneo: De parentum consilio *Denstadium*, quod Turingiæ opidulum est, Vinariæ vicinum, ætatis anno XIV. profectus, quinquennium illic integrum ita exegit, ut progressus faceret non contemnendos. Inde verò cùm *Magdeburgum* se de suorum consilio contulisset; triennium rursus laudabiliter inter illius Gymnasii alumnos vixit, & modestiam diligentiamque suam magistris egregiè probavit.

Quoniam autem certas ob causas inde in Thuringiam reversus, propter contagia luis pestilentis non ampliùs semestri spacio *Numburgi* ad Salam subsistere studiorum cõtinuandorum gratia potuit: Ad patrios quidem lares necessariò rediit: animo tamen

ad altiora semper aspirante, ad Academiam tandem accedendi facultatem unicè exoptavit. Eam verò Deus, qui suos nunquam deserit, paulò pòst luculentam obtulit. Fautorem enim nactus ejus loci Superintendentem, illius commendatione obtinuit, ut ab illustri & generoso Domino, *Dn. Philippo Ernesto*, Comite à Gleichen, & Dynasta in Thonna subsidiis benignè juvaretur necessariis. Ea verò ut quàm rectissimè collocaret, ad nostram Academiam, tanquam optimarum artium emporium profectus, & tractandæ Philosophiæ simul & Theologiæ deditus, triennium, quod inter nos vixit, ita se gessit, ut juvenis industrii & frugi officio præclarè satis fecerit.

Cùm autem in eo jam esset, ut de beneficii prorogatione ab illustris Mæcenatis munificentiâ per literas supplices impetrandâ & de studiis ad optatum, Deo prosperante, finè deducendis cogitaret: Curam ac solicitudinem illam Deus, vitæ nostræ arbiter, aliò convertit. Die quippe Januarii XIX. cùm ex prælectione Græca, in qua lingua perinde ut & in Hebraica profectus habuit minimè vulgares, domum rediisset: mox horrorem sensit febrilem, & morbi vi indies invalescente paullatim vires amisit. Etsi autem nec consilia Medici defuerunt, & remedia adhibita

fue-

fuerunt idonea : Tamen vitæ terminum à Deo fixum illa promovere nequierũt. Quod cùm animadverteret : In voluntate divina totus acquievit, & inter preces ad Christum Servatorem pias, morbi vehementiam tolerantiâ, quæ Christianum hominem deceret, certissimaq; vitæ melioris spe & expectatione superavit. Tandem verò post editam confessionem, & religiosè perceptam Cœnam Dominicam, viatico illo avidè desiderato instructus, præter opinionem astantium, quòd sensibus uteretur satis integris, vix elapso horæ spacio, placidè expiravit. Januarii, quemadmodum dicebamus, die XXXI quadrante horæ post III. pomeridianam. Huic igitur commilitoni vestro, cujus vitæ consentaneum Deus exitum largitus est, ut supremum pietatis & humanitatis officium cumulatè præstetis, magnopere censemus. Efferetur autem funus postea hora II. ex ædibus Caspari Krafft bibliopegi, in Cœmererium suburbanum. Simul a. cogitandum vobis subjicimus Francisci Petrarchæ monitum: *Si grandius cũ fossam saltu unico velles amplecti, longè cursum arriperes. Nunc foveã mortis inevitabilem transituri, quam periculosissimam omnium esse vel scimus, vel credimus, nunquid adeam improvidi veniemus? Absit à mentibus nostris! Per omnem vitam, mihi crede, præparandus est animus, erigenda mens,*

mens, colligendæ viver, ut bonam illam expediti & intrepidi videamus, foveamq; illam irremeabilem transeamus, cujus primo saltu si fortassis erratum sit, nulla tanquam ex integro saliendi spes relinquitur.

Nihil tamen ex omnibus providendum emendúmve æquè est, quàm ut DEI dextram, ubig; miseris, sed illic præsertim & necessariam, & pacatam fideliter atque humiliter apprehendamus, quæ morte superatâ, ad immortalitatem potest sola perducere. P. P. die festo Jesu infantis gestati in ulnis Simeonis justi. Anno M. DC. XV.

XIX.

Rectoris & Consilii publici nomine ad Studiosam juventutem.

QUoniam incredibili cum dolore nostro audire cogimur, parentes illas & toties à nobis iteratas admonitiones & edictiones, quibus vel saxa & truncimoveri poterant, nihil apud nonnullos valere: Postremam hanc voluntatis nostræ testificationem omnium oculis proponimus.

Testamur

Testamur ergo, si qui deprehensi fuerint, in publicis plateis noctu vel interdiu dare rebus illicitis operam, & nominatim quietem & famam cujusquam conmmeliarum quocunque genere lædere & attentare: Eos nos jam nunc de facto relegationem, & exclusionem cum perpetua infamia commeritos pronunciare.

Caveant ergo sibi boni, ne inter hujusmodi Turbones reperiri se patiantur, qui non sibi tantùm exitium; sed bonis etiam omnibus & nobis inprimis periculum attrahere præsentissimum non desinunt: Imò Satanæ ipsi operam in evertenda hac, quam Christus tandem respiciat! Academia operam navare furenter pergunt.

Qui Coræ, Dathanis, & Abirami barathro absorberi nolunt, ab illorum cœtu longissimè discedent. P. P. XVIII. Januarii, Anno M. DC. XV.

XX.

Exequia Christophori, Dn. Lucæ Beeckmanni I. C. filii.

HEu durus fati tenor! Estne, quod illi Non liceat? exclamat Poëtarum Latinorum,

morum, si Virgilium excipias, maximus, in miserias intuens ut improvisas, sic longè acerbissimas eorum etiam, qui ab omni fortunæ sævientis impetu maximè tuti ac securi esse debere videbantur. Quærit ille scilicet;

Quisnam impacata consanguinitate ligavit
Fortunam Invidiamq; Deus? Nullámne notavit
Illa domum, torvo quam non hæc lumine figat
Protinus, & sæva perturbet gaudia dextra?

Nec sanè ignari parefactæ cœlitus veritatis homines judicare, aliter de inconstantia & fragilitate prosperitatis humanæ posse, quàm idcircò *nulli ferè & magna bona & diuturna contingere*, quia quo majora illa sunt, eò propiora magisq; obnoxia sunt Invidiæ, mediocria fermè intacta relinquenti, & ad summa tendenti.

Non prorsus illi quidem insipienter; ut strictura aliqua lucis inter tenebras densiores emicantis animadvertisse videantur. Eam verò lucem Sacræ nobis literæ præferunt. Sic enim illæ docent: A Deo quidem hominem ad immortalitatem creatum esse, utpote quem sui ipsius naturæ imaginem esse voluerit. Verùm *Invidia diaboli mortem intrasse in mundum.*

Quid enim Jobum, virum integritate, probitate ac pietate incomparabilem, &, quod familiam ducit, ipsius DEI testimonio canto-

Digitized by Google

tanto pere laudatum, non solùm fortunis, quas amplissimas habebat; sed etiam liberis omnibus tam exiguo temporis momento orbavit? An non invidia id fecit Satanæ, ægrè ferentis virum sanctum, ejusque familiam & facultates omnes à Deo, negocia illius fortunante, undiq; circumvallatas? Is est nimirum, qui mortis habere imperium in sacris literis dicitur: Idq; non Dei culpâ, qui *mortem non fecit, neq; viventium interitu delectatur*: sed hominis ipsius vicio, qui cum rectus à Deo factus esset, diabolo inventore, inceptore, perfectore per inobedientiam in peccatum prolapsus fuit. Hoc enim pacto peccatũ in mundum intravit, & per peccatum Mors: Quam peccato ipso tanquam mucrone, ad jugulandas hominum animas instructam, armorum vice adversus humanam naturam tyrannus immanissimus apprehendit.

Sed jure meritoq; de felicitate illa nobis Christiani gratulamur, quòd non tantùm hæc docere nos Deus voluit: Sed victoriam etiam de peccato, morte, diabolo, per Eum nobis largitus est, qui hostem truculentum iis ipsis, quibus ad jugulandum utebatur, armis prorsus divina sapientia ac virtute jugulavit. Itaq; licet bonos etiã præmaturè obire videamus: Tamẽ non

Digitized by Google

non solùm in quiete illos esse fidem habeamus; sed evacuatis mortis caussis, ad vitam beatam atque immortalem aliquando voce FILII DEI resuscitatos, felicem prædicaturos contumeliam, qui finis fuerit gloria.

Hæc & id genus alia Virum clarissimum & consultissimum, Dn. LUCAM BEECKMANNUM Hamburgensem, J. U. D. & Professorem, Serenissimo Saxoniæ Electori à Consiliis Appellationum, & Judicii Provincialis per inferiorem Lusatiam, Regiâ; Synedrii verò Ecclesiastici, & Dicasterii Saxonici, uti & Scabinatus apud nos, Electorali autoritate Assessorem, Collegam nostrum honorandum, cum animo suo nunc cogitare & cupimus & confidimus.

In eum quidem luctum nunc ille, sic volente Deo, conjectus est cum familia honestissima, ut verissimum esse sensu ipso percipiat, quod è Græcis Poëtis quidam dixit:

ἐ γὰ ὀὺ μειζόνως κακώτερον ἄλγος ἐ-
στιν,
ἢ ὅτε παῖδες ὄλωνται ἔαῖ πατρὸς ἀπο-
ὼν.

Haud gravior dolor est mortali in pectore,
quàm si
Ante oculos obeant pignora cum Patris.

Nudius enim tertius, hora II. pomeridiana morte placida extinctum amisit, vel potius præ-

Digitized by Google

præmisit filium è tribus natu minimũ CHRISTOPHORUM, indolis egregiæ puerum, & quem non solùm domestica parentum exempla ad studium virtutis animare; sed eximia etiam majorum decora ad summa quæque excitare & stimulare videbantur, quoties Avum paternum *Joachimum*, Proavum *Lucam Beeckmannos*, ut alios ex eadem familia Senatorii in patria ordinis viros taceamus, non solùm negociatores Hamburgi primarios; sed etiam ut negociatores in ea urbe florerent, adjutores: Avum autem maternum, *Johannem* Grunwaldt, Judicis officio Lipsiæ per multos annos integrè ac laudabiliter functum, ob senectam jam rude donatum; Proavum verò maternum *Blasium* Grunwaldt, trium Electorum Saxoniæ D. D. D. *Johannis Friderici*, *Mauritii*, & *Augusti*, Heroum nunquam satis laudatorum, Medicum fuisse vel audiret, vel recordaretur.

Augebant spem parentum optimorum, quæ in illa ætatula elucebant dotes eximiæ; studium pietatis, precum piarum assiduitas; obedientia erga parentes singularis; ingenium satis felix; caritas qua fratres *Johannem Joachimum & Lucam*, & sororculam unicam, *Annam Elisabetham*, quos incolumes *Christus* Parentibus conservet! tenerrimè complectebatur, prorsus suavis & ardentissima.

Verùm huic parentum honoratorum prosperati nubeculam nunc voluntas æterni & misericordis Dei, cui nos reluctari nefas sit, obduxit. Laboravit enim superioribus mensibus, ut ex Medici relatione cognovimus, affectu ut ætati adultæ satis frequenti; sic in tam tenera minùs frequente, & hypochondriaci morbi appellatione noti: pertinace nimirum venarum, quæ inter ventriculum, epar ac lienem sunt, quas meseraicas vocant, & in primis lienis obstructione. Quibus in locis atri & adusti humores contenti antea, nunc febris, nunc scabiei diuturnæ causa fuerunt.

Nuper verò concitati, ut ex urinæ nigredine conjicere licuit, epilepticos paroxysmos, & deinde febrem aliaque symptomata numero plurima, vi atrocia produxerunt.

Itaque tot ac tantis *nil ars operosa medentum auxiliata malis*: sed illorum violentiâ natura, etiam medicamentis fideliter adjuta, tandem expugnata succubuit.

Interim tamen ipse non tantùm nomine; sed reipsa Χριστοφόρον se ita probavit, ut ex tolerantia, & precum repetitione devotâ, Spiritus sancti præsentia & efficacia manifestè apparuerit, cujus instinctu frequenter in ore habuit tum alias plenas consolationis sententias, ex armario cœlesti depromptas; tum

tum istas nominatim: Wer Gott vertrawet/hat wol gebawet/ Im Himmel vnd auff Erden. Et, Die Rechte Hand des Allmächtigen kan alles ändern.

Talis ergo cùm fuerit, tantam sui spem cùm excitarit; tanto majori parentibus dolori esse filii carissimi obitum præmaturum necesse est. Natus enim die XVI. VIIbris. anno M.DC IV. tantùm hebdomadas XX. dies V. ultra decennium vixit. Vestrum igitur est, cives Academici, in cohonestandis comitatu frequentiore exequiis tum piè defuncti memoriæ honorem cumulatè habitum ire ultimum; tum affectionem animi erga parentes mœstissimos, adeoq; familiã laudatissimam propensi & officiosi promptè declarare. Efferetur autem funus postea hora I. ex ædibus, quas parentes inhabitant, Teuberianis. & præmissa concione funebri, in cœmeterio ædi Mariannæ proximo terræ mandabitur. P.P. X Februarii, anno M.DC.XV.

XXI.

Rectoris & Consilii publici nomine ad studiosam juventutem.

SErenissimus & Potentirsimus Princeps ac Dominus, Dn. JOHANNES

Digitized by Google

GEORGIUS, Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ Montiumque Dux, Sacri Rom. Imperii Archimarschallus & Elector, Landgravius Turingiæ, Marchio Misniæ, Burggravius Magdeburgensis, Comes Marcæ & Ravenspurgi, Dominus in Ravenstein, &c. Dominus noster clementissimus, missis ad nos literis clementissimè scriptis; curam & solicitudinem de hujus Academiæ suæ; & nominatim studiosæ juventutis salute & incolumitate prorsus paternam abundè declaravit.

Inter alia verò nobis clementissimè injunxit, ut appetente jam illo tempore, quo more nimis inveterato majorem quàm alias licentiam sibi permissam multi autumant, officii vestri per Programma, quod singulis annis ita fieri solitum, vos rursus commonefaciamus, deque Serenissimæ Excelsitatis suæ voluntate certiores reddamus.

Etsi ergo persuasum nobis omnino habemus, in omnium animis infixas hærere commonefactiones fidelissimas, quæ tum antea sæpissimè, tum proximis hisce septimanis propositæ à nobis fuerunt: Tamen nunc etiam universos & singulos, qui jurisdictionem nostram agnoscunt, hortamur, ut vitæ morumque sanctitate & integritate, & pacis ac tranquillitatis amore studioque, rectitudinem animi ac voluntatis, suamque erga

Digitized by Google

erga leges scholasticas obedientiam & reverentiam, quam jurati omnes religiosè promiserunt, modis omnibus testatam faciant.

Cogitent secum singuli, quo loco sint à DEO ipso constituti; quam sint illi de administrato munere suo rationem aliquando reddituri. Perpendant cum animo suo, quantum sit hoc beneficium, quòd sub tutela ac Patrocinio Serenissimi Principis, Electoris, ocio nobis literario frui, & doctrinæ ad futuram juxtâ atque præsentem vitam necessariæ & utilis studia tractare & colere licet; idque in hac annonæ caritate undique indies ingravescente, precio satis æquo & tolerabili.

Meminerint ergo cavendum sibi & prospiciendum unicè, ne ad perturbationem legum ac disciplinæ, ad jacturam dignitatis & autoritatis hujus Academiæ, quæ altera singulorum patria est, occasionem præbuisse, aut caussam ullam attulisse accusari conscientiæ propriæ testimonio queant. Hoc nimirum benignâ voluntate & serio studio postulat supremus hujus Academiæ Patronus, & Nutricius munificentissimus, ut quicunque defensione Principali frui ac gaudere cupiunt, æquo animo gubernationem disciplinæ agnoscant; seque modestè subjiciant legibus & statutis, ad conservationem

hujus Scholæ sapienter ordinatis atq; confirmatis. Inter eas verò edictis aliquot Principum cum denunciatione pœnarum gravissimarum & hæc sancita est :

Quicunque seu civium, seu hospitum titulo in hac urbe versantur, tum omni reliquo, tum Bacchanaliorum, quæ vocant, tempore, ab inhonesta & Christianis indignâ personas induendi, vestitu histrionico utendi, per plateas discursitandi, aliorum quietem turbandi, lasciviâ, petulantiâ, audaciaq; penitus abstinento : Si quis contumaciter sive noctu sive interdiu, inermis aut armatus, contrà facere deprehensus fuerit : Is nullo habito ordinis aut conditionis respectu aut discrimine, custodiâ ad supremi magistratus cognitionem attinetor.

Hanc constitutionem ut à multis jam annis in officio Scholasticos continuisse meminimus, adeò quidem, ut querelæ de illius violatoribus aut nullæ, aut ratæ ad nos delatæ fue-

fuerint; Sic futurum omninò confidimus, ut qui studiorum gratia plusculos annos hic vixerunt, nunc etiam illius observantiam retineant, idq; ut faciant, mandamus. Si qui verò illius ignari fortè adhuc sunt; iis severè præcipimus, ut jam nunc probè cognitam sanctè custodiant. Vivimus hic non solùm in oculis Dei, cujus *scientiam ne ea quidē, quæ clàm cogitamus latent:* Verùm etiam in oculis totius universa ferè Europâ hominum, qui non eodem omnes modo adversus hanc Academiam sunt animati. Cavèamus ergo, ne offensam divini numinis gravissimam contrahamus, néve causam ullā fecius de nobis judicandi aut etiam divini nominis contumēliæ afficiendi, cuiquam hominum præbuisse, juste meritoq; arguamur. Dictum etiam nobis putemus, *Regum non tantùm manus longas; sed oculos quoq; & aures esse plures.*

Suadet omnibus Regum sapientissimus, ut *os Regis observent, & divini jurisjurandi rationem habeant. Cum Regis enim edicto conjunctam esse potestatem.* Promittit idem, *Qui præceptum custodiat & exequatur, ei mali nihil esse formidandum.* Si qui verò id neglexerint; iis denunciat, etiam ipsos, quibus confciis loquuntur, parietes, quæ audierint non celaturos; *futurum* inquiens, *ut si quis vel per cogitationem Regi maledixerit, aut in secreto cubiculi sui detraxerit; vocem ipsius aves cœli portent, & rem enunciatam aligera,*

Digitized by Google

Summa hæc est; Ita vitam suam instituant singuli & universi, ne sibi aliisve molestiam temere creando, occasionem Serenissimo Principi præbeant, ita animadverrendi in transgressores, ut eum contumaciâ dissolutorum graviter offendi omnes intelligant; Licèt malit pro singulari in omnes affectione, sibi severitatis nequaquam præberi ullam vel caussam vel occasionem, ut qui propensissimâ voluntate, tanto Heroë dignâ, ita complectatur cœtum scholasticum, ut singulorum commoda, dignitatem ac fortunas provehere & augere, omnibusq; præsidio & ornamento esse, sit paratissimus. P. P. Dominica Sexagesima, anno M. DC. XV.

XXII.

Ad Studiosam juventutem.

CUM turpe sit civem ejus, in qua versatur, civitatis leges & statuta nescire: Longe turpius esse quis dubitet, de cognoscendis illis curam cogitationemque nullam suscipere? Omnium verò turpissimũ severaque animadversione dignissimum quis satius negaverit, probè cognitis immorigerum

Digitized by Google

rigerum se præbere? Sanè qui per ignorantiam peccat eorum, quæ cùm cuperet, cognoscere non potuit; si non prorsus veniam merebitur; mitiùs tamen castigatur. Qui verò scire, cùm possint, nolunt; aut etiam prudentes scientesque peccant: Ii neque excusationem habent, propriæ prædamnati conscientiæ judicio; & pœnas si incurrant meritas, præter se accusare neminem possunt.

Hæc cogitantes majores nostri, sapienter fecerunt, quòd EDICTA PRINCIPALIA non solùm unà cum Academiæ LEGIBUS, omnium usui publico, typis describenda curarunt: sed singulis etiam, qui nomina sua apud Magistratum scholasticum profitentur, tradi hoc fine voluerunt; ut & ipsi eadem subinde iteratis edictis inculcandi labore tædioque liberarentur; & ignorantiæ prætextus universis ac singulis semel adimeretur.

Verùm enimverò nimis verè dixit quidam, ut *malis exactore*; ita *bonis* etiam interdum *admonitore opus* esse. Quare cùm querelæ ad nos deferantur de iis, qui legem illam in perpetuum sancitam, violare perhibētur, qua lege *bombardarum ac tormentorum* cujuscunque generis *gestatio & displosio* tum aliis, tum iis nominatim locis, quæ venationi aucupióve destinata sunt, severissimè, & sub

Pœnæ gravissimæ commination prohibetur: Admonere *jurisdictioni nostræ subjectos* jurisjurandi religiosè sanctèque præstiti denuò, & ex superfluo volumus.

Hujus ergo memores, sanctiones denunciationesque de hac re tum vetustiores, tum recentissimas illas, quæ pag. 101. item 113. & seqq. leguntur, accuratè cognoscant, & diligenter perlustratas studiosè observent.

Satis aliàs molestiarum ac periculorum undique nos circumstat: Nihil opus est iis ultrò cumulandis dolorem Nobis, sibi damna ab nullo, cui salus sua cordi est, attrahi. Quod si quis tamen hanc etiam admonitionem spreverit, & pœnas legibus sancitas incurrerit: Sibi habeto; nobis negocium ne facessito. P. P. Die XV. Februar. Anno M. DC. XV.

XXIII.

Invitatio ad auscultandam dissertationem M. Andreæ Grosbenningi.

HESTERNUS dies in fastis CONCORDIÆ nomine insignitus est, Romano vetere potiùs, quàm recentiore Christiano, ut multa nobis persuadent, institu-

Digitized by Google

tuto. Qui enim martyrum festa conscripserunt, Hippolyto, cujus memoriam Idibus Augusti antiquitus in Ecclesia celebratam, etiam Prudentius testis est, Concordiam virginem adjungunt; Quam illo ipso, quo ad martyrii insigne provectus Hippolytus die, à Valeriano Decii præfecto plumbatis tam diu cæsam, dum spiritum emitteret, & ad latus Hippolyti sepultam memorant.

At verò Concordæ mensis Februarii die *XX.* Romanos litasse autor idoneus est Ovidius. Quo enim loco Charistia describit, convivium illud solenne, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus Concordiæ adhibitis, tolleretur: Illo ergo loco bonos ad consentaneam festo lætitiam cohortatus, inter alia sic ait: *Concordia fertur*

Illa præcipuè mitis adesse die.

Hanc Romanorum festivitatem longè rectiùs imitari Christiani possent, quàm eorundē vel Bacchanalia, turpitudinis nefariæ plenissima, vel Megalensia, in quo festo sub initium veris, Patriciis, Alexandri verbo, moritare, & personas induere licitum erat, & per summam quovis modo ludendi licentiam magistratus etiā supremos habitu sic repræsentare, ὡς μὴ ῥᾳδίως διαγνῶναι τὸν πρόσωπον τὸν μιμούμενον. Bac-

Digitized by Google

Bacchanalia quippe, ut maximorum scelerum causam & seminarium Senatusconsulto perpetuo Romani ipsi inhibuerunt. Megalensia verò periculo non caruisse Commodus ille Incommodus Imp. documento est: qui per simulationem illam à Materno & sociis stipatorum personas inductis obtruncatus fuisset, nisi is à sociis proditus conatûs insani pœnas maturè luisset.

Sed his in præsentiarum ita delibatis, nobis Concordiæ dies aliud in memoriam revocat. Eum enim mors B. LUTHERIANTE annos jam LXIX. ita nobilitavit, ut quicunque beneficia divinitus illius ministerio in universam Ecclesiam, & privatim in hanc Scholam collata verè æstimamus; Concordiæ diem semper acerbum, semper honoratum habere debeamus. Cui rei cùm operam hunc suam commodùm offerat M. ANDREAS GROSHENNINGIUS, de Ecclesiæ statu ac facie, qualis ante Lutherum fuit, verba facturus: Hortamur cives Academicos, ut ad illius orationem auscultandam postea horâ II. finita concione, in auditorio maximo frequentes conveniant. P.P.

XI. Cal. Martias, Anno M. DC. XV.

Invi-

XXIV.

Invitatio ad auscultationem Carminis.

EDIDIT ante B. Lutheri tempora librum Johannes Climacus, quem SCALAM PARADISI appellavit. In ejus gradu quinto historiam narrat de rigore & austeritate mirabili quorundam pœnitentium in quodam monasterio; gestus, habitus, studia & verba singulorum ac voluntarias pœnas, tanquam testis oculatus ita referens, ut lapides quoque ipsos ad compunctionis sensum emollire illos potuisse affirmet. Ipsam loci, ubi habitarunt, faciem describens, totam tenebrosam, informem, fœtidam, sordidam, squallidam ait fuisse, & perfectæ pœnitentiæ ac luctus magistram.

Cerneres, inquit, ærumnis affectos homines, totis diebus mœstos incedere & exputrefactis corporis partibus fœtorem exhalare: genua illis ex perpetuo orationis usu occalluisse: Oculos defectos ac defatigatos intrò profundè recessisse. Genæ ardentium fervore lacrymarum adustæ videbantur; facies marcescentes ac pallidæ squallebant, nihilque

Digitized by Google

hilque à mortuis in comparatione differebant.

Nihil apud ipsos audivisses, nisi hæc verba: *Væ, væ! me miserum! me miserum! justè, justè! parce, parce Domine! Ignosce, ignosce Domine, Si POSSIBILE* est. Nonnullos ita se mutuò compellare: Quid, putatis, continget? Quænam erit JUDICIS sententia? Quis finis noster? Num superest ulla spes veniæ mœstis? humilibus? reis? Num meritò repudiata est oratio nostra, abjecta atque confusa? emissa quippe ex immundis corporibus & labiis, parum virium habere potuit. Puras, omnino reconciliavit JUDICEM, an ex parte? An vulnerum vel medietas delera est? Quippe maxima cùm sint, plurimis & laboribus & sudoribus, & doloribus indigent. Puras, appropinquaverunt nobis ANGELI custodes nostri? an adhuc longiùs à nobis stant? NISI enim illi appropient nobis, inutiles & infructuosus est omnis labor noster.

Cùm verò extrema illorum hora advenisset, terribile omnino, inquit, miserandumque spectaculum cerneres, cùm in agone constitutam & efflantem animam, ipsi siti æstuantes, lugentes ac desiderio pleni interrogarent: Quid est, frater? quid dicis? quid speras? quid suspicaris? Die nobis, oramus, ut & nos scire possimus, quidnam illic nos manc-

maneat. Tuum quippe tempus jam clausum est; aliud de cætero IN ÆTERNUM non invenies. Ibi verò alios aliter; plerosque ita respondisse, ut considerare illos appareat, quàm sit pavendum illud terribile incertumque judicium. Itaq; illis auditis & visis, parum abfuisse, quin desperatione ipse absorberetur.

Hæc de longiore narratione excerpta reperire nunc placuit, partim ut gustum daremus miseriæ illius ineffabilis, quam ante B. LUTHERI tempora majores nostri fuerunt experti; qui de CHRISTO Servatore vel nihil, vel hoc unum audiverunt, coram incorrupto JUDICIS tribunali se sistendos esse: partim verò ut felicitatem illam in memoriam vobis revocaremus, qua post accensam rursus Evangelii lucem ita fruimur, ut *peccata deleri non posse credamus, nisi ab eo, cui soli peccavimus, & in quem peccatum non cadit, per quem solum nobis peccata condonantur.*

Cùm ergo de adhinc octavo commilitonem vestrum de misero Ecclesiæ statu, qui ante B. Lutheri tempora fuit, perorantem audieritis: Age, hodie post finitam concionem sacram, hora II. lætius argumentum carmine heroico tractatum ex ore MARCI KRÜGERI Iglavienſis Moravi audituri, frequentiores in auditorio maximo Collegii Friderici convenite.

Dicta-

Dicturus enim est de Capite doctrinæ B. Luthero illustratæ præcipuo, de Remissione scilicet peccatorum per fidem solam in CHRISTUM consequenda. P.P. IV. Cal. Martias, anno M.DC.XV.

XXV.

Invitatio ad audiendam dissertationem Iohannis Closii Vratislaviensis.

APUD Thucydidem Cleon orator illa tempestate apud plebem gratiosus, Athenienses increpat, quòd & facillimè se decipi orationis novitate patiantur, nec quæ decreta ac probata sunt, facilè exequantur, ἄθλοι ὄντες τῶν ἀεὶ ἀτόπων, ὕστερον δὲ τῶν εἰωθότων. Ejusdem vicii D. Lucas post annos prope D. arguit illius urbis incolas; Athenienses omnes inquiens, & qui illic versabantur hospites, ad nihil aliud idoneos, quàm ut novi aliquid vel dicerent, vel audirent.

Optandum autem esset, de sola illa urbe hæc affirmari posse, quæ sicut domicilium fuit sapientiæ, & litterarum ac disciplinarum

Digitized by Google

narum omnium quasi fons, & totius propè terrarum orbis lumen quòddam; sic ante Pauli Apostoli adventum veritatis cœlestis noticiâ prorsus caruit.

Verùm enimverò cùm alijs in rebus, tùm in ijs, quæ ad religionem pertinent, nimis verum esse experimur, quod quidam dixêre, τὸ φιλόκαινον φύσει πᾶσιν ἀνθρώποις ὑπάρχει, καὶ τὸ ἀψίκορον, *Naturâ mens hominis vaga & curiosa, quietis impatiens, & novitate rerum lætissima.* Cùm autem illud vicium in rebus profanis rectè vituperetur, & probandum meritò sit Baptistæ Mantuani effatum;

Cura viris levibus rerum solet esse novarum:

Longè illud magis vituperandum est, cùm adhibetur ijs rebus, quæ naturâ suâ omnem disquisitionem respuunt, & quas credere reverentius est, quàm scire; aut fine illegitimo, ut desideria inquieti animi satientur, non ut per cognitionem rerum evadant meliores. *Nunquam* enim *desunt levia ingenia, quæ novitate rerum & futilibus inventis permoventur.*

Hanc ergo hominum pravitatem cùm intelligerent Apostoli; toties à vanitate illa & curiositate, atq; cupiditate rerum novarum auditores suos avocarunt. Inde Petrus in sermonem Propheticum intentos nos esse

jubet, tanquàm in lucentem in loco obscuro lucernam. Et Paulus Timotheo suo præcipit, ut in ijs persistat ac perseveret, quæ didicerit, quæque ipsi concredita sint; ut qui sciat, à quo didicerit, & à puero sacras literas noverit.

Magnopere quippe prodest, & formatorem nancisci idoneum, & assuefieri doctrinæ generi à teneris. Nam παιδομαθεῖας diu discunt, & res easdem sæpe repetitas firmiùs apprehendunt. Itaque cùm altiùs in animo radices egit pietatis scientia, non facilè evelli potest.

Quamvis ergo id hodie evenire videamus, quod Apostolus futurum prædixit, ut, quemadmodum ante exortam Evangelij lucem Monachi ab una secta ad aliam ierant translerunt, tanquam ad perfectiorem, quietem se conscientiæ inventuros, sed frustra, sperantes: Ita nunc sanam doctrinam non ferant homines; sed ad suas libidines sibi magistros cumulent, auribusq; prurientibus, & à vero averſis, ad fabulas se convertant: Nos tamen in dubitationibus, quibus destituta verbo Dei mens naturaliter conflictatur, memores præcepti Apostolici, *non simus semper pueri, qui omni doctrinæ vento fluctuemus atq; circumferamur. Qui jam Christiani facti, fundati esse debent; Quia ambiguitas in fide nostra non est.* In

In hanc verò sententiam cùm plura posteà dicturus sit JOHANNES CROSIUS Uratislaviensis, & ostenturus, non esse convenens aut necessarium, ut in adversariorum gratiam, relictis antiquis, novæ quæran[tur] religionis probationes: Hortamur cives Academicos, ut horâ II. finitra concione, in auditorio Collegij Friderici maximo, ad auscultandam orationem illam frequentes conveniant. P. P. Dominica Reminiscere, anno M. DC. XV.

XXVI.

Exequiæ virginis lectissimæ, Catharinæ filiæ Dn. Andreæ Rauchbar/ *J.C. &c.*

BENEDICTUM PAULUM, Virum Clarissimum & juris utriusq; Doctorem, mensis Aprilis die IIII. anno Climacterico sexagesimo tertio currente, ante annos jam ipsos LXIII. piè placideq; mortuum, hoc Elogio majores nostri ornârunt, *quòd sapientiâ & virtute excellens vera pietate Deum coluerit, & huic suæ patriæ & Ecclesiæ magnâ assiduitate, summâq; fide in maximarum rerum deliberationibus & judicijs servierit.* Nam & Professoris publici, & Assessoris in judicio Ecclesiastico, & Con-

Digitized by Google

sulis munere egregiè functum accepimus.

Nominatim verò hoc illi testimonium religiosè tribuerunt, quòd in extremo agone indubitatam vitæ æternæ spem singulari animi præsentiâ & tranquillitate declarârit; cùm quidem repetitâ aliquoties confessione, adderet ad recitationem Symboli disertam suam asseverationem, se scire has Ecclesias veré esse Ecclesiam Dei, & consensum earum se amplecti, & se in pectore suo sentire veram consolationem & testimonia Spiritus Sancti, quibus statueret, se veré propter Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, gratis habere remissionem peccatorum, & reconciliationem cum Deo, & se hæredem esse vitæ æternæ: Et palàm se improbare, omnium sectarum furores, quæ discentiunt à symbolis & ab hac confessione harum Ecclesiarum.

Cumq; crebrò gratias egisset Deo, quòd Christi agnitione donatus esset; præcepit natis, ut in hac ipsa doctrinâ, ad quam ab ipso instituti essent, & quam modò profiteretur, Deum perpetuò invocarent, nec ab eo avelli se nunquam sinerent: His deniq; sermonibus preces miscuit ardentissimas pro totâ Ecclesiâ, liberis dulcissimis, & hac sua patriâ, cum

cum lacrymis orans, ut Filius DEI perpetuò colligat in his regionibus Ecclesiam, nec sinat fieri Ethnicam barbariem.

Hæc & id genus alia, cùm majores nostri, tum ut memoriam virtutum ac laborum viri illius posteris traderent, tum ut exemplo confessionis & invocationis in agone, in se ipsis quoq; pietatem studiumq; doctrinæ cœlestis accenderent, in publicâ luce extare voluerint; Digna omninò judicamus, quæ hoc loco & tempore ob caussam utramq; repetantur. *Nam & merentes laudare justitiæ est; & ad migrationem ex hac vita beatam maturè se præparare, sapientiæ.*

Ac profectò nisi ingratissimi adversus DEUM haberi volumus, & adversus posteritatem impij; quoties hujus Academiæ nostræ historiam, cujus bona pars Programmatum voluminibus comprehenditur, intuemur; & efficaciam fructumq; agnoscere ac prædicare debemus precum piarum, inter quas tot animulæ sanctæ ac beatæ ex hac schola in cœlestem illam placidè emigrarunt; & ita nos comparare, ut laudatis majorum vestigijs insistentes, tam sancti depositi custodiam nobis unicè commendatam nos habere, modis omnibus probemus.

Hoc verò ut tanto majore studio curàq; faciamus, etiam contemplatio nos hortari

Digitized by Google

& impellere debet temporum, in quæ nos DEUS reservavit, conditio longè periculosior, quàm multi credunt. Etenim si unquam usurpari illud Regum, quos historiæ celebrant, sapientissimi pronunciatum rectè potuit: *Melior est dies mortis die nativitatis*: Ea nunc impendere videntur, quocunque nos convertamus, tempora, ut præclarius cum illi agi negare nemo sanus possit, qui de seculo exeuntes, miserijs & calamitatibo, incertoq; vitæ statu carent; quàm qui ad sustinenda ista omnia mundum ingrediuntur: Quæ ipsa cogitatio, non dubitamus, quin maximam vim habeat ad minuendum dolorem, quem ex præmaturo obitu virginis lectissimæ, CATHARINÆ Rauchbarin familia splendidissima percepit inspera-tum.

Die enim ab hinc septimo, horâ vespertinâ quasi octavâ, ex hac mortali vitâ placide evocata illa fuit, morbillis, morbo hac tempestate hic epidemio correpta, quibus evanescentibus, febris maligna relicta fuit. Etsi autem neq; medicorum consilia defuerunt, & ætatis vigor virorúq; spem facere potuerit morbi depellendi & sanitatis recuperandæ: Nata enim fuit Dresdæ horis ferè XII noctis, quæ CHRISTI Natalem secuta est, ineunte anno M. D. XIC. Matris suæ

EUPHRO-

EUPHROSYNÆ TEUBERIANÆ inter IV pueros puellasq; VI. quarta soboles. Tamen aliter DEO visum fuit, quo reverti homines jubente, *nihil prodest*, ut D. Hieronymi verba repetamus, *ora concludere & vitam retinere fugientem. Non enim est in potestate nostra, anima ne auferatur, & egredientem ad imperium Domini spiritum retinere.* Itaque febris, quam dicebamus, relictâ pertinacibus vigiliis, adsque gravibus symptomatis cùm vires prostravisset; tandem in agnitione & invocatione Filij DEI vitam eo, quo exposuimus, tempore finivit.

Quod unum ergo reliquum est, Cives Academici, id familiæ nobilissimæ honori cumulatè præstemus. Ita enim de hac Schola meriti fuerunt CATHARINÆ piè defunctæ Proavus D. BENEDICTUS PAULUS; Avus maternus, Dn. MICHAEL TEUBERUS, J. U. D. & Professor per annos sanè multos longè celeberrimus, & trium Electorum Saxoniæ Consiliarius: & Pater Dn. ANDREAS RAUCHBAR in Hemsendorff, JC. ex Professore Juris publico, Consiliarius primùm, postmodum & Vicecancellarius Electoralis Saxonicus VII. bris die XII. Anno M. DC. II. ætatis XLIII. mortuus. Ita hodiè etiam meretur de tota hac civitate,

Digitized by Google

& privatim de ordine nostro Vir amplissimus & prudentissimus, Dn. JOHANNES PAULUS, Consul; virginis defunctæ Avunculus magnus; Ut quamvis prolixè omnia faciamus, quæ ad honestandas exequias hasce Christiani & studiis optimis dediti homines præstare possunt: Vix tamen satis officio nostro, aut cum meritis tantorum virorum paria facere posse videamur.

Ite ergo, ite frequentes exequias flori hujus virginum, & vobiscum hoc Regis sapientissimi dictum, verbis D. Hieronymi exposita cogitate; *Utilius est ad exequias funeris, quam ad domum ire convivii: Quia ibi recordatione conditionis nostræ & fragilitatis humanæ ex præsenti cadavere commonemur: In convivii autem lætitiâ, etiamsi quid timoris habere videbamur, amittimus.*

Efferetur autem funus postea hora Lex ædibus avitis, quas nunc Vir Cl. & Consultissimus, Dn. LUCAS BECKMANNUS, J. U. D. & Professor P. &c. inhabitat, & post concionem funebrem in æde Mariana habitam, intra opidum ad monumenti aviti latus humabitur. P. P. IV. Calend. Aprilis. ANNO M. DC. XV.

Invi-

XXVII.

Invitatio ad auscultanda parentalia V. C. Friderici Taubmanni.

QUanto Academiæ nostræ, adeoq; toti Germaniæ, domi forisq; decori & ornamento fuerit FRIDERICUS TAUBMANNUS, Musarum ille & Gratiarum Mystagogus, dum vixit, indefessus, & longè omnium celeberrimus; vel nobis tacentibus, ad omnem posteritatem humanitatis doctrinæq; eruditæ studiosam, testabuntur monimenta, quæ in hoc genere reliquit, ingenij ad miraculum festivi ac vegeti.

Quo majus ergo rei literariæ, & nostræ privatim Scholæ damnum attulit ante biennium præmaturus tanti viri ex hoc Athenæo excessus; & in cœlestem Academiam emigratio ipsi quidem beatissima; nobis verò luctuosa: Hoc rem nobis gratiorem faciunt studiosi optimarum artium juvenes, qui tum doloris publici testandi potius, quàm mitigandi gratiâ; tum animi erga Præceptorem optimè de se meritum memoris ac grati declarandi studio, præconijs laudes pie beateq; defuncti debitis prosequuntur.

TAUBMANNUM omnia secula loquentur, & admirabile exemplum tenaci memoriæ traditum, in ipsa astra sublimem penata vectus feret.

Veruntamen quoniam honorare est interdum, quàm honorari gloriosius: Vehementer nobis probatur, omniumq; rectè de studijs judicantium benevolentiam meretur studium & industria juvenis honesti atque eruditi M. JOHANNIS CORBERI Ufershemio-Franci. Is enim popularis, & omnium popularium suorum Promotoris & Fautoris unicè dilecti manibus beatis honorem habiturus anniversarium, carmen ipsius honori consecravit Heroicum. Id nobis cùm haud indignum visum esset recitatione publica; tanto proniùs optatis ipsius annuimus, quanto æquius videbatur, ad hoc officii genus Collegæ heu quondam desideratissimo præstandum ultrò invitari à Nobis Musarum alumnos.

Vestrum igitur erit, Cives Academici, quàm chara vobis TAUBMANNI memoria sit, cumulatè testari ac declarare, & ad auscultandum commilitonem postea horâ 11. finita concione sacra, in auditorio Maximo FRIDERICI frequentes adesse. Quod si prolixè feceritis; rem præstabitis ordine vestro dignissimam; manibus defunctis

Digitized by Google

functi honorificam, & voluntati nostræ, quam pluribus ostendere, ne de promptitudine & alacritate vestra dubitare videamur, supersedemus, consentaneam. P.P. IV. Non: Aprileis, Anno M. DC. XV.

XXIIX.

Ad Studiosam juventutem.

Qualis, ubi expulsis tenebris, atrâq; fugatâ
Umbriferæ noctis nebulâ, caput exserit Indo
Flumine, Sol roseum, & radiantia tela diei,
Luciferis invectus equis per cærula tendens,
Projicit in terras latè lateq; ja entes:
Sic Hodie CHRISTUS domibus squalentis Averni,
Tartareâ evictâ pice, Cerbereoq; latratu
Tergemino, dias redit (ecce!) in luminis oras:
Ingentesq; humeros spoliis oneratus opimis
Victor ovat, mortis rabiem & Phlegethonta triumfans.

Si qua dies, quotquot magni spaciator Olympi,
Volvit inexhausto bissex per sidera motu,
Felicis signanda notâ meliore lapilli;
Hæc erit, hæc signanda dies. Si qua ulla meretur
Liquidiore animi facie, si mente serenâ
Detersis nebulis curarum, & squale malignâ
Pallentis luctûs, ac tristi nube dolorum,

Latiß.

Digitized by Google

Lætificè, ingq; rosæ peragi vernantis honore;
Ista dies, lux ista meret: date lilia plenis
Christiadæ manibus; date dædala carmina, & omnes
Latitiæ numeros, & festo jubila plausu.
Non manus Iliadū jacet atro pulvere tracta,
Hæmoniis hîc Hector equis; non Punica victa est
Vafrities, Scythicis non gens metuenda sagittis:
Hostis vincla subit major, seu robora cernas,
Sive artes varias; nec Troica Pergama propter,
Et tædas Helenæ, aut arcem infelicis Elissæ
Certatum; sed terrigenum vitamq; salutemq;
Atque illam æternam. Satanam devicit IESVS,
Et miseris iterum nobis mortalibus omnem,
Morte resurgendo, cœlorum restituit rem.
I nunc, atque tuis homines terreto tenebris,
I, vanò percelle metu, dirumq; minare
Cerberedq;, & Furiæ tristes, & lucis egene
Tartare, sulphureos eructans faucibus ignes.
Non, ubi decidimus nobis nunc perpetuò una
Nox dormienda, nec horrifici ferrata Acheruntis
Æternum nos sceptra prement; sed vindice CHRISTO
Sæcla olim venient, cùm jam calor ossa revisset
Pristinus, atque alti repetent collegia sensus,
Christiadum & toto surget gens aurea mundo.
Quà cœlum astrigerum, quà terra frugifera-rentis
Experrecta jacet septem inter sidera moles,

Quà

Quà patet Oceanus, cui flumina cana sonoris
Cincta fretis reboant, errantq; in cribibo amnes,
Dicite jò Paan! & jò bis dicite Paan!
Nemoraq; ra colat, durivè incurvus aratri
Vomere proscindat terras: non vinea rastris
Purgetur bifidis; non falx Saturnia dente
Serrato attenuet frondatorum arboris umbram:
Quisq; DEO SACRIS q; vacàs operetur, & omni
Impuro castus scelere, & labe integer atrâ,
Jam BONA votivo defundat pectore VERBA.
Quæ sed ego creperi Martis simulacra cieri,
Quas madidi Neßi pugnas, quæ caca duella
Andabatûm incertis ferientia flictibus auras,
Cernere, quæ horrisono jam præcipitata boatu
Murmura, Baccheosq; imitantia verba furores
Per, videor, plateas audire & compita longa?
Annè ego, vi volucris genii vectante, velipse
Mox plumarum ope succretâ delatus in altæ
Nescius aut Rhodopes juga, Thebanósve recessus?
Méne tenes multo clamore ululate Cytharon?
Arcadiæ an pecudes auritaq; sæcla, velinter
Mugitus, Clitumne, tuos, & pascua versor?
Quidquid erit, mendax centum jam Gracia voces
Stentoris Argolici jactare, & guttur æenum
Desinat, ac nostræ laudis præcidere florem.
Odrysas fama est, (nec enim gens savior umquam
Threicios habitavit agros, Istriq; fluenta)

Cum

Cum populis quoties non sit certare propinquis,
Sive peregrinum defendere mœnibus hostem,
Vina inter cyathos & simul turbata furoris
Æstibus, & nimio iam mens percussa Lyæo,
Nostrorum in jugulos, cognatáq; pectora ferro
Præcipiti sævire truces, ac sanguine mensas
Spargere, & insontes calices maculare cruore.
Nos etiam hos animos, & barbara corda? furores
Hos etiam induimus rigidi, prò sæcula! mores!
Ingg artus proprios, & viscera nostra tremendis
Heu! ferimur gladijs, & cæcum stringimus ensem!
Parcite, & in melius eandem convertite mentes,
Parcite: nec furor hic sacra nostra & gaudia turbans
Leucorin incestet: sint ora favendia sacris,
Sint animi, & nullo sulcantes sanguine mentes.
Quid miserem ad citharam Phœbi mucrone feroce
Falx Gradivicolæ spicata Daretis, & horrens
Cristatæ contus galeæ cum virgine lauru
Musarum? placidis turbatæ? infesta quietis?
Bella alij cædesq; velint. & prælia; Musis
Otia, & intactis decurrant sanguine soles.
Casta nec Aonidum templa, innocuosq; recessus,
Trossulus, atque hominum raptator perfidus Harpax
Impiet, aut sacro spoliet malus instrumento.

Quo-

Quisquis es, huc, huc flecte oculos, CHRISTI labores
Pellege, totq; age discе cruces, tot pipula discе.
Enlenis toties obeuntem mortibus, ut te
Liberet aeternæ necis & cruciatum Averni.
Ecce! ipsum clausi rescindere vincla sepulchri
Saxea & ethereas victorem exsurgere in auras;
Te quoq; uti rapiat supra astra nitentia tandem,
Et superum scribat civem felicis Olympi.
Nec flecte huc oculos tantùm, sed & intima mentis,
Et non omnia, pertusum congesta quasi in vas
Munera, perfluere ista sine, atq; ingrata perire.
Purga animi mores, & dignum te quoq; CHRISTO
Finge tuo: scelus omne, atq; omnis culpa, reatus
Omnis fac, tecum moriatur, & inde resurgas
Indutus facies aliàs atque altera corda,
Candidus, & pulchram spirans de pectore lucem.
Quisq; DEI vas est: at vas generosa prius quam
Massica, & indomiti compotet pocla Falerni,
Sedula cura atq; ingenua eros lustrat aquâi:
Tu CHRISTUM capias cœno tàm collitus alto,
Peccati & vapidâ obsessus fœtentis amurcâ?
Sit vasis tibi cura tui, quod es ipse sit aquè
Cura MINISTERII, cui vasis credita cura est.
Qui tibi sectilibus compingit dolia lignis,

Aere

Aere tuo vitam tenet; & non ille teneret, Effigiat qui vasa tui te in aurea CHRISTI!

P. P. ipso PASCHATIS Festo, Anni Christiani cIↃ.IↃc.XV.

A. P. D.

XXIX.

Exequiæ Erhardi Eccii Suinfurtensis Franci.

REvolvuntur hyemes & æstates; & verna & autumna, cum suis viribus, moribus, fructibus. Quippe etiam terræ de cœlo disciplina est, arbores vestire post spolia; flores denuò colorare, herbas rursus imponere; Exhibere eadem, quæ absumpta sint, semina; nec prius exhibere, quàm absumpta. Mira ratio! de fraudatrice servatrix; ut reddat, intercipit; ut custodiat, perdit; ut integret, viciat; ut etiam ampliet, prius decoquit: Siquidem uberiora & cultiora restituit, quàm exterminavit. Revera fœnore interitu; & injuria usura; & lucro damno, semel dixerim, universa conditio recidiva est. Quodcunq; convenieris, fuit; quodcunq; amiseris, nihil non iterum est.

Omnia in statum redeunt, cùm abscesserint; omnia incipiunt, cùm desierint, Imò finiuntur, ut fiant. Nihil deperit, nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum testatio est Re-

surre-

surrectionis mortuorum. *Operibus eam præscripsit DEUS antè, quàm literis; viribus prædicavit antè, quàm vocibus. Præmisit TIBI Naturam magistram, submissurus & Prophetiam, quò facilius credas Prophetiæ, discipulus Naturæ: quò statim admittas, cùm audieris, quod ubique jam videris; nec dubites DEUM carnis etiam resuscitatorem, quem omnium operis restitutorem*, scribit gravissimè Tertullianus, ut exemplo omnibus notissimo doceat, *Dei virtute mortuum posse resurgere, meliorat â tantùm substantiâ*, ut Ambrosius loquitur, *non numero multiplicatum.*

Ideò verò jucundior nobis esse debet ista Scriptoris inter Ecclesiæ Doctores Latinos ut antiquissimi, sic eruditissimi & acutissimi oratio; quoniam & argumento convenit cum doctrinæ Christianæ capite, quod tum ferijs Paschalibus explicatum in concionibus publicis fuit, tum proximè sequentibus aliquot septimanis ex instituto majorum repetetur: & ad contemplationem renascentis quasi post hyemem exactam naturæ, oculos animosque nostros exuscitat: & in luctu, quem insperatum nobis Studiosi juvenis mors attulit, consolationem subministrat singularem.

Heri enim ante nonam matutinam in vera agnitione, & ardenti invocatione Filij

Digitized by Google

DEI, Domini nostri IESU CHRISTI, vitam in his terris suam placidè finiyit ERHARDUS ECCIUS SVINFURTENSIS FRANCUS, de quo ista ex popularibus aliisq; testibus fide dignis hoc loco exponenda cognovimus.

Patrem habuit virum honestum & eruditum, JOHANNEM ECCIUM Scholæ, Patriæ collegam industrium & fidelem; Matrem verò fœminam item honestissimam BARBARAM Kellerin. Ex his parentibus anno seculi superioris nonagesimo natus, & per lavacrum regenerationis Ecclesiæ ritu Christiano insertus, mox à prima infantiâ piè sanctèque fuit educatus.

Etsi autem parentum optimorum obitus præmaturus remoram studijs, sub disciplina patris feliciter inchoatis, fecit; tamen cùm *Deus pupillorum pater* fautores & patronos ipsi benignos conciliasset; illis in Schola patria urgendis & continuandis subsidia necessaria non defuerunt. Cùm ergo progressus in linguarum & artium liberalium cognitione fecisset ejusmodi, ut cum fructu in Academiis versari posse videretur: Suorum obsecutus consilio & voluntati, huc sese tanquam ad emporium omnis eruditæ doctrinæ contulit, in album Studiosorum receptus die XX. mensis Octobris, Anno M. DC. XII. Ab

Ab eo tempore tũ Philosophiæ partes plerasque diligenter pertractavit, tum sacrosanctæ Theologiæ, cui totum se addixerat, operam dedit sedulam. Nam & in lectionibus ac disputationibus adeundis officium probi & industrij juvenis fecit; & in concionibus sacris religiosè auscultandis hominem Christianum se præstitit; & frequente devotaque Cœnæ Dominicæ usurpatione, fidem pietatemque suam declarare & animare studuit.

In primis verò cùm ante hebdomadas octo in febrim incidisset periculosam; nihil prius habuit, quàm ut ab accersito ad se ministro Ecclesiæ, post seriam peccatorum confessionem, viatico illo supremo, ad beatam, quam avidè expetebat, emigrationem instrueretur: illud Paulinum subinde repetens; *Cupio dissolvi, & esse cum CHRISTO.* Sed pristinæ tunc sanitati restitutus, cùm per hebdomadas quasi tres satis commodè valuisse visus esset: Mensis hujus die VII. redeunti febri resistere diutius non potuit. Atque ita post exhaustos pauculorum dierum dolores, animulam suam Deo, inter preces pias reddidit.

Exuviæ corporis, quod templum fuit Spiritus S. terræ omnium matri reddendæ, postea hora IV. ex ædibus *Martini Blumij*

Digitized by Google

in Cœmeterium ſuburbanum efferentur. Veſtrum eſt, Cives Academici, exequias huic commilitoni veſtro frequentes ire, & apoſtolicum illud vobiscum cogitare: Σπείρεται ἐν φθορᾷ, ἐγείρεται ἐν ἀφθαρσία. σπείρεται ἐν ἀτιμία, ἐγείρεται ἐν δόξῃ. σπείρεται ἐν ἀσθενείᾳ, ἐγείρεται ἐν δυνάμει. P. P. XIIX. Cal. Majas Anno M. DC. XV.

XXX.

Invitatio ad auſcultandum Carmen Caſpari Devitij Pomerani.

QUemadmodum qui gladijs ludunt, non utuntur quidem in ipſa luſione artificio proprio ſaltationis; ſed declarat tamen ipſe motus, neſciat ne aliquis ſaltandi artem, an teneat: Sic in oratione, quamvis locum verſus non habeant; facilè tamen apparet ex ipſa verborum lectiſſimorum colligatione & collocatione, ſitne aliquis Poeticæ gnarus an rudis. Rurſum verò in ipſo carmine, qui nulla alia doctrinæ utatur varietate, facilè indicat, ſitne tantùm in numeris ac pedum moderatione verſatus; an ijs artibus, quæ libero ſunt homine dignæ, perpolitus ad ſcribendum acceſſerit.

Quam-

Digitized by Google

Quamvis autem non cujusvis sit Poësin diligentiùs excolere; cùm Poëtam naturâ ipsa valere, & quasi cœlesti quodam mentis instinctu excitari eruditorum consensu constet: Tamen vel una hæc utilitas allicere ad amorem illius singulos debebat. Verissimè enim dixit, qui Poëticam omnium disciplinarum Oceanum appellavit, quò illæ omnes sic confluunt, ut inde ortum habuerunt; unde fieri videmus, ut quodcunque, à quoq; Poëtæ perceperint, id longè aptiùs tractent, longeq; luculentiùs, quàm ille ipse, à quo perceperant.

Quo pauciores autem sunt, qui ita sint in Poëticam affecti, & Musarum studijs capiantur; quo plures reperiuntur, qui Platoni suis eam decretis è civitate ejicienti applaudant: Eò digniores bonorum omnium favore sunt habendi, qui Aristoteli ab exilio velut eam reducenti, atque in pristinam dignitatem restituenti sese adjungunt. Major profectò res hæc est & fructuosior, quàm vulgus intelligit, neque Poëta poëtarum lectione; sed Philosophorum libris volvendis absolutam eruditionem adipiscitur.

Quæ cùm ita sint, ut conatibus eorum propensi favemus, qui profectuum suorum specimina oratione soluta publicè volunt edere: Sic eorum votis desiderijsq; longè etiam libentiùs locum dare solemus, & satisfacere

Digitized by Google

cupimus, qui constricta numeris pedibusq; oratione ingenij sui vires periclitantur.

Inter eos verò cùm jam professus nomen suum sit CASPARUS DEVITIUS Pasewalcensis Pomeranus; potestatem ipsi fecimus carmen Heroicum, quod de Noticia Dei naturali non insita, sed acquisita, elaboravit, publicè in auditorio maximo postea hora II. finita concione, recitandi. Ad ejus ergo auscultationem ut Cives Academicos vel sine cohortatione nostra frequentes confidimus accessuros; Sic Poëticæ studium ijsdem majorem in modum cõmendamus. P.P. Dominicâ QUASI MODÒ GENITI. An. M.DC.XV.

XXXI.

Rectoris & Consilij publici nomine Citatio.

QUoniam contra datam fidem, post toties adhibitas & repetitas admonitiones, arrestum violasti, & spreto interdicto, ne extra habitationem tuam, nedum extra opidum pedem moveres, hinc discessisti G.F. & causam tuam non optimâ pejorem ultrò facere voluisti; Poteramus jure nostro uti, & exẽplũ in te edere factis tuis dignum.

Verum ut magis nobis, quàm tibi ipsi, salutem & existimationem tuam cordi esse constet

conſtet, univerſis; ad ſtatum decretorium hoc quidem tempore accedere noluimus. Nominamus ergo diem SEXTAM Maji, Teq; peremptoriè citamus, ut ad eam diem te in Conſiſtorio noſtro ſiſtas, diſcęſſus tui cauſſam redditurus, & Senatus Academici ſententiam auditurus. Quòd ſi ad diem dictam comparere neglexeris; futurum jam nunc denunciamus, ut nihilominus in contumacem ſententia feratur. P.P. XVI. die April. anno M. DC. XV.

XXXII.

Rectoris & Conſilij publici nomine ad Studioſam juventutem.

NOtiſſimæ ex frequenti lectione univerſis & ſingulis Academiæ hujus civibus eſſe debent ſanctiones Legum Scholaſticarum, quibus Provocationes & Digladiationes ab ordine noſtro alieniſſimæ ſeverè prohibentur. Eas verò cùm inviolatas ſervari non ſolùm quietis & tranquillitatis publicæ intereſſit; Verùm etiam edicta Principalia, jubeant, & non ita pridem Sereniſſimus Princeps Elector, &c. Dominus noſter clementiſſimus, earundem obſervationem ſeriò nobis injunxerit: Potuiſſemus quidem, imò debuiſſemus in earũ violatores animadvertere ſeveriùs.

Digitized by Google

Verùm quia paternus in universos & singulos animus atque affectus declarandus in nonnullos, neq; id contra voluntatem summi etiam Magistratus clementissimam fuit, ex qua tentanda omnia prius, quàm adolescentiæ, per ætatem minùs prudenti, sancitæ legibus pœnæ irrogentur. Mitiores hactenus fuimus, futurum omninò sperantes, ut lenitate nostra magno suo bono rectè omnes uterentur.

Quoniam verò contrà fieri experimur, & vereri cogimur, ne pernicioſa inde & intolerabilis ſequatur diſciplinæ laxatio: Notum facimus univerſis jurisdictioni noſtræ ſubjectis;

Si Qui deinceps alios provocaverint, aut cum provocantibus ad digladiationem progreſſi fuerint; in eos ex præſcripto legis inter eas, quæ DE MORIBUS *latæ ſunt,* QUARTÆ, *& ab* AUGUSTO *Electore, verè Auguſto, ſingulari diplomate, cujus exemplar pag. 64. expreſſum, in omnium manibus verſatur, confirmatæ, ſine ullo cujus-*

jusquam respectu nos animadversuros. P. P. die XIX. Aprilis: Anno M. DC. XV.

XXXIII.

Exequiæ Magdalenæ, filiolæ Viri Cl. Michaelis Ledereri J. U. D.

OPpianum, cujus carminum testimonijs, summa cum autoris laude, eruditissimi quique tam veteres, quàm recentiores usi sunt, quibus passim ornârit encomiis Jul. Cæsar Scaliger, nemo ignorare potest, qui sit in legendis hujus scriptis versatus paulò diligentiùs. Præter cætera verò hæc eminent elogia, quòd ipsum quidem nunc Musarum aluminum prudentissimum, candidissimum, magniloquentissimum appellat; nunc Poëtis Ethicis, Naturalibus, Theologis annumerat: Versus verò ipsius pios, divinos, aureos, luculentos, pulcherrimos, Maronianos vocat.

Ejus ergo Poëtæ versus, quibus locum communem orditur de Philostorgia, cura, protectione ac defensione, quam pleraque omnia animalia suæ Soboli præstant, in pri-

mo libro ἁλιευτικῶν ante ipsos centum annos Laurentius Lippius Collensis versibus Latinis ita expressit:

Non hominum tantùm generi sua pignora cordi
Sunt oculis vitæq; magis: Genus omne ferarum,
Et picta volucres & monstra horrenda natantũ
Mirando sobolem caram amplectuntur amore.
Ærumnas tolerare juvat durosq; labores;
Imò pro natis nec funera dira recusant.

Hunc verò caritatis, qui ex ipsis rerum naturæ sacris venerandisq; primordijs descendit, affectum etsi æqualem erga omnes ex se gentos ille mortalitatis artifex Deus parentibus insevit: Tamen par illa in omnes liberos eademq; Pietas habet in aliquo proprias indulgentiæ causas, & salvâ caritatis æqualitate est quiddam, per quod tacito mentis instinctu singulos tanquã unicos amemq.

Hunc primus nascendi locus, inquit Rhetor, *illum gratiorem prior fecit infantia; alium latior vultus, & blandior osculis amplexibusq; facies; quosdam magis severitas probitasq; commendat; In quibusdam diliguntur impatientiùs calamitates, & damna corporũ debilitatesq; membrorum notabilius miseratione complectimur.* Salva est tamen universitas, & longè eos ab intellectu rerum naturæ sepositi prava persuasio, qui putant ex parentis affectibus liberorum huic vel isti perire, quicquid in uno ex necessitate præponderat. *Non habent profectò, non habent discrimen liberi, nisi de calami-*

Digitized by Google

ante, & inter homines, quos natura Pietatis aequavit, differentiam nisi de dolore non explices.

Hæc & quæ in eandem sententiam proferri plura possent, quadriennium jam expertus est vir Clarissimus & præstantissimus, MICHAEL LEDERERUS, J.U.D. & Electoralis in hoc opido Curiæ Advocatus, & exemplo domestico didicit esse aliquid, quod supercrescat caritati, quod possit sacris nominibus accedere, *solumq; majorem hunc affectum esse, quàm filios amare, filij misereri.*

Nata est ipsi ex ELISABETHA uxore, anno M.DC.XI pridie Idus Februarij hora n. & is prima filiola, aviæ maternæ nomen referés, MAGDALENA; cætera quidem bellissima; verùm coxendicis luxatæ vicio mox à primo ortu debilis. Quos inde dolores toto hoc tẽpore perceperint parentes optimi, non facilè credũt, qui vim paterni affectus ignorant.

Sed accessit aliud majo, quod caritatẽ erga filiolam magis indies magisq; inflãmaret. Nam in illa corpusculi tenelli imbecillitate incredibilẽ semper pro captu ætatulæ, æquanimitatẽ declaravit, & in addiscendis ac subinde iterandis precibus pijs ita fuit assidua, ut efficaciã in ea Spiritus S. non obscurè cognoscéres. Nominatim verò hoc unicè in votis & in ore subinde habuit, ut ex hoc miseriarũ & calamitatũ hospitio maturè, si Deo visum esset, emigraret: Cujus voti Deus misericors cõpotem ipsam nudius tertius reddidit.

Cùm

Cùm enim pridie Calend. Apriles Epilepsia correpta ex improviso fuisset; crebrioribus paroxysmis recurrentibus ita prostratæ & exhaustæ fuerunt viciculæ, jam antè satis exiguæ, ut diutius sustinere morbi vehementiam non potuerit.

Durante autem per tres hebdomadas valetudine adversa, non tantùm ipsa placidum vitæ finem à DEO suspirijs ardentissimis expetivit: sed fraterculos etiam & sororculas ad preces cum votis suis conjungendas identidem hortata est. Cumque loquendi jam facultate destituta esset, complicatis manibus digitisque, cordis sui desiderium repetita sæpissimè voce, *Amen, Amen*, testata est. Donec tandem nudius tertius, quemadmodum dicebamus, hora XII. meridiana animulam Christo Redemptori placidè reddidit.

Vestrum est, Cives Academici, affectionem animi erga nostri ordinis homines cumulatè declarare, & defunctæ intra opidum humandæ, exequias è platea Jureconsultorum ducendas, postea hora III. præsentia vestra cohonestare. Non solùm enim parentibus mœstissimis ad minuendum luctum gratum accidet hoc officij genus: sed avo etiam defunctæ, Dn. HARTMANNO Schacher, mercatori & ordinis in rep. Lipsensi

pfensi Senatorij Viro, ejusq; conjugi, MAGDALENÆ Steinmetzin, matronæ honestissimæ, habitus Nepticulæ honos cognitu erit optatus. P. P. Dominica Misericordias Domini, Anno M. DC. XV.

XXXIV.

Invitatio ad auscultandam dissertationem de Fame.

TRia esse pœnarum publicarum genera atrocissima, bellum, pestem, famem, quibus enormia hominum peccata ulcisci & castigare justicia divina consuevit; non solùm comminationes illæ horrendæ, quas Israëlitis Moses in Deuteronomij capite xxix. Dei jussu proposuit, satis docent; sed omnium etiam ætatum gentiumque historiæ testantur. Quippe cùm his quasi flagellis Deus, hominum offensus criminibus, plerumque cum sontibus innocentes affligat, quò Poeta respexisse videtur, *Sæpe Diespiter*, inquiens, *Neglectus in cesto addidit integrum:* ita evenire fermè solet, ut hæ ipsæ pœnæ peccata contumacium non tam reprimere, quàm augere videantur.

Etenim victus difficultas & astutiores & pejores homines efficit, eoq; fames plerosq; adigit,

adigit, ut neque religionem ullam, neq; legum majestatem, neque autoritatem Principum revereantur: unde aptè à Poëtis *malè suada fames* appellatur, per egestatem scilicet in seros mortales ad furta, cædes, rapinas, latrocinia, injurias impellens. *Non enim habitant unà pudor & fames; & cùm semel intravit imposcens domina, feras etiam & ingentes belluas subigit, omnemq; cognati sanguinis respectum abolet.*

De *bello* autē Thucydides scripsit: In pace & rebus secundis universæ civitates & privati homines mentes habent saniores, quia non cogit necessitas quærere vitæ præsidia malis artibus. At verò *bellum copiam quotidiani victus subtrahens, violentus magister est, & ad præsentes occasiones multorum impetus incitat.*

Pestis de hiq; ultra modum grassantis qui soleant esse effectus, graphicè idem historicus describens, Athenienses, ait, in illa nobili pestilentia, & ceremonias & sacra neglexisse, neque timore numinis, neque lege ulla cohibitos. Nam cùm omnes pariter mori viderent; idem esse judicabant, sive quis Deos & leges coleret, seu non: Nec tam diu victuros sese putabant, donec in judicium vocati admisforum pœnas darent. Imò pœnam jam imminentem longè quolibet

Digitized by Google

bet supplicio majorem esse existimabant, à qua priùs quàm opprimerentur, ea voluptate, quam brevem fore putabant, suaviter perfruendum esse statuebant.

Hæc pluribus nunc repetere visum, cùm potestatem sibi fieri peteret Lucas Hebnerus Augustanus, publicè recitandi dissertationem de Fame; quod quidem tanto libentiùs ipsi indulsimus, quoniam ea res occasionem præbere nonnullis potest tum considerandi, & grata mente prædicandi immensum & ineffabile hoc divinæ Misericordiæ beneficium, quo cladium tantarum immunes fruimur; tum preces suas cum piorum omnium suspirijs conjungendi, ut tanti beneficij usuram & nobis perpetuam Deus concedat, & omnibus illo carentibus restituat; tum denique ita vivendi, ne flagellis istis admoneri cædique mereamur.

Huc igitur animo si postea hora II. ad auscultandam orationem in auditorio maximo Collegij Friderici frequentes convenerint studiosi bonarum artium & pietatis juvenes; rem facient, nec sibi infructuosam, & voluntati nostræ consentaneam.

P. P. Dominica Jubilate, anno M. DC. XV.

Programmata in Academia Wittebergensi publicè proposita.

Rectore Magnifico, Viro Clarissimo & Consultissimo,

VALENTINO GUILIELMO Forstero, J. U. D. & Professore publico.

I.

Exequiæ Annæ Mariæ, Blümlin puellulæ, M. Mich. Blum/ Diaconi f.

FRequentissima est in sacris juxtâ & profanis scriptoribus fragilitatis humanæ cum florum & graminis fugacitate comparatio. Moses vir Dei in carmine illo nobili, quod inter Psalmos Davidicos eminet, hominem ait instar oleris aut graminis, in eodem statu minimè permansuri, manè quidem florere atque adolescere; vesperè verò succidi atque exarescere. Ipse verò David nihil habet, cui potiùs quàm plantulæ vel flosculo florentium etiam hominum vitam

vitam similem dicat. Qui enim modò vigebat & formosissimus erat, dicto citius, editâ animâ tabescit, & penè in nihilum recidere videtur; non aliter quàm flos, quem ubi vel auræ noxiæ flatus aliquis immitior attigit, illicò nusquam est, eumque suus amplius nescit locus. Ad eundem modum lubus hominem de muliere natum ceu florem vix ortum carpi, aceveluti umbram fugere, neque durare queritur.

Inprimis verò in amplificanda & inculcanda hac similitudine multus est Isaias propheta, cujus verba Petrus & Jacobus epistolis suis inserenda judicarunt, ut ostenderent, *sicut fœnum nascendo viriditatem habet, pullulando decorem*, ut Haymonis verba repetamus; *abscisum autem siccatur & in pulverem redigitur; aut quia ventus urens illud & æstus ardens exiccavit, subitò cadit: ita hominem subitò nasci, subitò in mortem cadere; quia sententia omnipotentis DEI vitam ei præsentem abstulit.*

In hæc verò sacræ Scripturæ oracula Siraciden cap. XIV. v. 19. oculos defixisse vero propius videtur, quando & ipse foliorum decidentium & renascentium similitudine usus, de mutatione cæsibusque in vita hominum incertis concionatur; quàm in similitudinem Homericam, quæ poëtarum maxi-

mo tantopere placuit, ut Iliados lib. VI. pluribus verbis expositam, ejusdem operis libro XXI. paucis repetere voluerit, in hanc sententiam:

— βροτοὶ φύλλοισιν ἐοικότες, ἄλλοτε μὲν τε
ζαφλεγέες τελέθουσιν ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες,
ἄλλοτε δ', αὖ θάνουσιν ἀκήριοι. hoc est:

Frondibus omnes
Sunt similes homines: nunc læti alacresque fruuntur
Terræ muneribus; nunc destituuntur, & arent, ut Eobanus Hessus interpretatus est. Plinius denique, ne prolixiores simus, naturæ lascivientis & in magno gaudio fœcunditatis tam variè ludentis opera admiratus, *Reliquæ*, inquit, *usus alimentique gratia natum genuit, ideoque secula annosque tribuit iis; Flores verò odores que in diem gignit, magnâ, ut palàm est, admonitione hominum, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere.*

Hujus verò rei cùm & cognomine suo quotidie commoneri, & auditores suos subinde in concionibus sacris commonefacere minimè dubium sit Virum Reverendum & Doctissimum, *M. Michaëlem Blumium*, Ecclesiæ hujus Diaconum fidelissimum: Ecce veritatem sententiæ ejusdem rursus experiri cogitur.

Quæ enim illi filiola in conjugio concordiæ & suavitatis pleno, ex benedictione divinâ,

Digitized by Google

vina, die XIIX. Febr. excessu *B. Lutheri* nobilitatâ. an. M.DC.XI. in pago Sellicha prope Thebas, ut nostri vocare solēt, Saxonicis nata fuerat; & per Baptismum renata nomē *Annæ Mariæ* acceperat; Ea nunc in primo pueritiæ limine denata omnes, quibo parentes unicè carissimos oblectabat, secum abstulit suavitates. Febri n. ardente & quotidie recurrente per hebdomades sex conflictata, ad extremum morbi vehementiæ succubuit, & noctis, quæ Calendas Majas præcessit, horâ quasi XI. vitam in his terris suam placidè finivit.

Ut autem animulam ipsius pretioso sanguine Filij Dei, quem ardēter invocabat, ab omnium peccatorum sordibus mundatam & ablutam, *in manu Dei esse*, cruciatus omnis immunem, dubitare nefas est: Ita luctum ex præmaturo, ut homines judicant, filiolæ carissimæ discessu conceptum si non prorsus abstergere; at certè non parum minuere debet hæc ipsa florum herbarumque contemplatio. Qui enim verbo suo semel prolato per tot millia annorum effecit, ut arbores terra quotannis post spolia vestiret, floresque denuò coloraret, & herbas rursus produceret: Is hujus etiam puellulæ corpus ex terræ, ubi jam tanquā flosculi semen deponetur, sequestratorio repetitum animæq; unitum, immortalitate & gloria decorabit ineffabili.

Digitized by Google

Hujus ergo fidei & spei, quæ Christianorum fiducia est, ut specimen edamus, & observantiam nostram erga verbi divini ministros declaremus: Agite cives Academici, pompam funebrem postea hora III. in cœmeterium suburbanum ducendam, præsentia nostra frequentes cohonestemus. P. P. Die III. Maji, anno M. DC. XV.

(::)

II.

Exequiæ Annæ Dorotheæ D. Iob. Guil. Unzeri filiolæ.

IN historia Jacobi Patriarchæ memorabilis est vox Rachelis, de qua B. Lutherus, *Non memini*, ait, *me similem vocem legere in ulla historia*. Cùm enim in matrimonio, quòd sorori Liæ propter fœcunditatem invideret, aliquot annos vixisset infœcunda; tandem in hæc verba erupisse dicitur: Δός μοι τέκνα. εἰ δὲ μή, τελευτήσω ἐγώ: Quibus uxoris dilectissimæ verbis etsi ita commotum legimus virum sanctum, ut temperare sibi non potuerit, quo minus impatientiam increparet, quòd Deo posthabito, in solum maritum sterilitatis suæ culpam transferret: Tamen in ipsa quoque hominem videmus, quæ humani nihil à se alienum putaret.

Prolu-

Digitized by Google

Prolis enim desiderium flagrantissimum Deus ipse castorum conjugum animis ita insevit, ut ex ipsis naturæ adytis prolata vox illa videatur: *Maritum & uxorem, nisi liberis initientur, non fortissimis corporum vinculis inhærere:* & quod illa apud Tragicum loquitur:

Conciliat animos conjugum partus ferè.

Cæterùm cùm eam vim ex natura sua fructus conjugalis amoris habeant, ut parentum animos vinculo inter se devinciant arctissimo: Tamen in eo quoque verum esse, quod alio sensu poeta dixit; *Maxima lenæ mora est*, idem viri sanctissimi Jacobi exemplum testatur. Cùm enim tandem filio Deus Rachelin exoptato exhilarasset; *jucunda* erat *dilatio, quæ simul bona plurima restituisset.*

Ex adverso verò cùm filiorum ex tam cara conjuge susceptorum alterum Josephum prorsus amissum crederet; alterum Benjaminum in suspectam terram ablegare cogeretur: quanto torquetur parens optimus afflictissimusq; cruciatu! Sed *Deus, cujus in manu sortes nostræ sunt*, luctum incredibilem insperato prorsus gaudio compensavit; patri & eum, quem diu luxerat, & cui timuerat, repentè restituens.

Digitized by Google

Quanquam autem hæc felicitas rarissimis contingit, ut quos pro amissis habebāt, recipiant: Tamen pijs hæc consolatio debet sufficere, quòd cerni sunt, carissimos suos nō amitti; sed tantùm præmitti: qua cogitatione David Rex & Propheta sanctissimus, Deoq; gratissimus suum dolorem ex obitu filioli ortum mitigat; in deploranda illius jactura modum statuēs, quem à se revocari non posse; ad quem se iturum, non illum ad se reversurum præclarè noverat.

Hæc præfari placuit, cùm rogati essemus, ut ad exequias hodie celebrandas cives Academicos, ut moris est, publico invitaremus programmate. Anni jam sunt ipsi decem, quando Aprilis die XXIII. vir clarissimus & excellentissimus, *Johannes Guilielmus Unzerus* J. U. D. & Facultatis Juridicæ Adjunctus, natus Halæ ex honorata & perantiqua familia, matrimonium nuptijs Christiano ritu celebratis contraxit, cum virgine lectissima *Anna*, viri item clarissimi & excellentissimi *Jacobi Blumelij*, piæ memoriæ J. U. D. & Lipsiæ Juridicæ Facultatis Adjuncti, supremæq; ibidem Curiæ Electoralis Advocati filia: Cujus avus Maternus fuit *Marcus Peiferus*, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, & Reip. Lipsiensis Medicus ordinarius, Frater *Davidis* illius *Peiferi*, J. Cti eximij, & trium Electorū Saxoniæ Cancellarij, viri immortali laude & prædicatione perpetua dignissimi.

Hic

Digitized by Google

His etiam conjugibus in matrimonio concordiæ & suavitatis cætera plenissimo, in nonum annum dilata fœcunditas mœorem interdum attulit. Sed illam quasi nubeculam cùm superiore anno Deus discussisset, ortu filiolæ, quæ Junij die XXI. in lucem feliciter edita, *Annæ Dorotheæ* nomen in Baptismo accepit: Experti nimirum & ipsi sunt; *non mediocre munus esse Dei, dare liberos propagatores generis, successionis hæredes; ut Deus, cui & nascimur, & è vita migramus, à pluribus celebretur:* simul verò, etsi ad eam caritatem, qua inter se antea devincti erant, nihil addi posse videretur: magnum tamen cumulum accessisse filiolæ in dies amabilibus arridentis & blandientis conspectu jucundissimo.

Verùm enimverò & ipsi Deo sic volente, exèplo jam suo docent, ita esse cõparata, quę in his terris videmur possidere bona, ut dum tenentur, intereant. Heri n. hora VII matutinâ illa ipsa filiola, in primo quasi vitæ limine, febri, ut à Medicis accepimus, cõcurrentibus tamen aliis symptomatibus, exincta ad plures abijt. Sed bene habet: Norunt parẽtes mœstissimi non amissam, sed præmissam filiolã dulcissimã. Itaq; casum acerbissimũ vel sine admonitoribus ita ferẽt, ut Christianos decet: quam in sentẽtiã plura addere alienũ. *Inhumanum* quippe, *ipso funebri die oculos lugentis exicrare.*

Illud potiùs honori familiæ laudatissimæ, & parentum honoratissimorum luctui, quantum in nobis est, sublevando demus, ut exequias ex ædibus ipsorum foro adfinis, postea hora III. ad cœmeterium proximum ducendas, frequentiore comitatu cohonestemus, nosq; mortales mortalem prosequi meminerimus. P. P. XII. Maji, Anno M. DC. XV.

III.

Rectoris & Consilij publici nomine ad Studiosam juventutem.

QUod in populosis civitatibus accidere solet, ut plurimum nationum homines plura secum vicia afferant: id in Universitate hac nostra literaria non potuit non contingere. Non multus annus est, quum ex Academijs non optimè disciplinatis QUIDAM malè feriati, pejùs morati hunc pessimè comparatum morem in hanc Scholam secum deportarunt, ut eos, qui recentes in eam veniunt, probris incessere, contumelijs impetere, conviciis infectari, pulchrum, ac penè justum ducant.

Hinc natæ sunt notæque voces illæ maledicæ & contumelioſæ (ut recentes ac mu-

Digitized by Google

ras istas prætereamus) novitiorum, ac Calmariorum, è trivio petitæ, ex fece vulgi arreptæ, ne ipsis quidem Conviciatoribus satis intellectæ, absurdæ omnes & ineptæ, quæque in autores ipsos meritissimò expetait; dum non solùm Tyrones iis verberait; sed se quoque ipsos Veteranos (veteranos verò non tam eruditionis, quàm insciiæ ac stoliditatis: cur enim aliis id exprobrant, quod se ipsos fuisse, quodque suos alicuando esse posse, ignorare non queunt?) vulnerant & consauciant.

Videlicet hæc sunt præclara illa prudentiæ & humanitatis stipendia, quæ in castris Musarum per complures annos diversis Academiis fecerunt: hæc opima illa adorea est, quam in Modestiæ & Æquitatis contubernio meruerunt: hæc optima maxima illa spolia sunt, quæ de hostibus domesticis intellectus ruditate, Voluntatis pravitate reportarunt!

Ac plus quàm satis ad indignitatem fuerat, si malè morata consuetudo intra voces inhumanas constitisset, neque in majorem licentiam petulantiamque erupisset. Fecè enim novellus ille & paulo antè sacramento Academico auctoratus adolescens ab istis Veteranis in ordinem redigitur. Jubetur, vel cogitur potiùs erogatione aliquot

aureorum (non enim unius, sed sæpe decem, aut plurium) redimere accessum in Academiam, & ad mensam: aliter, in neutralocum ei esse posse. Ignarus ille locorum hominumq; recusare nefas existimat. Corripit ergo grande vas potorium, ad cellam properat: it, redit, fundit: it reditq; sæpius, ac semper ipse fundit: fundere enim, & lætalia per alium expedire non fas, non ratio sinunt.

Interea præclari illi Initiatores legesuas mordicus observant, sacra sua orgia pleno ore celebrant, nec quod ad rem pertinet, quicquam omittunt. Itaque, ut ex pagato ac prophano mystam consecraneumque omni ritu faciant, Præbitorem illum solitis conviciis, tanquam solenni carmine, etiam atq; etiam mactant: addunt aliquando, ut ceremoniæ suprema manus imponatur, verbera: adjiciunt etiam, sive eripiunt aliquid è supellectili vestiaria, aut libraria, monumentum scilicet celebrati actus legitimi; quodq; omnium indignissimum atque importunissimum est, patrant ac designant ista non tantùm in laurioris; sed etiam inteutioris fortunæ hominibus, & unde aliquot septimanarum aut mensium sumptus in cibum supperiisset, id paucarum hellua-tionem horarum universum abligurunt.

Cujus

Cujus rei sævitas, ac summa potiùs iniquitas & inhumanitas quum coërceri posse non videatur, nisi pœnali sanctione compescatur; propterea volumus ac decernimus, ut quoniam Academia pares omnes aut accipiant aut facit, neque prærogativam inter Studiosos annorum numerositas; sed morũ honestas & gravitas, literarumq; auctoritas ac dignitas constituit, ab istis convicior um probris ac ludibrijs, si obtineri hoc ab istis malè sive feritatis, sive veteratis possit, penitus abstineant: illud quidem certè Nos facilè & severè præstabimus, ut QUICUNQUE quemcunque Tyronem & adventitium studiosum compotationem quantamcunque, poscere, exigere, exprimere ex hoc die ausus fuerit, hoc ipso facto RELEGATIONIS pœnam incurrat, & qui sibi exactionem illicitam in alios studiosos usurpare præsumpserit, ex numero Studiosorum suo merito NON SINE ELOGIO exigatur. Promulgatum festo reducis in cœlum CHRISTI Anno clɔ. Iɔc. XV.

Autore
Adamo Th. Sibero.

Rectoris

Digitized by Google

IV.

Rectoris & Consilij publici nomine ad Studiosam juventutem.

QUod felix sit & fortunatum, scholæque nostræ utile & glorioſum, operas nostras litterarias nunc iterum publicamus, & in hâc tabellâ, quæ catalogum lectionum & Professorum juxta ordinem receptionis ostendit juventuti, & quorum eas non nescire aliâs interest, ob oculos ponimus: Ut quivis, qui operâ nostrâ deinceps uti voluerit, scire possit, quid per ÆSTIVUM hoc SEMESTRE à cujusvis disciplinæ Professore exspectare debeat, atq; ad normam istiusmodi rationem studiorum suorum affornare, & componere allaboret.

Deus Opt. Max. ex cujus inexhausto ipsius rivulos sapientiæ derivamus, animum & vires tam docentibus, quàm discentibus clementer sufficiat: ut neutra pars in officio, quâ fieri potest, nullibi deficiat. F. T.

P. P. die Festo Ascensionis Christi, Anno Christiano M. DC. XV.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

LEONHARTUS HUTTERUS S. Theol. D. & Prof. P. Collegij Theologici

logici Senior, & p.t. Decanus, expediet hac æstate σὺν θεῷ ea, quæ in libello locorum Philippicorum restant: quæq; adversa valetudine præpeditus, semestri proximè decurso hyberno, expedire non potuit. Horâ IX.

FRIDERICUS BALDUINUS D. Pastor & Superintendens, quæ restant in Epistola ad Galatas absolvet, & ad sequentem, quæ est ad Ephesios, progredietur. σὺν θεῷ Hora. IV.

WOLFGANGUS FRANZIUS Th. D. & Præpositus templi arcis, ex cap. Levitici vicesimo secundo egressus reliqua restantia maturiùs ad finem perducet, & ad librum quartum Mosaici Pentateuchi accedet σὺν θεῷ. Hora II.

BALTHASAR MEISNERUS Th. D. in Scholis Propheticis perget, quæque hactenus ratione Gubernationis fuerunt negligenda, in posterum diligenter compensare laborabit. Horâ VIII.

IN FACULTATE JURIDICA.

BARTHLOMÆUS REUSNERUS U. J. D. & materiæ JUDICIORUM Professor, Juridici Collegij Ordinarius & Senior, juxta ordinem à D. AUGUSTO Elec-

tore

lectore laudatiſ. mem. præſcriptum, & nu-
per à Sereniſſ. Electore moderno, Dn. no-
ſtro clementiſſ. in uſum revocatum, titulo
De judic. in Decretalibus ſubjicier tit. ſeq.
De foro compet. eique pro primo Juridici
quinquennij annuo penſo abſolvendo ad-
jungetmateriam L. Imperium ff. de Jurisd.
omn. jud. Horâ IX.

LUCAS BECKMANNUS J. U. D. per-
get in explicatione LL. tit. ffcorum de
Uſuris. Horâ IX.

VVOLFGANG. HIRSCHBACHIUS
U. J. D. continuabit titulum Cod.
de his, qui teſtam. fac. poſſ. Horâ IV.

ERASMUS UNRUH J. U. D. divi-
nâ favente gratia Titulum de pignora-
titia Actione vel contra, eoq; abſoluto, li-
bros Feudorum curſoriè & methodo præ-
ſcripta explicabit. Horâ VII.

VALENTINUS GUIL. FORSTERUS
U. J. D. & Prof. continuabit Inſtitutio-
nes quantum per occupationes Rectoratus
publicas licebit; & rerum objectum juris
de actionibus atque reliquos titulos hac æ-
ſtate Deo concedente, abſolvet: deincepſ
Inſtitutiones ſecundùm Electorale præſcri-
ptum per rationes dubitandi decidendiq́
exerſurus. Horâ I.

IN

Digitized by Google

IN FACULTATE MEDICA.

ERNESTUS HETTENBACH Phil: & Med. D. & P.P. ac Collegij Medici Senior, in curatione partium respirationi deservientium p. n. affectarum cum Deo progredietur. Horâ IX.

DANIEL SENNERTUS, D. & Medicinæ Prof. pauca, quæ restant in Curatione Pestilentiæ, & febrium malignarum ac pestilentium absolvet: & deinde rationem cognoscendi Temperamentum totius corporis humani & singularum ejus partium, omniumque in eo humorum tradet. Horâ IV.

TOBIAS TANDLERUS D. & Medic. P. P. & p.t. Decanus exposita priùs herbarum ac fruticum, ad certas familias spectantium affinitate, nunc DENDROGRAPHIAM publicè docebit. Horâ I.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. LAURENTIUS FABRICIUS Heb. ling. P. Decanus & Senior fac. Philosophicæ, hac æstate cõtinuabit structuram sermonis Hebræi in vocibus separatis;

Et

Et simul praxin præceptorum explicatorum ostendet in lobo à cap. 12. nunc incipiens, qui præcedentibus expeditis, Cap. Dan. 9. hisce diebus adjunxerat. Hora I.

GEORGIUS VVECKERUS Med. D, paucula quæ restant in libro de Anima D. PHILIPPI MELANCHT. absolvet: Et deinde Compendium Physicum proponet. Hora III.

ADAMUS THEODORUS SIBERUS Orat. P. in Cicerone perget. Hora IV.

ERASMUS SCHMIDT M. absoluto præcedente semestri Lycophrone, & Orthographia Græca, deinceps Prosodiam & Etymologiam pertractabit, Hora VIII. Hora I. verò Computum Astronomicum absolvit, & Arithmeticam ad Radicum extractionem perduxit: qua propediem absoluta, Geometriæ initia proponet, & ita Auditores ad Astronomiæ doctrinam præparabit.

IACOBUS MARTINI usque ad Festum Pentecostes utraque horâ perget in resolutione Logicæ Keckermannianæ, eamque cum Deo absolvet. Postea hora VII. brevem synopsin Logicam ex Aristotelis Organo; & horâ IX, Politicam ex libris de Republ. ejusdem Philosophi, & aliis autoribus proponet.

JOHAN.

Digitized by Google

JOHANNES WANCKELIUS Historiarum P. cœptam non ita pridem explicationem librorum JOHANNIS SLEIDANI de IV. summis imperiis continuabit, Horâ III.

AMBROSIUS RHODIUS Med. D. propediem absoluto Calculo irrationalium numerorum quadrimembrium, monstrabit praxin eorundem numerorum Geometricorum in figuris regularibus tum planis eidem circulo; tum solidis eidem sphæræ inscribendis horâ VII.

JOHANNES RODENBORCH in Satiræ Juvenalis XIV. enarratione perget Horâ II.

V.

Exequiæ Georgii Pfanzarti VVittebergensis.

ANnus die ab hinc octavo, qui URBANI in fastis nomine insignitus est, complebitur nonus, ex quo vir honestus & eruditus, M. BERNHARDUS PFANZARTUS filium sibi cognominem, in ipso ætatis flore, sedecim annorum adolescentem, contra votum suum, & naturæ, ut homines arbitramur, ordinem exulit.

Digitized by Google

Tam parum abfuit, quò minùs idem diet domum desolatam iterum funestarit: Idem certè mensis *Majus*, qui ante novennium, vulnus viro optimo satis luctuosum; at sanabile tamen aliquo pacto impressit, non solùm obductam temporis spacio cicatricem refricat; sed plagam infligit humanis remediis propemodum insanabilem. Quem enim alterum uxor jam olim præmortua viduo senectutis baculum, curandæq; rei domesticæ socium adjutorem que relinquerat fidelem & industrium: Eum jam pater, heu non pater! habuit.

Filium GEORGIUM die XXII. Aprilis, anno M. D. XXCVI. ex *CATHARINA* conjuge natum, ad ætatem jam virilem divina produxerat benignitas; quo superstite, verè adhuc usurpare illud *Menandri* poterat ὡς ἀγαθόν ἐστι πρᾶγμα τὸ γενέσθ' υἱὸς παρόν! At nunc illo etiam, Deo sic volente, orbatus experiri cogitur, quod *Leonidæ* dixit Κακὸν δ' ἄστυλος οἶκος.

Visu triste, domus nullis sustulta columnis

Itemque hoc ejusdem *Menandri*:

Ὀδυνηρόν ἐστιν εὐτυχῆσαι τῷ βίῳ
Ἔχειν ἔρημον ἀγαθὸν ἐν οἰκίᾳ.

Si enim patriam haudquaquā solitariam; sed spe posteritatis nostræ innixam, quantum in nobis est, relinquere & jucundum & glo-

Digitized by Google

gloriosum est: Quanto illud cū dolore conjunctum sit, si spem istam, jam propè certam & exploratam, sibi præcisam aliquis videat, nisi experientiâ propriâ edoctus haud temerè quisquam crediderit.

Sed ne tanquam unguis in ulcere esse, & cujus vulneribus mederi debebamus, illi novas plagas intempestivâ benevolentiâ imponere velle videamur; Tractatione hujus argumenti verbosiore in præsens sepositâ, id quod agendum est; agamus.

Cùm in autumno superioris anni febrim GEORGIUS PFANZARTUS nactus esset acutam; non defuit vel patris pietas & solicitudo; vel medici cura & diligentia; vel medicamentorum ad eam rem necessariorum copia: quibus effectum fuit, ut ad spem de recuperanda sanitate pristina non parum omnes excitarentur. Verùm eâ progressu temporis magis indies magisq; evanescente, sub adventum veris pejus semper habere cœpit, tandemque febre, ut medici retulerunt, lentâ consumptus, Idibus Maji, horâ I. pomeridiana in verâ agnitione & ardentissima invocatione Servatoris Sui JESU CHRISTI, placidè vitam in his terris suam finivit, cùm vixisset annos undetriginta, & dies præterea XXIII.

Exuvias corporis cùm postea horâ III. ad spem lætæ ac gloriosæ resurrectionis insequestratorium terræ deponendas curaturus sit pater mœstissimus: magnopere censemus, ut Cives Academici exequias funeris in cœmeterium suburbanum ex ædibus paternis, in platea qua ad Collegia Friderici & Augusti itur, sitis deducendi, frequentes prosequantur. Par enim est nostri ordinis hominibus honorem hunc à nobis cumulatè haberi, quem alienis etiam prolixè præstari ipsa suadet & hortatur humanitas. P. P. festo die triumphantis & in cœlum ascendentis Domini & Servatoris nostri Jesu Christi, Anno M. DC. XV.

VI.

Ad convictores mensæ communis.

Quæ vestri sint officii, qui in hoc contubernio munificentiâ, secundùm Deum, Serenissimi Electoris Saxoniæ, Domini nostri Clementissimi, utimini, fruimini, neque à nobis hoc tempore inculcari necesse est, & notum pleriq; vestrum esse, res ipsa huc usq; docuit. Agite ergo, & quod hactenus à vobis præstitum gaudemus, idem porrò etiam

jam ut præstitum prædicare valeamus, enitimini.

Vos verò, si qui moris nostrat s ignari, legibus tum Academicis, tum hujus privatim Convictorij minùs obsequentes quandoque fuistis: illustriti memineritis:

Si fueris Romæ, Romano vivito more:
Te VViteberga tenet, quòd VViteberga, tene.

In primis verò si qui ex illis Germaniæ partibus hic confluitis, in quibus ab annonæ caritate famis periculum non leve esse doleantes cognoscimus: cum animis vestris felicitatem illam semper cogitate, quâ frui vobis hoc in loco benignitas divina vult.

In hac verò cogitatione & DEO misericordi grates laudesque debitas agite; & salutem Serenissimi Electoris, totiusque patriæ, & in eâ nostræ Academiæ, precibus eidem piis devotisq; commendare, & huc studia omnia vestra referenda vobis statuite, ut occasione cœlitus concessa rectè vos usos aliquando gaudeatis. Quòd nisi facilè imperium in bonos esse nosse mus; plura in hanc sententiam adderemus.

Si qui verò lenitate nostra abuti voluerint; iis jam nunc denunciamus, non defuturam legitimæ animadversionis severitatem. Hoc enim fine severissimè à Serenissimo Principe Electore nutritore nostro

Clementissimo mandatum vos scire volumus, ut deinceps hujus Convictorij inspectio non solùm penes Rectorem & unum atque alterum ex ordine Professorum sit: Sed ut præter ordinarium & assiduum inspectorem ab Academia constitutum, Rectori cujusque semestris adjungantur singularum facultatum DECANI, quorum per hoc semestre æstivum nomina ex programmate Lectionum nota esse omnibus debent.

Ad hos ergo si quid querelarum habetis, modestè referatis, eorumq; monitis, non aliter atq; à Principe ipso delegatorum obtempereris: ita persuasum vobis habentes, neq; commodis eos vestris ullo loco defuturos; neq; commissuros, ut de disciplinæ in hoc loco sacrosancto laxatione conquerendi caussam ulli præbuisse videantur. P.P. Dominica EXAUDI, anno M.DC.XV.

VII.

Ad Studiosam juventutem.

VErbum iterum eructato bonum, novæ plausor, abimo
Rectoris abscessu, laudumq; exuberet undâ
Fons animi, torrensq; anima tua lingua, fac,
esto;

Perpet-

Digitized by Google

Perpes ut è scatebris prorumpat hiantibus mendi-
oda.
Lux solennis adest, quam SPIRITUS ille, tre-
Tertia Flamma Dei, meritis & nomine sacrat.
Nempe is, Adamigenûm qui genti arcana salu-
tis,
Mirificis sacrorum hucusq; adoperta figuris,
Antè revelârat; de se nunc protinus ipso
Praedicat, ignitisq; ciet praeconia linguis.
Hic calor ille Dei est, ignisq; reciprocus inter
Ignem utrumq; Patris, Gnatisq; & adustulat igne
Id cordis penetrale sui, cui insederit Hospes.
Omnia, fatidico pridem antè notata Joëli,
Attigit indictas ubi temporis orbita metas,
Ecce vatum meruêre fidem. Momenta locorum
Indiciis compone suis; impleta videbis.
En! Deus effusam sacrosancti Numinis AU-
RAM
Dividit in cunctos aura mortalis alumnos.
Visio devotos hodie, en! illustrat ephebos.
Ecce! senum in somnis animi ventura repingunt
Somnia: signa data, ecce! suprà, data signa quoq;
infrà.
Marmora Legis ubi digitis inarata Jehovae
Vertice de Sinaï Mundo Mosiq; dabantur;
Ecce! vaporosi contorta volumina fumi
Totum involvebant piceâ caligine montem.
Fulmine terrifico cœli quatefacta remugit
Machina, supremus crebris micat ignibus aether:

Digitized by Google

Auditur lituúmq; fragor, clangorq; tubarum,
Dat fremitum tellus imis vibrata cavernis;
Omniaq; intentant certam omnibus undiq; mortem.
Fulgores JOVA horrendos, tonitrúq; fragorem.
Miscuerat Legi; flammisq; minantibus, iras.
Nos, Evangelici quos fœderis arrha marinat,
Jure triumphamus, quippe hâc formidine festum.
Degimus immunes, quod amica ventulus aura
Vendicat ureptesq; allapsu temperat æstus.
Namq; repentè crepantis agente volumine flatus
Pneuma DEI è cœlo prorumpit, & occupat omnes,
Quotquot ibi unanimes votorum ardore sedebant.
Utq; aliàs aliter; sic fistâ hâc luce per Austrum
Lenè susurrantem, & tecti penetrale replentem.
Omnipotens vigor ille Dei, Deus ipse, videndum
Se ingerit, & flammæ specie linguæq; bisulco
Segmine divisæ, sacris insidit alumnis.
Non etenim tanti cor erit cujuslibet aptum
Hospitiis hospitium. quin ergo hoc quisque procuret,
Idq; hodie, vestras cùm vox sacra verberat aures,
Hospitis ut tanti sit non incommoda sedes!
Ergo. ut hic adventor dignè excipiatur adesto
Puro animo, puráq; manu, neq; veste prophani;

Nec

Nec fannam facitote Deo: quid inania turges?
Quid linguæ strepitu Flatûs habitacula jactus,
Qui furis illicitæ flagrante libidinis æstu?
Obscœno, sacer hostis amor, junctus amori est.
Tu quoque, barbarico noctem infestare boatu
Suete, Perillæ furiosa tonitrua linguæ
Ponito, Cyclopumq; feros desuescito mores.
Pacis amor Deus est pacisq; tuetur amantes;
Turbones, oculi vel in uno dissipat ictu.
Vosq; tricongi animæ, bibulum genus, Hectoreo udi,
Queis fumo cerebrum venaq; uligine putrent,
Fumosas Bacchi nebulas, atrasq; paludes
Vitate, ac velut indubias, ne admittite, pestes;
(Quando aditu excludunt venturum in pectora Flatum.)
Quin variis celebrate Dei magnalia linguis:
Ejus & in laudes vosmet diffundite totos;
Ut, si quæ est in corde fides, fide personet oris.
Ne solo tamen ore crepet, solidissima subtùs
Omnia sint; vano quid ludis hypocrita fuco?
Tene putem verum Flatûs sacrantis alumnum,
Cujus nes Mystam vis tresse jurare minuto!

Autore
Ioh. Rodenb. Antuerp.

P.P. Festo Pentecostes Anni cIↃ. IↃc. xv.

Digitized by Google

IIX.

Exequiæ Margaritæ Davidis Erhardi filiæ puellulæ.

MAgnum ante annos octo luctum mensis Junius attulit viro Ornatissimo & humanissimo DAVIDI ERHARDO Cantori, & in Schola Opidana pueritiæ magistro solerti ac fideli. Extulit enim tum mensis Iunij die XXI. conjugem, fœminam optimam, CATHARINAM, qui cum in conjugio concordiæ pleno annos tantùm tres & menses fermè septem vixerat; atq; ita extulit, ut eidem tumulo tum ipsa, tum fœtus, quem eniti in lucem non valuerat, intra domesticum quasi sepulchrum præsepultus, simul inferrentur.

Id verò vulnus cùm & dies jam mitigasset, & conjugis secundæ fœcunditate benignitas divina persanasset, natis ante completum quinquennium præter filiolam primogenitam MARGARITAM, filiis duobus, DAVIDE ET JOHANNE; Ecce! nudius tertius rursum Junius parentibus optimis plagam non quidem prorsus improvisam; sed tamen inexpectatam atque inopinatam inflixit.

Ea quippe, de qua dicebamus, filiola MARGARITA, die XVI. mensis Septembris Anno CHRISTI M. DC. X. intra octavam & nonam matutinam feliciter nata, cùm biennium fermè integrum valetudine usa fuisset mitius firma; & ex diuturna viscerum, quod Medicus retulit, obstructione, proximis hisce septimanis, bile atra per totum corpus suffusa, ictericæ facta esset: tandem superveniente superfluâ, ut cum medico rursus loquamur, per superiora & inferiora excretione, quo minimè putarisent, qui circa eam fuerunt, tempore, morbi violentiæ succubuit.

Singularis autem prædicatur virgunculæ in morbi satis diuturni vexatione æquanimitas & tolerantia; & in adeunda, quam omnia minari in horas videbantur, morte animi præsentia. Audiræ etiam proximis hisce ante obitum diebus, ex ore ipsius voces nonnullæ fuerunt, quæ ipsam ad propinquam, ex hoc ærumnarum hospitio, migrationem adspirare non obscurè ostenderent. Cùm & famulæ domesticæ curam, quasi testamento facto, commendaret aviæ, & quantopere coronarum, hoc verno tempore, floridularum & pulchritudine & copia delectaretur, animo gestiente declararet.

Et

Etsi autem dolorem ex præmaturo filiolæ discessu parentes optimi non exiguum capiunt: Tamen ad eundem levandum efficacissimum hoc esse debet, quòd & filiolam, pro ætatulæ captu, pietatis studiosissimam habuerunt; & eandem absque ullo evidentiore cruciatu placidè, in festa Servatoris nostri Jesu Christi invocatione, vitam in his terris suam clausisse sciunt. Cùm enim die Dominico proximo, quo festum Sacrosanctæ Trinitatis celebravimus, nullum fere edidisset doloris alicujus insoliti signum, & suavius, quàm hactenus solita erat, & pransa & cœnata, & cum vicinis etiam, quantum per anhelitus difficultatem poterat, & parentibus confabulata hilarissimè fuisset: paucis post cœnam horis ita viriculas omnes amisit, ut circa horam decimam vespertinam supremum suis vale dixerit.

Cùm ergo postea ad horam tertiam efferenda illa sit, ex ædibus parentum non procul à Granarijs Principalibus, in vico plateæ Consulum contiguo sitis, ut in cœmeterio suburbano, ad spem gloriosæ resurrectionis in sequestratorio terræ omnium matris, Christiano ritu deponatur: Hortamur cives Academicos, ut exequias hujus virgunculæ frequentes eant. Ita enim

& lu-

& luctum parentum optimorum magna ex parte mitigabunt; & animi sui erga nostri ordinis homines, maximeq; eum virum, cujus opera tam multis in hoc genere parata semper est, affectionem cumulatè declarabunt; & rem facient pietati ac humanitati suæ, nostræq; adeò voluntati consentaneam. P. P. Iunij mensis die VI. Anno M.DC.XV.

IX.

Ad Studiosam juventutem antè recitationem Legum.

VItæ humanæ in societate civili tranquillitatem utrùm rectiùs leges magistratuum, an decreta Philosophorum conservare queant, jam olim homines quærendum censuêre sapientes. Ac Plutarchus quidem Coloten neque justè, neque verè dixisse censuit, quando animi sui sententiam ita scriptam reliquit: Qui viram legesq; composuerunt, & jura condiderunt, utque regerentur urbes, & imperio magistratuum parerent, instituerunt; Ii nos in tranquillo admodum tutoq; collocarunt, tumultibusque liberarunt: Ista quippe si quis aboleret; ferarum porrò

porrò vitam victuri essemus, & quisq; obvium quemq; tantùm non devoraturus.

Ab his dissentiens ipse, si quis legibus, inquit, sublatis, Parmenidea, Socratica, Platonica, Heraclitea nobis relinquat decreta; longè profectò magis tes nostras à belluina vita, mutuisque devorationibus abfuturas.

Fore enim ut turpia aversemur, ipsiusque honesti gratia justiciam colamus, & magistratum Deumq; veneremur; cùm genios vitæ nostræ custodes nos habere sentientes; tum aurum omne, quod supra infraq; terram est, precium virtutis non æquare statuentes, monituque rationis ultrò facientes, quæ nunc inviti legum metu pœnarumq; formidine facimus.

Verùm enimverò ut pulchrè quidem ita sapienterque diseruntur: Ita si ad rem conferenda sint, nihil ferè iisdem reperitur inanius. Nam ut omissis aliis, de republica nostra literaria tantùm dicamus, quo pacto inter nos vivatur, piget pudetque exponere. Sanè Plutarchus, veritatis cœlestis luce destitutus, hoc tamen vidit, si cernentem omnia Justiciæ oculum, & stantem in propinquo cominus Deum ante oculos semper habeant homines, nihil opus esse vel legum sanctione, vel magistratu jus in manibus habente.

Verùm

Verùm quia cogitatione magis fingi, quàm sperari hujusmodi hominum societas potest; fateri ad extremum cogitur, omni laude dignos esse majores, qui adversus ferinas hominum cupiditates, legum magistratuumque constitutiones invenerunt. Quòd si in vitam reversus vir sapientissimus vel unicum inter nos diem ageret, quid quæso pronunciaturus esset?

Ornati omnes ex æquo sumus luce illa naturali, & ratione, honesta ac turpia discernente præditi. Versamur in eo loco, ubi parietes ipsi, quales esse debeamus, nos docere posse videantur. Nullum est præceptum aut monitum à vetustate sapientissima relictum, cujus noticia diligentioribus deesse possit.

Non opinionem animo circumferimus incertam, de Deo principium, medium finemque tenente omnium rerum, deque justicia ipsius Dei quasi pedisequa, eorumque, qui à divina lege desciscunt, vindice acerrima: Sed veram de Dei tum essentia, tum voluntate doctrinam ex ipsius Dei ore haurimus, & judicij futuri vestigia & testimonia non perplexa & obscura; sed evidentissima & firmissima in animis ipsi nostris deprehendimus.

Nihilo

Nihilo tamen secius, in publico veluti Germaniæ universæ luctu, rebus penè omnibus orbis Christiani ad ruinam vergentibus tristissimam, contemptum legum ac magistratuum, furoresque effrenes & indomitos in plurimis crescere cernimus. Quanto verò hoc cum dolore nostro fiat, verbis exprimere vix possumus.

Quid enim boni sperare possumus, quando in nostri ordinis hominibus ἀναισθησίαν & ἀναλγησίαν conspicimus adeò deplorata, ut frustra mulcorum pectora pertundantur tot tamq; paternis commonefactionibus atque obtestationibus, quæ populos emollire ac flectere poterant? Et quid futurum credimus, si forent audiendi, qui remotis legibus, ex solis sapientum decretis vitæ moderationem petendam censent? Nos verò grates Deo misericordi & omnipotenti agimus, qui præter ineffabile patefactæ doctrinæ cœlestis beneficium, & dona in ipso ortu singulis concessa; præter cognitionem denique earum artium & disciplinarum, quas vitæ duces ac magistras meritò prædicamus, etiam legibus hanc Scholam munivit ejusmodi, ut dum ille sartæ tectæq; habentur, de incolumitate ac salute civitatis hujus literariæ dubitare aut prorsus desperare nefas existimemus.

Et

Et quoniam ex ipsis hujus Academiæ legibus etiam hæc est, quæ Rectorem cujusque semestris ad publicam legum scholasticarum recitationem devinctum vult: Exemplo nostris hac in parte præibimus. Itaque significamus civibus Academicis, recitationi illi publicæ destinatam esse die Lunæ proximo horam nonam: Quo tempore ut in auditorio maximo frequentes adsitis, & præterleges ipsas, quæ in medium ex more tum proferentur, auscultetis; magnopere censemus. P. P. die natali Johannis Baptistæ, Anno M. DC. XV.

X.

Exequiæ matronæ honestissimæ, Reginæ Walchin.

QUErelis malignitatis humanæ, cujus vicio vetera semper in laude, præsentia in fastidio esse solent, jam olim quidem non inscitè hoc opposuerunt viri sapientiæ & doctrinæ laude clari, *non esse lassam & effœtam naturam, ut nihil jam laudabile pariat*; Sed longè magis in arcem, quod ajunt, capsæ invaserunt, quos ad veritatem divinæ erudierunt literæ.

Digitized by Google

Quid enim pulchrius cogitari potest mo-nito D. Hieronymi, quod tanquam ex ore Salomonis prolatum, Commentariis in Ecclesiasten his verbis insertum legimus? *Ne vetus seculum præsenti præferas; Quia unus utrius-q; est conditor DEUS: Virtutes bonos dies viventi faciunt; vicia malos. Ne dicas ergo* (porro de suo addit) *meliores fuisse dies sub Moyse & sub CHRISTO, quam modò sunt. Nam & illo tempore plures fuerunt increduli, & dies eorum mali facti sunt; nunc credentes multi reperiuntur, de quibus ait Salvator: Beatiores sunt, qui me non viderunt & crediderunt.*

Quoties ergo rerum minùs ex animi voto euntium conditio voculas nobis doloris indices exprimit, ut *malos esse dies* conqueramur, & in quæ nos tempora Deus reservarit, tantùm non expostulemus. Frenum nobis injiciat hæc cogitatio; non rectè nos tempora ipsa incusare, quæ pro sua Deus voluntate moderatur: sed pravitatem hominum deplorantes, ea nos pati statuamus, quæ ante nos tot retrò seculis passi sunt; & ad finem usq; seculorum passuri sunt plurimi. *Vicia* enim *erunt, donec homines erunt.* Ex adverso verò, cùm antiquæ virtutis exempla intuemur, eisq; præmia sua nec in hac quidem vita deesse intelligimus; Benignitatem & veritatem inde Dei, grati agnoscamus ac prædicemus.

Hujus

Hujus rei specimen minimè vulgare huic civitati ab annis jam benè multis præbuit fœmina, omni matronalium virtutum laude cumulata, REGINA, JACOBI WALCHII Senatoris in hac urbe & mercatoris primarii Conjunx, quod ex vitæ curriculo, quemadmodum illud partim à nobis spectatum, partim à fide dignis expositum nobis fuit, breviter narratò manifestũ fore confidimus universis. Nata n. illa est Lipsiæ, mensis Januarii die XXIX. anno Christi M. D. LII. Patrem habuit virum in ea republica honoratum, & inter negotiatores, qui vinis invehendis, & exportandis ac distrahendis, mercaturam exercent, primarium IOHANNEM Rudt: Matrem verò ANNAM Knobelochin / ex familia natam itidem honesta & celebri.

Ab his parentibus honestè sanctèq; inde à teneris annis educata, cùm ætatis annum XXI. implesset, nuptum data fuit viro in hac civitate, tum familiæ splendore, tum multis nominibus spectato, MAGNO Person / Senatori deinceps, & mercatori inter præcipuos numerato; nuptiis Augusti die XXV. anno Christi M. D. LXXIII. celebratis. In Conjugio XXV. annorũ liberorum octo mater facta, tres quidem filios; & filiam unam in prima ætate ad plures præmisit: Duos verò filios CHRISTIANUM & MAGNUM superstites nunc reliquit.

Digitized by Google

At filias duas cùm ita elocasset, ut generos nanciscereturr, quibus meliores fingine voto quidem posse viderentur; tamen & ipsas præmatura morte amisit: ANNAM quidem aviti nominis participem, MATTHÆI SELFISCHII Senatoris conjugem in primo partu extinctam ante viginti annos: MARGARITAM verò V. Clarisſ. BARTHOLOMÆI CRUGERI D. Medici celeberrimi uxorem; ex qua nepotes tres, neptem unam viderat, & nepotem unum, neptem unam relinquit, ante biennium contra votum ſuum extulit.

Poſt mariti prioris obitum, qui in XXIII. diem Septembris, anno nunc M.D.IIC. incidit, ultra quadriennium vidua manſit, manſura fortè ad finem usque vitæ, niſi rei familiaris administrandæ onus diverſum ſuaſiſſet. Huic enim cùm ferendo neque ipſa eſſet, neque à liberis adhuc minoribus auxilij multum ſperare poſſet; ad vota ſecunda tranſiens cum JACOBO Walch/ nunc Senatore, matrimonio contracto, nuptias Calendis Martiis anno M. DC. III. celebravit, & in conjugio annos XII. & quod excurrit, concordiæ & dignitatis pleno vixit.

Quod autem à primis incunabilis expectantium optimorum diſciplina & educatione di-

ne didicerat; in eo constanter ad extremum usq; vitæ tempus, quo ad vires tulerunt, perseveravit, ut in audiendis concionibus sacris, & conjungendis cum Ecclesiæ cœtu precibus piis esset assidua. Et quoniam inter alia doctrinæ Christianæ præcepta hoc etiam animo impresserat altissimè: *Non eos, qui multo tempore vivunt, prolongare dies suos; sed qui grandes eos faciunt bonorum operum magnitudine:* beneficentiam erga viduas & pupillos, & quosvis egenos studiosè exercere studuit.

Itaque Deum in hac etiam vita remuneratorem experta est largissimum; tùm aucta honestè re domesticâ, tùm perductâ ad senectutem honoratam vitâ. Anno enim ætatis LXIII. quinque menses adjecit: post aliquot hebdomadum languorem & ægrotationem, die XXVI. Junij horâ diei IX. in agnitione & invocatione Servatoris sui, Jesu Christi, placidè mortua.

Hujus ergo matronæ ornatissimæ, quæ verè antiquæ virtutis & fidei exemplar fuit, exuviis postea horâ I. ex ædibus in foro sitis, ad cœmeterium proximum efferèdis, & post habitam pro more concionem funebrem, Christiano ritu humandis, ut postremum pietatis & humanitatis officium cumulatè præstetis Cives Academici, etiam sine co-

hortatione nostra, memoriam matronæ optimæ, & familiæ honoratæ dignitatem à vobis facilè impetraturam, imò jam impetrasse confidimus. P. P. die Petri & Pauli memoriæ consecrato, Anno M.DC.XV.

XI.

Ad Studiosam juventutem.

SI qua injuriâ affectus fuero, non vindicabo meipsum: sed justè persequar jus meum: Hoc jurati promittunt omnes, qui in civitatem recipiuntur Academicam. O miseros ergo, qui ob causas nonnunquam futiles eum contra se inimicum provocant, qui inter fulmina & tonitrua vocem hanc de monte Sinaico promulgavit! *Non finet impunitũ IEHOVAH, qui ejus nomen inaniter adhibuerit!* Conjunxit sese cum Academia Senatus opidanus, & quia rumor sparsus est, propter cantilenam quandam, quæ ad literatorum contumeliam pertinere videretur, novas turbas, nondum sopitis prioribus, excitari; professus est, se nihil ad fidem & diligentiam relicturum, ut in cantatæ illius cantilenæ autores inquiratur, & pro merito cujusque animadvertatur severissimè.

Hoc autem ut fieri rectè possit, pace nobis & quiete opus est, quam si qui Centauro-

rum

rum & Lapitharum fratres turbare conabuntur, iis ut obviam eatur legitimis modis, jam nunc provisum est.

Itaq; serio jubemus & mandamus, ut horâ ad aliquot dies OCTAVA ad habitationes singuli suas se maturè conferant. Mox enim post datum signum Collegia claudentur, & curabunt, ut idem alibi fiat, etiam iis, qui hospitia præbent optimarum artium & humanitatis studiosæ juventuti.

Sunt antesignani fortè turbonum pauculi. Ab iis boni, & bonis prognati, quibus cordi salus sua est, sese ut hactenus fecerunt, nunc etiam sejungent, ne pœnis iisdem, irreparabili cum damno & dedecore suo inelubili involvãtur. P. P. Idib. Iuliis anno JehoVa MisereatVr nostrI, & bene DICat nobIs.

XII.

Exequiæ Nicolai Hermanni Cothenii, civis VVitteb.

VErsantur in multorum manibus à Gallis primùm inventi; deinde verò à Germanis etiã exculti & epigrãmatis illustrati libelli, MORTIS imaginem ita repræsentãtes, ut eam, postquã semel per peccatũ primorum parentum introducta in mundum fuit, non

solùm omnium ordinum & ætatum hominibus ex æquo communem; sed adeò quoq; incertam esse ostendant, ut quovis loco, nulla non die, nulla non hora, immò nullo non momento horæ, puncto q; temporis doceant esse metuendam.

Hujus enim rei significandæ gratiâ clepsydra, qua veteres utebantur, sive ut nos loquimur, clepsammidium in singulis imaginibus spectatur, ut quoties Horologii cujuscunque in mentem nobis venit, in horas demi aliquam vitæ partem, & tunc quoque cùm crescimus, vitam decrescere meminerimus.

Sed nihil cogitari ad hanc rem aptius videtur posse, quàm quod Seneca epistolis suis inseruit; *Quemadmodum*, inquiens, *clepsydram non extremum stillicidium exhaurit; sed quicquid antè defluxit! Sic ultima hora, qua esse desinimus, non sola mortem facit; sed sola consummat: Tunc ad illam pervenimus; sed diu venimus.* Addit autem tanquam ἐκ Φουνικὸς versum Lucilii memorabilem:

Mors nõ una venit; sed quæ rapit ultima, mors est.

Hujus verò sententiæ veritatem etsi omnium in universum confirmat experientia: Tamen in ijs magis conspicitur, qui morbo oppressi diuturno & incurabili, illis, quæ in morbo,

morbo, ut rursum Seneca loquitur, gravia sunt, metu mortis, dolore corporis, voluptatum intermissione cruciantur. Illorum enim conditionem si cum iis compares, qui vix paucorum dierum valetudine adversa tentati, aut etiam repentino aliquo casu vitam finiunt: hos quidem unam; illos verò innumeras mortes pertulisse dixeris. Neque verò humana sapientia causam invenire potest; cùm uno modo omnes nascamur, cur non una item omnes ratione moriamur; sed

Mille modis leti miseros mors una fatiget.

Sola sacra Scriptura non casu ista sic fieri; sed à divina docet voluntate proficisci; atque ita quidem, ut Deum amantibus omnia, quantumvis ardua videantur & aspera, ad bonum adjumento sint, neque eos ulla vel calamitas, vel angustia, vel vexatio possit à dilectione Dei separare & divellere.

Ut autem sapientis non est communem fortunam recusare, & propriam postulare; sed quamvis id fiat; nihilo tamen secius ratum manet decretum illud: *Quod cuiquam accidit, cuivis potest accidere:* unde sapiens Hebræus mortuum inducit his verbis superstites compellantem: *Memento judicii mei; Erit enim tale etiam tuum: Mihi heri, & tibi hodie:*

Sic prudentiæ est Christianæ, nullam augendæ veræ pietatis occasionem negligere.

Hanc ergo cùm etiam hodierno die nobis Deus præbere voluerit, non decet pietatis & humanitatis studiosos sibi deesse. Vocamur enim rursùs ad domum luctus, quam meliorem sapientiæ scholam esse Regum sapientissimus, quàm domum convivii, pronunciat.

Nam post morbum sanè diuturnum & acrem, quod ex precibus, quæ in publico Ecclesiæ cœtu pro ægrotis fieri solent, intelligi potuit, qui ab aliquot jam septimanis mortem quotidie præsentissimam gustare visus est; vitam in his terris tandem suam placidè finiit vir honestus, & ab ordine nostro non prorsus alienus, NICOLAUS HERMANNUS *Cothenus*. In hujus ergo elogio pro more exponendo, ut parciores nos esse consanguinitas jubere videtur: sic eadem hortatur, quod alienis prolixè præstamus, ne id tanta nobis propinquitate conjuncto deesse patiamur.

Neque verò instituti nostri est, defunctum invidiosa laude cumulare, cujus præsertim vita, quam inter nos inculpatam egit, jam antè notior est plerisque, quàm ut cujusquam indigeat præconio: sed ut ad honestandas frequentiore comitatu exequi-

as, Cives Academicos tanto promptiores habeamus, de natalibus defuncti nonnulla delibasse satis fuerit.

Natus est NICOLAUS HERMANNUS Cothoniæ die XXIV. Ianuarij anno CHRISTI M. D. LXXV. hora quasi IV. pomeridiana, parentibus piis & honoratis, & ex familia honoratâ ortis. Avus enim BASILIUS HERMANNUS Principibus Anhaltinis in munere Magistri rationum operam navavit fidelem & industriam: Cothoniæ mortuus & sepultus Anno M. D. LXIV. Iunii mensis die IV.

Is ex conjuge sua ANNA NICOLAI, cum qua nuptias mense Februario, ANNO M. D. XXXVII. celebravit, inter alios utriusque sexus liberos suscepit filium NICOLAUM, mense Novembri anno M. D. XLI. in lucem feliciter editum: Qui post alia officia laudabiliter administrata, primùm in arce Hohnsteinia, deinde Mulbergæ Quæstor Electoralis fuit, grassante pestilentia anno M. D. XCIV. die Decembris XIX. in arce Mulbergensi mortuus, & in templo illius opidi, ubi epitaphium ipsius, ut & conjugis visitur, honorificè sepultus.

Hic verò NICOLAUS BASILII F. matrimonio sibi junxit virginem honestissimam ELISABETHAM amitam nostram. Parentes enim illa eosdem habuit, quos

parens

Digitized by Google

parens noster, piæ & felicis recordationis, Dn. VALENTINUS FORSTERUS, IC. non solùm in Germania; sed apud exteros etiam, quod scriptorum monumenta testantur, celeberrimus, Helmstadii V. Cal. Novemb. anno M. DC. IIX. mortuus: Patrem scilicet VALENTINUM FORSTERUM, ortum ex familia veteri & perhonesta, & hoc inprimis nomine celebri, quòd Principum Saxoniæ ERNESTI & ALBERTI, exarce Altenburgica raptorum liberationem fideliter juvit.

Is primam doctrinæ Lauream Lipsiæ cum laude adeptus, primùm Quæstoria præfecturâ Wittebergensi Electoralis; Deinde Senator & Judex epidanus fuit, pridie D. Andreæ Anno M. D. LIIX. mortuus. Matrem verò matronam primariam EVAM Herichs/ cognomento Platerin.

Cum horum ergo parentum filia, quam dicebamus, ELISABETHA nuptias NICOLAUS HERMANNUS cùm die Novembr. XIX. anno M. DC. LXVI. celebrasset, & post alias soboles NICOLAUM hunc suscepisset; præmaturè mortui parentes puerum illum novennem reliquerunt: Cùm autem studiorum fundamenta ille non contemnenda posuisset: cu-

ri

rārei familiaris accedente, ab excolendis iisdem non parum fuit avocatus. Iniit enim conjugium, annum ætatis XXII. agens nuptiis hīc celebratis cum virgine honesta HELENA, GEORGII HUFFNERI, civis apud Torgenses spectati filia, ex ANNA Moschwitzin, familiæ celebris itidem matronâ.

In hoc conjugio quatuor filiorum & duarum filiarum pater factus, unicam ex illis EUPHROSYNAM anno M. DC. IX. die Octobris IIX. ad meliorem vitam præmisit; ad quam ipse etiam nudius tertius intra quartam & quintam matutinam, in vera agnitione & invocatione Filij DEI, Servatoris nostri unici, placidè emigravit, cùm vixisset annos XL. M. V. d. XXVII. efferendus postea horā III. ex ædibus suis, ad sepulturam in Cœmeterium suburbanum.

Reliquum est, Cives Academici, ut supremum illi viro, qui singularis semper literatorum fautor fuit, humanitatis & pietatis officium prolixè præstetis; ut caram vobis esse familiarum laudatarum memoriam, & nostro etiam honori aliquid datum, intelligant universi. P. P. *die XXIII. Julii anno M. DC. XV.*

Exequia

Digitized by Google

XIII.

Ad convictores mensæ communis.

Quoniam à nonnullis contumaciter violari, non sine dolore intelligimus, legem illam, qua ultra tempus definitum in loco hoc sancto computandi grátiâ desidere & commorari prohibentur, quicunq; mensæ communis beneficio fruuntur: Notum facimus universis & singulis, nos in lege hac deinceps religiosè observanda, debitam adhibituros severitatem.

Si qui ergo contrà facere petulanter perrexerint: iis denunciamus, nos locum illis inter convictores non ampliùs cõcessuros; sed hoc illis pœnæ dictare, ut ad aliquot hebdomadas, aut pro ratione delicti, ad aliquot menses ab honestissimo hoc sodalitio convictuq; publico arceantur. P.P. XXX Julii anno M. DC. XV.

XIV.

Exequiæ Michaëlis Friderici Dresleri Franci.

Defi

ETSI coronarum usum in Christianis minimè ferendum acerrimè disputat in peculiari libro, cui titulum fecit, de corona militis, Tertullianus, recente nimirum etiam tum multisq; periculis exposita fidei & religionis Christianæ inter gentiles, & sub Imperatoribus in Christianos sævientibus, professione; Ut persuadeat omnibus, summo studio fugienda esse, quæ professionem sanctissimam non decerent, omnia quantumvis primo intuitu levia & ἀλλόφορα: Tamen rationes à disputatore acutissimo undiquaq; diligenter collectæ efficere non potuerunt, ut coronarum usus inter Christianos exoleseceret.

Huic autem libertatis Christianæ usurpationi tam constanti inter alia causam videntur præbuisse D. Pauli Apostoli memorabiles sententiæ. Ad Corinthios enim scribens, fideles omnes hortatur, cùm in ludis Olympicis alijsque certantes, omnia perferant, ut interituram asequantur coronam; & disciplinam severissimam observent cuncti, cùm unum duntaxat sciant esse coronandum; ut longè diligentiores ipsi sint, quibus non terrenis ac marcescentibus floribus; sed æternis, ut Ambrosius loquitur, conserta gemmis, in modum regalis diadematis spiritalis corona servatur, eaq; omnib. promissa.

De

De hac ipsa Corona loquens, verbis utitur ad Timotheum suavissimis: *Reposita est mihi*, inquit, *justiciæ corona, quam reddet mihi DOMINUS in illa die, justus judex; nec solum mihi; sed etiam omnibus, qui diligunt adventum ipsius*; cùm præmisisset, præclarum se certamen certasse, cursum absolvisse, & fidem servasse. Verissimum scilicet est, quod Mantuanus dixit:

Est multis certare datum; sed vincere paucis.

Ex paucis verò istis DEUS esse voluit juvenem pium & honestum MICHAELEM FRIDERICUM DRESLERUM *Francum*, cujus exuvias, quæ templum fuêre Spiritus Sancti, coronis pro more exornatas, ad sepulturam honestè efferendas hodiè curabunt Populares & amici; quorum petitioni honestæ negare hoc nullo modo potuimus, ut piè defuncto honorem extremum prolixè & ipsi præstaremus, & ad idem faciendum Cives Academicos programmate invitaremus publico. Non tantùm enim id juvenis defuncti merita; sed familiæ quoque dignitas postulat; de quibus pauca hoc loco consignanda duximus; pleniorem expositionem concioni, qua exequiæ honestandæ sunt, funebri relinquentes.

Igitur Parentes habuit MICHAEL FRIDERICUS DRESLERUS honestos ac nudatos. Patrem

trem quidem Virum Reverendum & Clarissimum, M. MICHAELEM DRESLERUM Ecclesiasten, & Hebrææ linguæ Professorem in illustri Francorum Gymnasio Heilsbrunna: Matrem verò fœminam sanctissimam & optimam, MARGARITAM Conbergerin Tubingensem.

Ex his anno, ut creditur, M. D. XCV. natus & sanctè educatus, sub disciplina paterna prima studiorum puerilium & pietatis fundamenta fideliter & feliciter posuit: Etsi quamvis Patre præmaturè mortuo; obiisse enim illum accepimus die XV. Aprilis, anno M. DC. X. Mater vidua mœstissima VVinshemium, quæ urbs est imperialis, se transtulisset: Ipse tamen quadriennium post obitum patris in Gymnasio illustri studiorum cursum feliciter inchoatum strenuè continuavit, donec tandem ad Academiam nostram missus fuit, in album litterariæ apud nos Civitatis adscriptus die V. Aprilis anni superioris M. DC. XIV.

Ab eo die etsi præcipuam temporis & laboris partem studijs Philosophicis perrastandis impendit; tamen ad hunc finem & scopum eadem unicè direxit, ut paternis olim vestigiis cum laude sua, & fructu Ecclesiæ Christi posset insistere. Vitam etiam egit Professioni consentaneam, & omnino ta-

lem, ut vitæ spacium longius ipsi boni omnes opraverint.

Sed certamen à summo agonotheta injunctum absolverat; stadium sibi divinitus fixũ decurrerat, fidemq; servarat. Iraq; adcapiendum βραβεῖον, sive βραβεῖον ab Apostolo pijs omnibus propositum evocatus in florem ætatis fuit. *Brevi* enim *longa tempora complevit; & quia DEO placebat animus ejus, tanto citius ca amittitum*, quæ impendere videntur, *procellis subduxit.*

Erit quidem nuncius de hoc filii carissimi inter peregrinos exitu, matri viduæ luctuosus & acerbus, præsertim tot antea suorum funeribus contristatæ. Cùm enim filiam natu maximam *Barbaram* Viro Clarissimo *M. Sophoniæ Hasenmullero* P. L. & Professori in Gymnasio Heilsbrunnensi collocasset, ante sesquiennium eandem extulit. *Elisabetham* verò Consultissimo & excellentissimo Viro *Dn. Johanni Seifrido J.U.D.* & Reipub. Winshemiensis Advocato, nuptam una cum genero ipso amisit. Reliquæ adhuc sunt filiæ duæ, quas diutissimè CHRISTVS viduæ derelictæ incolumes servet, *Anna Margarita* in matrimonio vivens Viri Amplissimi & præstantissimi *Dn. Adami Codomanni* Brandenburgici apud Byruthinos Quæstoris; & Agnes Virgo, maternæ solitudinis solatium unicum.

Sed

Sed quoscunq; mœrore hic casus affecit justissimo, eos spes illa consolari debet certissima, quòd huic etiam stadiodromo coronam justiciæ in die illo glorioso dabit justus judex IESUS CHRISTUS, cujus carne & sanguine in publico Ecclesiæ cœtu ante tres hebdomadas postremùm frui voluit, ut hoc tanquam viatico ad propinquam instrueretur migrationem. Ab illo enim die valetudine cæpit uti minùs firma, & ad inflammationem Epatis accedente febri, ut Medicus retulit, malignâ, cum fluxu alvi aliisque symptomatis, nudius tertius circa horâ VII. vespertinam in agnitione, confessione, invocatione Filii DEI, placidè spiritum Creatori & Redemptori suo reddidit, his postremùm in vita hac mortali verbis usus: Lieber Herr Christe erlöse mich bald.

Rectè ergo feceritis Cives Academici, si commilitonis vestri funus postea Hora I. ex ædibus Viduæ Selfischianæ foro adsitis efferendum, & post habitam in æde Mariana concionem funebrem, in proximo Cœmeterio humandum; frequentiore comitatu honestaveritis, vestramq; erga familiam honestissimam affectionem declaraveritis: idq; ut faciatis, magnopere censemus. P. P. die 3. Augusti Anno M. DC. XV.

XV.

Rectoris & Consilij publici nomine proposita Citatio.

FIrmissimum semper habitum fuit disciplinæ scholasticę vniculum ARRESTI Magistratu denunciati, & stipulata manu promissi fides, adeò quidem, ut hujus violatores à legibus perjuri & infames pronuncientur, & dignissimi, qui ab honestissimâ literatæ juventutis societate longè abesse jubeantur.

Hoc cùm minimè ignorare possis, vel certè debeas, I. J. B. & tamen contra datam fidem ex arresto discesseris primùm; deinde rursus hìc aliquoties visus, tamen neq; tui conveniendi potestatem quærentibus feceris, neq; dicendæ causæ gratia coram magistratu comparueris: Omni quidem jure pœnam in te statuere poteramus, quam leges dictant.

Verùm ne ullam tibi querelæ alicujus ansam reliquisse videamur; Publicè denuò te citare voluimus.

Præfigimus ergo tibi diem peremptoriam. & jubemus, ut si intra opidum vel in vicinia alicubi latitas, proximo die Mercurii, qui erit NONUS Augusti, ante meridiem horâ NONA. Sin autem peregrè abes, ita te compa-

compares, ut die mensis currentis Augusti vicesimo tertio, hora itidem NONA matutinâ in ædibus Rectoris præstò adsis, & tum violati arresti causam reddas, tum ad alia, quæ tum auditurus eris, respondeas, & sententiam ab Academia ferendam expectes.

Quòd si prius facere neglexeris, & certè indites te rursus hîc visum testati fuerint; Absq; morâ sententiam contra te latum iri scito: quod idem expectabis, si posteriore casu contumax emanseris. P. P. die VI. Augusti, anno M. DC. XV.

XVI.

Exequiæ Iohannis Utneri senis.

DEcessit heri circa horam III. matutinam ex hac mortali vita senex emeritus & grandævus JOHANNES UTNERUS. Is cùm potissimam vitæ partem in officinis typographicis consumpsisset; & componendis typis rem literariam pro viribus juvare studuisset: jam viribus decrescentibus circumspexit, ubi extremum vitæ actum paullo quietius posset consummare. Itaq; operam suam cùm Academiæ obtulisset, anno Christi M. DC. IX. Rectore tum Magnifico, Viro Reverendo & Clarissimo, Dn. Johanne Fôrstero, Sacrosanctæ Theologiæ D. &

Professore tum publico, nunc etiam beatæ memoriæ, de consensu Patrum Academicorum constitutus fuit Nosocomii intra opidum Academici curator, quod factum Aprilis die XXII.

In hoc munere septimum jam annum fidem & industriam, quo ad vires tulerunt, ita probavit omnibus, tum officii sui partes sedulò curando, tum obsequiis quoslibet demerendo, ut vitæ usurâ, si Deo visum fuisset, longiore dignus videretur. Sed cùm superioribus diebus in febrim incidisset ardentissimam, in ipso quoq; exemplum habuimus versus illius, quem in Sophoclis Oedipo Tyranno legimus:

Σμικρὰ, παλαιὰ σώματ' ἐυάζεται ῥοπή.

Quod enim febres hujusmodi facere solent, ut aut solvant, aut solvantur; id circa ipsum quoq; evênit, ut sine diuturniore cruciatu, quod unicè exoptabat, dissolveretur, & ad Christum Redemptorem, quem vivus verè cognoverat, & religiosè coluerat, placidè tranquilleq; emigraret.

Quoniam verò postremis hisce vitæ suæ annis singulariter eorum commodis servire studuit, qui de studiosa juventute in Nosocomium Academiæ, tanquam in portum æ-rumnarum suarum, confugerunt; idemque

porrò

Digitized by Google

porrò etiam facturus fuisset, si diutius vixisset: officii nostri esse judicavimus, si ad tumulus ipsius frequentia sua cohonestandum, Cives Academios significatione hac publica invitaremus. Efferetur autem postea hora IV. ex Nosocomio in Cæmeterium suburbanum, Christiano ritu humandus, & ad spem gloriosæ resurrectionis in sequestratorio terræ deponendus. Deum æternum oramus, ut pericula omnia, & inprimis morborum contagia, & bellorum, quæ passim gliscunt, incendia clementer à nobis avertat. P. P. die IIX. mensis Augusti, Anno M. DC. XV.

XVII.

Nomine Rectoris & Consilii publici significatio relegationis.

QUanta fuerit nonnullorum ex iis, qui studiorum gratiâ huc se missos esse nimis raro cogitant, proximis aliquot mensibus, intemperies; Non solùm Nos incredibili cum dolore nostro experti sumus; verùm ad alios quoque fama rumorque, idque non sine magno ordinis nostri, ne quid gravius dicamus, dedecore pertulit.

Est autem dolendum hoc in primis, quòd cùm in autores ejusmodi turbarum inquirendum est, variæ nobis & multiplices plerunque offeruntur difficultates. Quoniam enim ejusmodi facinora à lucifugis ut plurimum Turbonibus ac Tenebriombus perpetrantur;

Κλεπτῶν γὰρ ἡ νὺξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς.

secundùm Tragicum veterem; Et rectè Agesilaus censebat, τὴν αἰσχρουργίαν μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι ποιεῖν: τὸ δὲ εἰς καλλωβίαν, τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον παρέχειν: Et non raró fit, ut quibus Turpiones istos notissimos esse tantùm non constat, indicare tamen & detegere illos pertinaciter recusent: Invitissimis nobis, impunita nonnunquam enormia admodum delicta relinquí necesse est.

Verùm enim verò non semper divina dormit Nemesis; & in tenebris commissa in lucem aliquando clarissimam producuntur. Ex quo genere sunt, qui ante aliquot hebdomadas nocturnis freti tenebris, tum aliorum civium domos & in primis fenestras lapidatione barbarica infestare; tum ædes nominatim Reichenbachii violenter invadere & adoriri non sunt veriti. Ejus verò conatus importuni & illaudati etsi participes fuisse paullò plures minimè dubium est: Tamen cùm in inquirendo nihil nobis ad diligenti-

am

am reliqui fecerimus; vix pauculos indagare potuimus, qui vel ultrò peccatum suum conscientia cogente confiterentur, vel testibus convinci possent. Eos verò quoniam non omnino æqualiter peccasse omnes animadvertimus; In dictanda illis pœna rigorem lenitate quadam temperandum necessariò judicavimus.

Ac cæteros quidem, in quibus spes emendationis, & delicti qualitas ad clementiam nos flexit, hac ad salutem suam usuros confidimus: Quod nisi fecerint; dilatam non ablatam pœnam experientur. Te verò P. F. qui, toties lenitate nostra abusus, in proximo isto motu antesignanum te præbuisti, & exclusionis pœna dignus eras, magni deprecatoris hoc honori tribuentes, ad annos X. Te I. J. B. qui cæteris delictis contumacem Magistratu contemtum addidisti, ad annos totidem: Te F. L. qui itidem delicta plura contumace à judicio, ad quod vocatus fuisti, publico emanatione cumulasti, ad annos IIX. te D. K. ad annos VI. Te N. F. & te C. B. ad annos IV. quia culpæ ejusdem consortes arresti insuper religionem violastis: Te deniq; Ph. O. propter spretas tot paternas commonefactiones, & sine fine modoq; cumulata petulantiæ insignis delicta, ad annos quinq; ex hac Academia nostra relegamus, & ex urbe agroq;

Wittebergensi hoc ipso die ante Solis occasum jubemus discedere.

In hoc verò severitatis tantùm non invitis extortæ exemplum intuentes cæteri, perditos profligatosque istos mores deprehensum neminem impunè laturum, clarè cognoscant, & alieno, quod prudentum est, damno sapere discant. P.P. die XI. Augusti, anno M. DC. XV.

XIIX.

Exequiæ M. Iohannis Crusij, Consulis VVittebergensis.

QUemadmodum singulare hoc divinifavoris beneficium & argumentum prophetica prædicant literæ, si maneant in vicis civitatum Senes & anus, & homines, qui baculos in manibus habeant præ ævi longitudine: Ita ex adverso inter iræ & indignationis divinæ signa & effecta eædem numerant, si deficiant de portis senes, hoc est, senatores in curiis desint.

Si enim verum est, quod Regum sapientissimus pronunciavit, idque duobus in locis: *Ibi est salus, ubi multa sunt consilia*; innuens scilicet ibi præclarè & salutariter administrari omnia, ubi valet fidelium & peritorum hominum, qui judicare possunt, autoritas. Quis-

non

non agnoscit ex eorundem defectu, rerum publicarum ruinam esse metuendam?

Agnovit hoc ipsum poëtarum Princeps, qui juvenibus Κρείττονα τοῦ μείζονος νόον, λεπτὸν δὲ μῆτιν tribuens,

At si fortè senex, inquit, *accedat rebus agendis,*
Præteritisq; animum simul inferat atq; futuris;
Rectius is populi melius negocia curat.

Itaque Sapiens Hebræus expeti jubet senum cõsuetudinem, à quibus prudentia discatur, quam & ipsi de patribus suis didicerunt.

Quibus consentanea sunt, quæ in Jureconsultorum scholis traduntur, *Antiquiores præsumi melius scire veritatem; His, qui sunt canitie graves, esse deferendum, cùm aliis in rebus, tum in præsumptione scientiæ & morum gravitatis: Senibus eandem penè reverentiam, quàm magistratibus deberi. Senectus enim eorum, qui adolescentiam honestis artibus instruxerunt, ætate fit doctior, usu certior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum fructus dulcissimos metit.*

Experta illud est ab annis sanè plusculis hæc civitas, ut usurpare Hebræi sapientis ista jure meritoque potuerit: *Quàm decet canos jurisdictio, & seniores consilij peritia! Quàm honesta senibus est sapientia, & honoratis prudentia!*

Digitized by Google

atq; consilium. Senum corona est multarum rerum experientia, & gloriatio ipsorum Timor DOMINI. Habuit enim illa ante quadriennium præter Senatores alios grandævos, tres Consules totidemque Judices, quorum minimo natu annorum esset duo de sexaginta.

Ex illis unicus tantùm nobis relictus est, quem ut diutius superesse Deus velit, ex animo precamur. Reliquis verò intra menses supra triennium quatuor ad vitam meliorem præmissis, accessit nudius quartus vir amplissimus & prudentissimus *M. Johannes Crusius*, Consul de hac civitate benemeritus: Ad cujus exequias honorifica deductione cohonestandas ut cives Academicos pro more invitaremus rogati, quæ de ipso ἀξίωμα μόνευτα accepimus, ut animum ergà ipsum memorem gratumq; pro virili declaremus, paucis exponenda duximus.

Etsi ergo de mense & die natalitio certi nihil habemus; hoc tamen nobis à fide dignis significatum est, natum ipsum esse anno Christi M. D. IL. parentibus piis & honestis: Patre quidem Martino Crusio hujus opidi cive honorato, & proximi trans Albim pagi Bratæ judice. Matre verò Ursula Braunsl matrona probatissima & optima.

Ab his parentibus inde à prima infantia caste sanctèq; educatus & propter ingenii quæ

quæ mox in puero effulgebat, bonitatem ac præstantiam, ad studia bonarum artium adhibitus, parentum optimorum expectationem & vota superare contendit. Quoniam verò ad Jurisprudentiæ cognitionem animus adolescentis erat propensior; una cum Philosophiæ tractatione illius quoq; studium maturè conjunxit.

Atq; in Philosophicis quidem disciplinis eos fecit progressus, ut dignus fuerit habitus, cui Magistri Philosophiæ insignia & privilegia publico testimonio & judicio conferrentur, quod factum die V. mensis Martii, anno M. D. LXXIII. In Jurisprudentia verò quo tanto majore cum fructu versaretur, ea quæ publicè à celeberrimis, qui tum hic floruerunt, Doctoribus didicerat, privatim docendo tirones, augere & confirmare studuit.

Et quia res ita ferebat, ut domicilium hic suum collocandum statueret; matrimonio sibi junxit fœminam honestam & piam *Margaritam*, ex pervetusta & honorata in hac civitate Matthæorum familia natam, cujus frater *M. Burchardus Matthæus*, ducta uxore *Magni Personii* filia, post alios honores in patria gestos, Cancellarius fuit Lignicensis.

Ipsa Margarita priùs nupta fuerat *M. Paulo Ebero*, Scholæ Senatoriæ in hoc opido Rectori, *Pauli Eberi Theologi* eximii filio; qui patrem

trem IV. Id Xbr, anno M. D. LXIX. mortuum, triennio post, anno scilicet Christi M. D. LXXII. secutus, viduam sine liberis deseliquit.

Cum ea verò ad vota secundâ transeunte, cùm Calendis Novemb. *M. Johannes Crusius* nuptias anno M. D. LXXV. celebrasset; unicam tantùm filiam ex ea suscepit *Elisabetham*, quam ante annos XIX. elocavit viro item honorato & spectato *Michaëli Horn*, Senatori & mercatori primario.

Elapso post initum matrimonium biennio & paucis mensibus, in Senatum opidanum, cum consensu serenissimi Electoris Saxoniæ, *D. Augusti* &c. fuit cooptatus, & deinde anno M. D. XXCI. ærario præfectus Ecclesiastico, muneri illi per quadriennium cum laude præfuit. Tum enim iis adjunctus fuit, qui ab Electore Saxoniæ colligendis tributorum in hac diœcesi Electoralium pensionibus sunt præpositi, ad quod onus, anno M. D. XXCVI. Syndici Senatorii; sequente anno Prætoris opidani munus accessit; qui honor gradus illi proximus ad Consulatum fuit, quem anno M. D. XCII. susceptum laudabiliter administravit, & in conventibus harum regionũ provincialibus Senatus & civitatis hujus nomine adeundis, operam suam nunquã desiderari passus fuit.

Cùm

Cùm autem versus Græcus moneat,

Ἵππῳ γηράσκοντα καὶ μείονα κύκλ' ἐμβάλλειν;

impetravit, ut anno M.DC.XI. Syndici; anno sequente Collectoris tributorum onere liberaretur, quòd scilicet annum jam illum attigisset, quem senibus mustis fatalem esse exempla testantur plurima.

Verùm divina bonitas annos aliquot insuper addidit, donec tandem die XXII. Augusti, cùm sacræ concioni horis matutinis, ut solebat, interfuisset, instante meridie, febris ipsum invasit ardens, qua vires jam antea sanè languidæ mox ita fuerunt prostratæ, ut accedentibus die XXV. Augusti paroxysmis apoplecticis, postero die circa meridiem, vitam in terris suam finierit.

Singulare autem hoc misericordiæ divinæ expertus est & grato animo prædicavit beneficium, quòd recuperata loquendi, quæ amissa videbatur, facultate & confessionem suam ante obitum edere, & viatico cœnæ Dominicæ instrui, & precibus piis animulam suam *Christo* Redemptori commendare potuit; cujus beneficii compos factus in agnitione, confessione & invocatione Filii Dei *Jesu Christi* placidè, quo diximus tempore expiravit. Exuviæ corporis in æde Mariana post habitam horâ I. concionem funebrem, tertiæ matri ad diem gloriosæ resurrectionis tradentur.

Ad

Ad hunc ergo actum ut Cives Academici frequentes conveniant, & supremum pietatis & humanitatis officium Consuli pie defuncto cumulatè præstent, eos hortamur, non solùm, ut appareat nos amare conjunctionem cum honestissimo ordine Senatorum in hac urbe, quæ nobis hospitium præbet: Verùm etiam ut preces quisq; suas cum votis piorum omnium conjungat, & Patriæ salutem, cui quid tot senum obitus ominetur, Deus novit, ardentibus suspiriis ipsi æterno & misericordi Deo commendet. P. P. die XXIX. Augusti anno M.DC.XV.

Epitaphium.

Hoc sub marmore Crusius Iohannes
Dormit, Leucorei decus Senatus.
Martino genitus parente, CHRISTUM
Et Musas puer ardet, artiumq;
Bonarum & Sophiæ hinc Magister audit.
Cultorem Themidos deinde Patrum
Jungit CURIA cœtui, & probatum
In minoribus, altiora tollit
Sensim ad munia, Syndicumq; & inde
Prætorem creat, & supremo honorum
Mactat culmine Consulatu. Ut annos

Senes

Senos undecies peregit, arces
Cœlestes anima intrat, ossa terram
Margarita Mariti, Elisabetha
Hunc Patris, Soceri Hornius Michael
Volebant meritis habere honorem.

XIX.

Exequiæ Iohannis Benekenii Cellâ Saxonis.

COmitati sumus hesterno die ad dormitorium suum *Consulem* hujus Civitatis, M. JOHANNEM CRUSIUM, cujus & ea fuit merita, ut ἔφαν & κανχήσεως verbo sapientis Hebræi potuerit à patria sua dici; & ætas ea, qualis secundùm eundem sapientem, τὸ δόξις δικαιοσύνης εὑρίσκεται. Hodie ad eadem pietatis & humanitatis officium juvenem honesto & erudito, qui in ætatis flore extinctus est, præstandum invitamur.

Ita nimirum prima autumnitate & senes mori videmus & juvenes, & ut *Romana fidicen* lyræ canit,

Mixta senum & juvenum densentur funera, nullum
Sæva caput Proserpina fugit.

Non enim ignorant homines etiam absq; verbi divini luce, experientiâ magistrâ edoctos, ὅτι ἀπ' αἰῶνος ἀναθνήσκω, θανάτῳ

ἀποφαυῆ, cujus ea vis est, ut cùm omnibus sit moriendum, cujuscunq; etiam ætatis, sortis & conditionis fuerint; neq; ætatis vigor, neque roboris firmitas securitatem afferre cuipiam, vel in unicam dieculam aut horulam possit aut debeat.

Cùm autem nullo non anni tempore meminisse singulos deceat, quòd *mors non meretur, & pactum Orci nemini demonstratum* sit, ut in vera ad Deum conversione, ad beatam ex his miseriis, quibus nullo non momento hominum vita, obnoxia est, emigrationem nos præparemus, de qua ipsa re nobis existimemus mortuos concionari: Tamen jam olim consensus Medicorum autumnale tempus veluti inprimis noxiũ pestiferumq; infamat.

Afferunt autem illi rationes tum alias, tum has duas, quæ nemini obscuræ esse possunt; Unam quidem, quòd cùm extempestatibus optimæ æquales sint, sive frigidæ, sive calidæ; pessimæ verò, quæ variant maximè: autumni tempus meritò suspectum sit necesse est; cujus ferè meridianis horis calor, matutinis, vespertinis & nocturnis frigus est; Unde illud Poëtæ natum est. *(æstu,*

Cùm modò frigoribus premimur, modò solvimur Aëre non certo, corpora languor habet.

Corpus enim & æstate prægressa, & subinde meridianis caloribus relaxatum, subito frigore excipitur. Alte-

Alteram verò hanc reddunt, quoniam ex pomorum fructuumq; esu largiore, pravi in corporibus succi per autumnū exuberant, ex quib. ob ebullitionem, quam in corpore & humoribus faciunt, maximeq; in ventriculo impuriore, sanguis generatur putrefactioni accommodus, unde morbi oriuntur fontici. Itaq; veteres ad cautionem & moderationem singulos versu plerisq; noto excitare voluerunt:

Autumni fructus caveas, ne sint tibi luctus.

Habuit hic annus æstatē torridā, quę in causa fuit, ut nimia cibi potusq; copiā debilitata fuerit in plerisq; vis, quā vocant, digestiva, resoluto ob caloris externi excessū spiritu & calore innato. Nihil ergo mirū, causæ nō optimæ effectus sese exerere illi cōsentaneos.

In primis verò si cogitemus, quo pacto vivatur, causæ sunt nimis multæ, cur Dominū paulò pòst repurgaturū aream suam vereri homines nō prorsus stupidi & cæci debeant.

Hoc verò genus hominum, qui animis securis voluptatibus suis indulgere pergunt, & ea perpetuare gestiunt, quib. sibi & aliis pœnas accumulent, ut tanquam è veterno aliquando peccatorū exuscitetur: Exempla subinde Deus etiam in optimis quibusq; proponit, quorum contemplatione admoniti sapere discant cæteri.

Meminerunt autem plerique è nostris, hi primum hujus anni mensem incidisse mortem *Consulis Samuelis Selfischii*, non solam, sed obitu aliquot juvenum comitatam. Extulimus jam *Consulem Crusium*; sed ne hunc quidem solum. Quid in animo Deus habeat in anno hoc ad finem deducendo, ominari non est nostrum: sed tempore sit postulante, commonefacere Cives Academicos de habenda ratione valetudinis & pœnitentia seriò maturèq; agenda: qui finis non posttemuset deductionum funebrium.

Quamobrem non dubitamus, quin hujus etiam officium commilitoni piè defuncto prolixè nostri ordinis homines sint præstituri. Efferentur enim postea Horâ III. ad sepulturam in cœmeterium suburbanum exuviæ juvenis honesti & eruditi, HENRICI BENEKENII, quem Cellæ Saxonum parentibus honestissimis natum accepimus; Patre quidem IOHANNE Beneken cive illius opidi; matre verò ANNA Heidemans / mense Octobri anno M. D. XXCVII.

Horum cura & sumptibus ad studia bonarum artium & pietatis inde à teneris annis adhibitus, post jacta fideliter in patria, liberalis doctrinæ fundamenta, Embecam primùm, deindè Hildesiam ablegatus, eos fecit progressus, ut de consilio Præceptorum & ami-

Digitized by Google

& amicorum idoneus fuerit habitus, ut studiorum continuandorum atque ad finem optatum deducendorum gratiâ ad Academiam mitteretur.

Sic ergo ad nos anno superiore accessit, & mensis Maji die XX. in album literariæ Civitatis adscriptus operam dedit, ne quam temporis hîc agendi partem inutiliter abire pateretur; sed cum Philosophiæ tractatione accuratiore Theologiæ quoque cognitionem conjungens, cum laude aliquando ad suos reverteretur. Verùm conatum hunc laudatissimum, Deo sic volente, mors interrupit.

Ante mensem enim febri, quæ latè nunc grassatur, correptus, paullatim vires omnes amisit; & quanquam recuperandæ sanitatis spes non exigua se ostendisset, ea tamen paullò post evanuit. Quod cùm intellexisset, maturè viatico cœnæ Dominicæ instrui voluit, qua perceptâ inter ardentissimas ad Deum æternum ac misericordem preces, hesterni diei horâ quasi octava matutina CHRISTO Redemptori animulam suam placidè reddidit.

Cùm ergo in communibus studiis pietatis & veritatis divinæ ac humanæ honestè nobiscum & convenienter professioni suæ vixerit; funeris pij exequias ut præsentia sua

Cives Academici cohonestent, & nos hortamur & curatores funeris officiosè rogant, & communis fragilitatis consideratio suadet, & Parentum optimorum in unici hujus filij jacturâ respectus flagitat. Efferetur autem è domo *Andreæ* Bermis, qui tabellarij operam Academiæ solet navare, in vico habitans, cui nomen à cupro est.

Deus bellorum, quæ passim gliscere audimus, & contagionum mortiferarum pœnas, clementissimè à nobis avertat, & singulorum animos ita regat, ne sibi miseriam ipsi duplicantes, in præsens sese periculum præcipitent interitus & hujus temporis & æterni, quo nihil dici aut cogitari potest horribilius. P. P. die XXX. Augusti, anno M. DC. XV.

XX.

Exequiæ Margaritæ, Vidue M. Iob. Grusii Consulis.

MAtronæ probæ ac laudatæ officium, virtutes & ornamenta accuratè sanè post Platonem, Xenophontem & alios, ante CXX. & quod excurrit, annos descripsit Johannes Jovianus Pontanus, summus & Philosophus, & Orator & Poëta. Scitè autè fontem omnis officii uxorii facit, obedientiam, ut scilicet mariti præceptis præstò semper sit con-

tonjunx, & in re familiari traditam ab illo regulam minimè aut obliviscatur, aut contemnat, sed secundùm illam vivat.

Hoc enim si fiat, futurum statuit, ut ab illo fonte tanquam rivuli promanent veræ benevolentiæ, præcipuiq; in virum amoris & studii signa & argumenta, ut nimirum prolem ex viro susceptam amet; rerum domesticarum studiosa & parca sit; cognatorum affinium que suorum rebus viri res præponat; de absente solicita sit; in ægrum officiosa & anxia; inter familiares seditionem minimè ferat, nec domus quærat discordiam; non nimis magnam operam conferat ad cognoscendas mariti consuetudines, urbanasque familiaritates, nec ad illius secretiores actiones explorandas intelligendasq; plus æquo intenta sit, ejusque voluntati, quæ reprehensione modò vacua sit, minimè adversetur.

II.

Exequiæ Margaritæ Crucis Corp.

Qua in parte *Antonii Panhormitæ apophthegma* laudat, qui interrogatus, quibus maximè opus esse judicaret ad connubij tranquillitatem, respoderit; *nullas nec quietas, nec felices satis nuptias esse posse, præterquam si vir surdus esset, uxor cæca.* Hæc ergo & id genus alia sapienter ille disserit. Verùm enimverò longè & breviùs & nervosiùs de veris matronarũ officiis & ornamentis Petrus Apostolus cõcionatur. Kk 4 Is.

Is enim in Schola Spiritus sancti eruditus & informatus, scaturiginem obedientiæ laudabilis indagat & patefacit, quando in muliere proba primùm timorem Dei requirit, quo uno nomine studium universum pietatis complectitur. Hoc enim si adsit, tanquam arboris bonæ fructus abesse non possunt, quæ deinde subjicit, qualia sunt, studium & amor in omni conversatione Castitatis, quæ Apostolo est ἁγνὴ ἀναστροφή. Cum qua conjuncta est πραότης sive mansuetudo, omnem morositatem, fastum & acerbitatem vitans.

Huic verò virtuti comitem adjungit individuum, nempe ἡσύχιον πνεῦμα, ut modestè tranquilleq; sedulitatem præstet in suæ œconomiæ gubernatione: ex adverso verò curiositatem & inquietudinem per alienas domos discursantem, & multa scisciantem ac reformantem refrenet & coërceat. His denique omnibus tanquam colophonem addit ὑποταγὴν πρὸς τὸν ἴδιον ἄνδρα, ut cum reverentia & observantia debitâ marito obediat, & aliqua ipsius errata & infirmitatem toleret ac dissimulet.

His virtutibus egregiè ornatam fuisse matronam honestissimam, *Margaritam*, viri amplissimi & prudentissimi, *M. Iohannis Crusii*, ante pauculos dies piè defuncti viduam, vicini

Digitized by Google

& [illegible] vicini & noti omnes testantur. Nec verò dubium est, quin tantorum bonorum caussa secundùm Deum fuerit honesta à teneris annis institutio & educatio. Habuit enim illa patrem quidem *Burchardum Matthæum*, civem honoratum, cujus familiam à trecentis annis in hac urbe floruisse constans fama est: Matrem verò *Elisabetham* Watzin / omniũ matronalium virtutum laude præstantem fœminam.

Ex his parentibus proximo ante obitum D. Lutheri anno, qui fuit æræ Christianæ M. D. VL. feliciter nata, & per lavacrum renovationis in Spiritu Sancto regenerata, & secundùm præceptũ Apostolicum ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου educata; Disciplinæ laudabilis fructus peromnẽ vitam, quæ ipsi secundùm promissionem divinam & longa & fortunata contigit, uberrimos jucundissimosq; & protulit & percepit.

Imbuta enim in teneris annis verbi divini, quanta sexui isti ad salutem necessaria est, cognitione, ministerii sacri amorem ac veneratione perpetuò retinuit, & honestamorum gubernatione pietatem suam abunde declaravit. Cumq; inter prospera vitæ humanæ haud postremum locum teneat conjugii honorati & concordis felicitas: ea quoq; ipsi divinitus fuit concessa.

Ac primùm quidem annorum jam XXVI. virgo & rei familiaris administrandæ gnara, nuptum data est viro doctissimo & præstantissimo, *M. Paulo Ebero*, qui patri Theologo eximio cognominis, & Scholæ Senatoriæ, quod superioribus etiam diebus diximus, Rector fuit industrius. Is post priorem Conjugis, quæ filia fuit *D. Georgii Majoris*, Theologi itidem celeberrimi, obitum præmaturum, nuptias secundas cum ipsa Margarita Matthæi celebravit ANNO M. D. LXXI.

Verùm illo mox anno sequente absq; liberis mortuo, in viduitate triennium vixit ἀνεπίληπτος. Quo exacto rursus apostolico obtemperans præcepto, sub matrimonii jugum redire maluit, & matremfamilias agere, quàm per juventutis minimè firmatam, ut Theophylacti verba usurpemus, constantiam, ἀφορμὴν δεδόναι τοῦ ἁμαρτάνειν.

Itaque Anno M. D. LXXV. Calendis Novemb. nuptiis secundis cum M. Johanne Crusio celebratis, per annos integros XI. absque duobus mensibus, in conjugio cum illo vixit dignitatis & concordiæ pleno. Filiam, quam conjugibus istis unicam Deus dedit, *Elisabetham* Anno Christi M. D. XCVI, parentes ambo elocarunt viro spectæ

spectato & prudenti, *Michaeli Hornio*, qui inter Senatores Camerarii, quem vocant, munere jam fungitur.

De cæteris hujus matronæ virtutibus, quas in Christiana muliere D. Petrus vult elucere, nihil opus est nos plura dicere, cùm earum testimonia ab omnibus habeat luculenta, & quædam etiam hujus generis concioni, quâ honorabitur, funebri sint relinquenda.

Etsi autem minimè dubium est, quàm acerba sit filiæ generoque, ut & cæteris sanguine & propinquitate conjunctis, tàm improvisa utriusque parentis ex hac vita discessio: Tamen si εὐθανασίαν illis, quam boni omnes expetunt, divina benignitate obtigisse cogitaverint, in voluntate misericordis DEI optimâ facilius acquiescent. Ut enim concordes illi semper vixerunt, ita absque diuturniore adversæ valetudinis cruciatu, cum piissima cõfessione, & ardenti invocatione Filii DEI, vitâ finierunt. Nam cùm uno fermè eodemque momento, Augusti die XXII. in febrim amborum incidissent, & maritus die XXVI. DEO vocante præcessisset: Hoc unicè exoptavit vidua, ut non longo maritum intervallo sequeretur. Hujus voti compotem Deus ipsam fecit,

cui

cui spiritum suum die sexto post obitum mariti, ipsis Calendis Septemb. horâ VI. matutinâ reddidit.

Quod ergo pietatis & humanitatis officium nudius sextus Consulis exequiis Cives Academici cumulatè præstiterunt, idem ut postea hora I. Viduæ prolixè exhibeant, & familia honestissima reverenter orat, & nos hortamur. P. P. Dominica optimi & beneficii Samaritani, Anno M. DC. XV.

XXII.

Invitatio ad auscultandam parentationem Frid. Taubmani.

ANni jam sunt fermè ipsi septem, ex quo Vir clarissimus, FRIDERICUS TAUBMANUS ὁ μακαρίτης, Collega quondam noster desideratissimus, Academiæ tũ Rector Magnificus, VALENTINO VVENERO Mülbachio-Franco, admodum adolescenti ac penè puero, non solùm potestatem fecit recitandi publicè carmen de Angelis; sed elogium etiam tribuit, quod vel seniorum quilibet sibi ducere posset honorificum.

Vidi, inquit, *qui poëticâ sua Laurus fastidiant: quibus eam puer hic cum plausu spectaculi capit*

capite præripiat. *Sanè carmen hoc, quod nunc recitaturus est, ingeniosum est inventione; Dispositio ex arte: Elocutio Poëtica, quanta quidem esse possunt in isto ætatis & fortunæ modo.* Hæc. TAUBMANNUS in hoc censuræ genere acerrimus. Quòd si verum est illud, vatis ingeniosissimi:

Excitat auditor studium, laudatáq; virtus
Crescit & immensum Gloria calcar habet:

Quis dubitet præconium illud, non solùm eo tempore à tanto viro in loco tam illustri factum, sed ad posteritatis quoq; memóriam monumentis ipsius TAUBMANI immortalitate dignissimis insertum, stimulum esse, quo ad urgendum strenuè, feliciter cæptũ studiorum cursum juvenis animus incitetur & incendatur?

XIII.

Invecta ad auscultantes Taubmannum Frid. Taubmanni.

Ea quippe vis est testimonii semel præclaræ indoli à vitis præstantibus dati, ut devinctam atq; obligatam se intelligat, ne quid ab existimatione ac laude jam parta alienum committat. Ut enim à laudatis laudari honorificum & gloriosum; ita melius cœpisse, quàm desinere, turpissimum, *multoq; deforme amittere, quàm non assequi laudem.*

Sanè VENERUS noster haud ignõbilis, gravem sibi adversariam constitutam, quoties elogii Taubmanici recordatur, fieri non potest, quin elaborandum sibi cogitet, ut

ut quam expectationem sui concitavit, eam sustinere ac tueri, imò vincere aliquando possit.

Hujus ergo animi sui specimen rursus editurus publicum, postea hora II. finitâ concione in theatrum prodibit Academicum, & carmen recitabit de ipso TAUBMANO Heroicum. Dignum profectò argumentum in quo & tractando ingenium exerceret juvenis eruditus solum, & auscultando attentionem suam declarent ij, quibus grata est & tanti viri memoria, & animi in discipulo erga Præceptorem gratiac memoris affectio. Delectantur boni omnes bonorum virorum, & de Republ. litteraria præclarè meritorum commemoratione, atq; hanc etiam pro exantlatis maximis laboribus deberi gratitudinis significationem ipsis, profitentur.

Simul verò argumentum hoc descriptione sive deplorationes variatum est ærumnosissimi status præsentium temporum, atque ità quidem, ut in dispositione minimè neglecta videatur, quam in Epico poeta Scaliger requirit, prudentia. Agite ergo, Cives Academici, & una eademq; opera & TAUBMANI nomini honorem habitumite, & commilitoni vestro in re tam honesta ac laudabili frequentes favete. P. P. 10. Septemb. anno M. DC. XV.

Exequiæ

XXII.

Exequiæ Margaritæ, conjugis M. Laurentii Fabricii.

THomæ Apostoli, Salvatoris post infectos præsentiam oculo agnoscentis, manu attrectantis, digito perscrutantis, felix curiositas & incredulitas tum aliis in rebus, tum hac in parte plurimum universæ profuit Ecclesiæ, quòd causam præbuit sententiæ Domini & Servatoris nostri JESU CHRISTI dulcissimæ, qua *beatos* pronunciat, *qui non viderint, & tamen crediderint.*

Beatitatem antea Dominus prædicaverat discipulorum suorum, quibus ea videre & audire contigisset, quæ Prophetæ prisci Regesque desiderassent & exoptassent. Precatus item Patrem æternum fuerat non pro Apostolis tantùm, qui felicitatis illius erant compotes; sed pro cunctis, quibus illi per doctrinam suam fidei & salutis aurores ad finem usque seculorum essent futuri. Nè quis ergo deteriore fuisse conditione existimaret eos, qui tot annorum ante natum CHRISTUM millibus & vixerunt, & obie-

runt

runt, quibus neque Messiam exhibitum videre & audire datum fuit, neque nuncium de illo jam exhibito optatissimum accipere licuit: Ad omnes omnium ætatum homines ex æquo pertinere affirmat salutis, quam ipse humano generi afferat, sempiternæ fructum.

Has verò asseverationes cum ex ore Veritatis audivisset *Petrus* Apostolus; post illud tempus, quo Filium Dei ἐν σαρκὶ videre omnibus in Judæa datum fuerat; fidem commendat extraneorum, ad quos epistolam priorem scribit; qui *Jesum Christum*, quem non viderant, diligerent, eiq; confidentes, ineffabili & gloriosa ita gestirent lætitia, ut fidei suæ finem, salutem animarum reportarent. At ne lætitiæ ejusdem consortio priscos excludere velle videatur; ampse affirmat salutem exquisivisse & scrupulosè perscrutatos fuisse Prophetas, atq; ita quidem ut articulum quoque temporis, quo Messias venturus esset, indicarent, & tum subeunda illi supplicia prædicerent, tum eam demonstrarent ipsius gloriam, cujus radijs quasi per transennam frui prolumma felicitate Angeli habeant.

Adeò nimirum verum est, quod vitæ æternæ spes & expectatio inde ab exordio mundi proposita fuerit in promissionibus divinis

divinis Ecclesiæ credentium, ut idem Apostolus Petrus in concilio Jerosolymitano statuat, unum eundemq; esse consequendæ salutis æternæ in omnibus electis modum, à principio mundi usque ad finem, neq; aliter post exhibitum Messiam homines, quam ante missum eundem servari: quippe qui jam antè testatus fuerat, *præter nomen Jesu Christi non esse ullum aliud nomen sub cœlo apud homines datum, in quo nos servari oportet; De hoc Prophetas omnes magno consensu testificari, per ipsius nomen remissionem consequi peccatorum, quicunq; in eum credant.*

Hæc ergo cùm sit Ecclesiæ Orthodoxæ confessio; meritò execramur & detestamur blasphema diaboli, quæ per organa sua non desinit evomere, deliria: Nobis verò felicitatem illam, qua hactenus singulari misericordis Dei beneficio fruimur, gratulamur, eademq; ut posteritas ad finem usq; mundi fruatur, ex animo precamur, quòd nihilo nobis potiores sunt, qui vel ante exhibitum Messiam, vel ipso jam inter homines agente, salutem sunt æternam consecuti; *Sed quòd nos perinde ut illi, per gratiam Domini nostri JESU CHRISTI servemur.*

Hac ipsa fide fiduciaq; inter valetudinis adversæ molestias, & animi de suorum conditione pie soliciti angustias sese egregiè per

gratiam Spiritus Sancti sustentavit, & erec[ta] fœmina, omni matronæ piæ & Christianæ laude cumulatissima, MARGARITA, [...] xor viri clarissimi & excellentissimi, M. LAURENTII FABRICII, Hebrææ linguæ Professoris publici, Facultatis Philosophicæ & *Senioris*, & hoc tempore *Decani* spectabilis, Collegæ nostri honorandi. Quæ enim sub parentum optimorum disciplina â teneris annis hauserat veræ pietatis elementa; tum in conjugio tanti viri, tum in congressibus Ecclesiasticis augere & confirmare, tum denique in exercitiis quotidianis ad usum ita transferre studuit, ut & ipsa fidei suæ finem aliquando, salutem animæ, reportaret.

Parentes habuit ex familiis splendidis & honoratis natos. Pater ipsius ANDREAS GRJEBE vitam Schliebenæ privatam egit in fundo, ut vocant, equestri; cùm fratrem habuerit virum amplissimum, IACOBUM Grieben, qui Lipsiæ Consul fuit. Mater verò REGINA SIDONIA, nata ex familia in urbibus Misniæ mercatoris nobili Stumpfeliorum, post mariti ante annos aliquot mortui obitum, in viduitate etiamnum superstes vivit.

Ab his parentibus castè sanctèque educata & edocta MARGARITA, & ante an-

nos

[illegible]os XIIX. in matrimonium data M. L A U-
[illegible]BNTIO FABRICIO, conjugium exper-
[illegible]a fuit fœcundum & tranquillum. Mater
[illegible]nim facta filiorum quinque & filiarum
[illegible]uatuor, ex his filium filiamq; ad vitam me-
[illegible]orem præmisit; reliquos viduo mœstissimo
[illegible]eliquit.

Etsi autem dubium non est, quin morbi, [illegible]um quo per mensem jam integrum conflictata decubuit, vehementiam non parum auerit cogitatio de mariti carissimi & sobolis [illegible]am numerosæ magnaq; è parte teneræ solitudine? Tamen fidem patientiamq; suam in reliqua vita, sic in hoc ultimo illius actu cumulatè probavit. Nam & per mortem sibi aditum patere noverat ad lætitiæ, qua beatæ electorum omnium animulæ, donec in die novissimo cum suis rursus corporibus conjungantur, in Manu D E I fruuntur, ineffabilis consortium; Et Deum viduorum ac pupillorum curam nunquam deponere credebat.

Etsi item ætas adhuc vegetior morbi vehementiam superatura videretur: tamen cùm & corpus esset à prima constitutione imbecillius, & fœcunditate exhaustum; & ad febrim ardentissimam diarrhœa & ciborum nausea tanta,

quæ ab omni medicamentorum usu abhorreret, accessisset: maturè sese ad emigrationem beatam præparavit, & viatico sacro sanctæ Cœnæ Domini voluit instrui. Hac verò percepta, reliquos vitæ dies in ardentiina vocatione Filii Dei, & meditatione ac repetitione sententiarum è narthecio Spiritus Sancti depromptarum exegit, & tandem Spiritum suum nudius tertius circa ipsum meridiei tempus *Christo* Servatori placidè reddidit. Exuviæ, quæ templum fuere Spiritus Sancti, postea hora III. ex ædibus vidui in cœmeterium ædi Marianæ assitum efferentur, & terræ matri omnium ritu Christiano mandabuntur.

Vestrum est, Cives Academici, ut affectionem animi erga Præceptorem bene de multis meritum & adhuc merentem, pii gratiq; cumulatè declaretis; & tum vicissitudines rerum humanarum cogitetis, quòd qui Collegii Philosophici Decano olim cum hac ipsa *MARGARITA* nuptias celebravit, nunc eodem honore fungens conjugem desideratissimam & illo quidem tempore, quo illius auxilio maximè indigebat, effert: Tum vestram singulorum, totiusq; Academiæ nominatim verò vidui mœstissimi salutem & incolumitatem Deo æterno precibus piis cõmendetis. P.P. die XVII. Septemb. Anno

M. DC. XV.

Exequie

XXIV.

Exequiæ Georgii Landmanni Landeshuttani Silesii.

DEcrescit in dies senum utriusque sexus numerus, quorum pueritia vel adolescentia in annum incidit M.D.XL. Plures tamen supersunt, qui ex parentibus suis audierunt de anni illius æstate ut sicca, ita vino generosissimo nobilitata. At programmatum, quæ in Academia nostra fuerunt publicata, volumen primum satis testatur, cum illa ipsa siccitate æstatis illius torridæ conjunctam fuisse in hac etiam civitate morborum, sine insigni aliqua clade hominum, grassationem.

Cum illa verò narratione quando hujus, quem agimus adhuc, anni tempestatem conferimus, ut fateri cogimur verè dixisse Regum sapientissimum, *nihil esse sub Sole novum*: ita celare cives Academicos neutiquam possumus, questos illo tempore Majores nostros fuisse de quorundam ex ordine Studiosorum *ἀεργίᾳ*, qui decumbentibus contubernalibus & familiaribus nec remedia, nec cibos afferri curarint; unde non exiguum multis vitæ periculum fuerit metuendum, si

In paroxysmis relicti ægroti soli vel avidius biberent, vel in deliquium incidérent animi.

Itaq; accuratam instituerunt ad eos, qui tum studiorum gratiâ hîc vixerunt, cohortationem, ne tali tempore deesset amicis, quos propter patriam communem, aut jus hospitij, aut familiaritatem arctiùs essent complexi, & tanquam eorundem studiorum socios amare deberent. Cùm enim scelus sit, periclitantem commanipulonem, qui Aristoteli συζυγίης est, non tueri: Longè turpius esse in schola pietatis commilitonem deserere. Si quid esset contagii, se excusatos ipsos habere posse: At cùm valentibus nihil sit periculi, inhumanitatem jure reprehendi: Si cura adhibeatur & diligentia necessaria, spem bonam esse plerosq; servatum iri, quorum opera & industria, possit Ecclesiæ aliquando prodesse.

Hæc verò monita non prorsus vana aut irrita fuisse, vel hoc argumento colligimus, quòd unicum reperimus in illius anni autumno propositum programma funebre.

Quæ quidem omnia quando cogitamus; & prædicamus primùm singulare Dei beneficium, quòd cùm per mensem unum

num atque alterum hic grassentur febres; nullam tamen de negligentiâ cujusquam audivimus hactenus querelam; & gratias deinde divinæ misericordiæ debitas agimus, quòd ex tanto ægrotantium omnis sexus, & ætatis & ordinis numero paucissimi hactenus obierunt; & futurum speramus atque confidimus, ut rumorum, quos apud vicinos spargi non sine dolore cognoscimus, vanitatem DEUS ipse omnibus ostendat, neque dissipari seminarium hoc & plantarium Ecclesiæ JESU CHRISTI patiatur.

Cives verò Academicos deinceps quoque officium pietatis & humanitatis indigentibus prolixè præstituros nulli dubitamus, in curandis iis, quibus devincti sunt plurimis vinculis caritatis & necessitudinis; præsertim si cogitaverint, quinq; magistratus nostri scholastici mensibus, qui ad finem jam decurrunt, tertium hoc indici Studiosi adolescentis funus.

Obiit enim nudius tertius GEORGIUS LANDMANNUS Landeshuttanus Silesius, honestis parentibus natus. Hujus patrem ex popularibus accepimus opificio quidem lanionem; inter suos verò civem honoratum esse.

ANDREAM LANDMANNUM cognomi nem patri suo, quondam Senatori & Consu li civitatis Landeshuttanæ optimè meritos Matrem verò fœminam honestissimam URSULAM, JACOBI Kühn civis interfi ci itidem honorati filiam.

Ex his parentibus mense Februario, anno Christi M. D. XCIV. natus GEORGIUS & propter indolis, quæ in puero apparebat, præstantiam studiis bonarum artium consecratus, cùm prima illorum fundamenta in schola patria, & sub disciplina parentum optimorum laudabili præclarè posuisset, anno ætatis XV. in Suidnicense Silesiorum Gymnasium discendi gratiâ fuit missus. Ibi verò cùm per sexennium adolescentis probi & diligentis officio egregiè functus esset; de parentum & præceptorum consilio ad Academiam nostram, tanquam ad emporium bonarum artium se contulit, relatus in Album literariæ civitatis, primo Scholastici magistratus nostri mense.

Cùm autem ad sacrosanctæ Theologiæ studium animum applicasset; & quàm necessaria & utilis esset in isto studiorum genere Philosophiæ & linguarum cognitio, intelligeret: sic horas distribuit, ut omnibus istis pars aliqua cederet. In primis verò Hebraicæ linguæ tractationi accuratiori fuit

fuit deditus, & modestia morumque honestate omnium, quibus familiariter notus fuit, favorem sibi benevolentiamque conciliare studuit.

Verùm cursum hunc studiorum felicíter continuatum febris interrupit, qua Septembris die II. primùm correptus, ita statim fuit debilitatus, ut prostratis sensim viribus, morbi vehementiæ natura, Deo sic volente, succubuerit, atque ipse XIX. mensis hujus horâ III. pomeridiana placidè expirarit, annum agens ætatis XXII. quoniam ergo suum in curando illo officium populares & amici prolixè fecerunt: Futurum omnino confidunt, ut postremum pietatis & humanitatis officium in cohonestandis præsentiâ suâ popularis & commilitionis exequiis, posteâ horâ XII. ex habitatione Oeconomi in collegio Augusti ducendis, Cives Academici benevolè & cumulatè præstent; idque ut faciant, nos etiam hortamur, Deumque æternum & misericordem precamur, ut contagia morborum clementissimè avertat, & docentes ac discentes in hac Schola consetvet, & sanitati pristinæ ægrotantes restituat. P. P. die XXI. Septemb. Anno M. DC. XV.

XXV.

Exequiæ Dorotheæ, Francisci Schwabii filiolæ, infantis.

IMperatores Constantinopolitanos antiquitus morem hunc habuisse Isidorus autor est, ut ipso inaugurationis die, ad summum honoris ac dignitatis fastigium erectis statuarius vel architectus aliquot marmoris offerret genera, data optione, ex quo sibi conditorium vellent extrui. Johannem item Patriarcham Alexandrinum, cognomento Eleemosynarium sive misericordem legimus monumentum ita sibi curasse faciendum, ut manus ultima operi nunquam imponeretur: Sed ipse in solennioribus populi Christiani festivitatibus à ministrorum quodam hujus sententiæ verbis compellaretur: *Domine, sepulcrum tuum etiamnum imperfectum est: Quin ergo illud jubes perfici, cùm ignores, qua horâ fur sit venturus?*

Laudabile profectò tantorum virorum institutum, & multò sanctius, quàm illud Darij Hystaspis, Persarum Monarchæ, quem

quem Herodotus scribit, belli Atheniensibus, à quibus offensus fuerat, inferendi cupiditate flagrantem, cuidam ex aulico ministerio injunxisse, ut quoties cœna apponeretur, hæc verba ter pronunciaret: Δέσποτα μέμνεο τῶν Ἀθηναίων: *Here memento Atheniensium*.

Nam si rem ipsam putamus, hæc admonitio sævitiæ & ultionis; at quantorum vitiorum! Illa verò pietatis ac moderationis, virtutum nempe eximiarum, incentivum fuit; quod quantopere mortalibus universis, primis imisq; necessarium sit atque fructuosum, etiam vir Dei Moses in carmine illo, quod inter Davidicos Psalmos recensetur, eximio docet, ita precatus inter alia: *Domine fac numeremus dies nostros, ut sic aspiremus & adducamur ad sapientiam.*

Ad hoc ergo Spiritus sancti σωφρονιστήριον cùm rursus jam invitentur Cives Academici; non aliter significationem hanc, quam petentibus denegare nullo modo potuimus, accipient, quàm si divinitus excitentur ad perpendendum secum, quàm brevis & incerta sit, quamque subitò evanescat vita hominum.

Nata est superioris mensis Augusti die XV. horâ IV. matutina Francisco Schvvabio, Racoburgensi Saxoni, Philosophiæ Candidato.

dato, Academiæ ministro fideli & industrio, ex conjuge APOLLONIA, fœmina honestissima, filiola primogenita, quæ in sacro Baptismo DOROTHEÆ nomẽ accepit, quod parentes quotidie commonefaceret, non casu, nõ unius naturæ vi, non deniq; labore & industria; sed ut res ipsa non penitus cæcis demonstrat, IEHOVÆ *benignitate soboles parentibus conferri.*

Sed hanc ipsam filiolam, parentum Φιλοσοργοτάτων delicias, hesterni diei horâ matutinâ octavâ is qui dederat, ad se placida morte solutam recepit: Cujus exuvias in sinũ terræ, quæ omniũ mater est, Christiano ritu, in Cœmeterio suburbano inferendas parentes mœstissimi postea hora XII. curabunt.

Facient ergo cives Academici rem Deo, vitæ nostræ largitori & arbitro, gratam, ordini literatorum honorificam & sibi ipsis fructuosam, si ad cohonestandam præsentia sua pompam funebrem, quæ ex Collegio novo hora jam indicata ducetur, frequentes accesserint: Quod quidẽ ut faciant, tum voluntatis nostræ significatio movere illos debet: tum hæc inprimis cogitatio, quòd ad levandum ac minuendum parentum optimorum, in offerendis Deo conjugii sui primitiis hisce, sensum doloris luctumq; ea res

momen-

momenti plurimum habere possit; & pietas ipsa suadeat, ut ex monito Apostolico, cum flentibus flemus; & lex naturæ jubeat, ut quod nobis præstari aliquando cuperemus, in eo prolixè aliis præstando, promptitudinem nostram modis omnibus declaremus. P. P. die XXII. mensis Septembris Anno reparatæ Salutis M. DC. XV.

XXVI.

Exequiæ Iohannis Maineri VVitebergensis.

OCcupata semper virorum ab omni ævo sapientissimorum cura & diligentia fuit, in quærendis causis, & excogitandis remediis tum ærumnarum, quibus homines ab utero materno ad extremum usque halitum sumus obnoxii, multiplicium; tum verò terribilissimæ terribiliū omnium Mortis. Verùm enimverò cùm in caussa indaganda cuncti à vero aberrassent; frustra etiam laborem omnem in remediis inveniendis sumpserunt. Itaque cùm omnia, quæ de hoc argumenti genere illi laboriosè & anxiè conscripserunt, diligentissimè perlustraveris volumina; fieri aliter non potest, quàm ut

ut in ista cum Iobo verba tandem erumpas: *Molesti Consolatores estis universi.*

Sola Ecclesia Christiana Doctorem audiens Spiritum Sanctum, per Prophetas & Apostolos secum loquentem, quemadmodũ *unius Adami delicto factum* indubitato statuit, *ut omnes homines damnarentur: Sic etiam unius* JESU CHRISTI *justicia fieri credit, ut omnes homines absolvantur atque vivant.*

Hic ergo est ille ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, qui non tum demum potestatem accepit, quos vult, vivificandi, quando ex mortuis ipsum Deus excitavit: sed divinam illam virtutem ac potentiam suam tum per Prophetas virosque sanctos subinde exeruit, tum exemplis illustribus ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, & μορφῇ δούλου etiam tum gestans, declaravit, & τὰ ῥήματα τῆς δυνάμεως αὐτοῦ perfecit, *ut mortua membra*

Lecto, sandapila, tumulo consurgere possint.

Hunc ipsum peccati, diaboli mortisq; victorem, & vitæ indissolubilis largitorem hodie nobis Ecclesia proponit non solùm ut misericordem, quisq; credentium miserias consolatione efficacissima sublevare & tollere queat: Verùm etiam ut omnipotentem; quippe qui tum etiam, *cùm suprema mortis fem vitæ omnis abolevernnt, & tumulo proxima corpora jacent defunctorum*, solo attactu feretri, in quo exanimis jacet, efficere potest, ut immoti

moti stent acerbi funeris portitores; & uni-
co verbo præstare, ut è faucibus mortis re-
ractus adolescens, & ad novam vitam revo-
catus, tum matri lætitiam afferat inspera-
tam, tum ad finem usque seculorum argu-
mentum credentibus subministret univer-
sis, & prædicandi veritatem promissionum
divinarum, & fiduciam omnem collocandi
in Propheta illo magno, ad quem audiendū
voce cœlitus edita Pater æternus totum ge-
nus humanum astrinxit & alligavit.

Ad hunc ergo summum Pontificem, qui
cœlos quidem penetravit; nostris tamen in-
firmitatibus, utpote in omnibus perinde ut
nos, at citra peccatum, periclitatus, afficitur,
tanquam ad gratiæ thronum confidenter
accedamus. Hunc esse Dominum Deumq;
nostrum agnoscamus, qui à morte suos libe-
rare potest.

Hunc supplices invocemus, ut in media
morte fiduciâ nos præsentiæ suæ & spe æter-
næ vitæ erigat; & luctu gravi oppressis, libe-
rorumq; à se præclarè educatorum præsen-
tia per mortem spoliatis, suamq; orbitatem
& solitudinem deplorantibus, affatu suo dul-
cissimo veram lucem fidei & consolationis
instillet & impertiat.

Agnoverunt sanè etiã ethnici veritatis cœ-
lestis cognitione destituti, τὸν τοῦ ζῶν ἀπαλ-
λαγὴν κακῶν πᾶσιν εἶναι εἰς ἀγαθὸν μεταβολήν.

Verum

Verùm quodnam illud esset bonum, & à quo petendum & expectandum, prorsus ignorarunt. Nos verò sive vigilemus, sive dormiamus, aut etiam moriamur, illius nos DOMINI esse certum & exploratum habemus, qui se vitam salutemque nostram esse dixit; *qui moriendo mortem destruxit, & vitam perennem omnibus in se credentibus reduxit*, ut primè illi resurrectionis compotes facti, à morte secunda immunes sint, imò & Dei Christique in omnem æternitatem Sacerdotes maneant.

His & similibus consolationibus cum se suosque instruere semper studuerit, non dubitamus, quin Vir spectatissimus & præstantissimus, *Cæsar Mainer*, Quæstor olimin hac urbe Electoralis, præclare de multis meritus, eam quam antehac in suorum funeribus non semel adhibuit, animi in voluntate DEI, quæ semper optima est, acquiescentis moderationem, nunc etiam piè declaraturus sit.

Negari quidem nullo modo potest, tale tantumq; parentibus optimis nunc vulnus, Deo sic volente, rursus allatum, ut quæ cicatrice obducta jam videbantur, imò temporis diuturnitate prorsus erant sanata, recrudescant, & dolorem affectant remediis humanis vix curabilem. Verùm enimverò cùm in ethnico homine valde probetur vox illa,

Durum

Digitized by Google

Durum, sed levius fit patientiâ,
Quicquid corrigere est nefas:

Injuriam faceremus viro optimo, si de animi ipsius constantia & tolerantia dubitaremus, in casu perse quidem tristissimo; sed ejusmodi tamen, ut de remedio divinitus jam comparato constet.

Natus ipsi ex conjuge omni matronali laude cumulatâ fœmina, *Martha Friderici Pflugrueters*, olim Præfecti Electoralis & Consulis Bordensis filia, præter alios utriusque sexus liberos, ex quibus duæ tantùm filiæ, quas *Christus* conservet! supersunt, in matrimonio concordiæ & dignitatis pleno fuit *Iohannes* filius, mensis Novemb. die xx. anno M. D. XCIII. Eum à teneris annis ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου, secundùm præceptum Apostolicum, educatum id ætatis vidit attigisse, ut fructus jam educationis & perciperet optatos, & speraret indies uberiores.

Cùm enim prima honarum artium fundamenta puer jecisset solida, & Philosophiæ cognitionem sibi comparasset minimè vulgarem: ad altiora progressus etiam jam assecutus indefesso studio, & labore fuerat Iurisprudentiæ cognitionem, ut æqualibus multis palmam præripere videretur. In cultu æterni Dei sincero, & conversatione

tione cum inferioribus, æqualibus, superioribus quotidiana, talem se præbebat, ut Parentum vota superare contenderet; bonis omnibus satisfaceret, singularemque omnium favorem sibi conciliaret & benevolentiam. In primis verò hanc à puero laudem obtinuit, quòd Parentibus & Præceptoribus ad nutum planè in omnibus sese rebus præbuerit morigerum.

Talem ergo filium cùm in ipso ætatis flore, nondum impleto vitæ anno XXII. nudius quartus, ingruente jam vespera, post dierum XIIX. febrim malignam, ad quam aka quoq; symptomata accesserunt, Parentes optimi amiserint: quanto in luctu & mœrore cum familia laudatissima, cujus spes omnes in illo juvene videbantur repositæ, versentur; relinquendum potiùs æstimationi cordati & ab humanitate non prorsus alieni cujusq;, quàm oratione, ne unguis in ulcere eo se velle videamur, verbosiore prosequendū.

Itaque præter solatia parentibus & consanguineis, Christianis scilicet hominibus, notissima, unum hoc Tertulliani verbum adjicimus: *Profectio est, quam putas mortem. Non est lugendus, qui antecedit; sed planè desiderandus. Id quoq; desiderium patientiâ temperandum.*

Quoniam verò cum immortali homi- num illius & loci & temporis laude videmus

comme-

Digitized by Google

commemorari, quòd viduæ Naimeæ filium præmaturo funere elatum cives magna frequentiâ cohonestârint: Agite cives Academici, nos quoque postea hora III. *Johannis Maineri*, juvenis verè pii, modesti, pacifici, & parentibus præceptoribusque, dum fata Deusq; sinebant, morigeri exequias ex ædibus parentum mœstissimorum prodituras, in cœmeterium ædi Marianæ assitum frequentes comitemur; & Ambrosii illud nobiscum cogitemus: *Quid tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutiùs quis fuerit, tanto majore oneratur sarcina peccatorum?* P.P. Dominica resuscitati viduæ Naimeæ filii unici, Anno M.DC.XV.

XXV.

Ad Studiosam juventutem.

ANgelicis lux festa choris redit, annua mundo
Gaudia quæ toties tulit. Huc juvenesq; senesq;,
Huc matrum properate puellarumq; Catervæ,
Et Pueri ante alios, quorum mage grata supremo
Simplicitas PATRI, quàm callida delirorum
Vaframenta senum. Nostræ custodia vitæ
Cælicolis mandata animis, puerilia nobis
Ingenia æternæ si sunt in amore salutis,
Et Pueros morũ exprimimus probitate tenellos.

Ecquid enim, inflatæ nisi cæca Superbiamentis,
Sedibus extrusit Satanam, tumidique maniplos
Agminis è superis? Quorum studia omnia & artes,
Exitium humanæ struere irreparabile genti:
Ut socios scelerum atq; incredulitate negantes
Veracem justumq; DEUM, sub tristia secum
Tartara, sulfureis regna exundantia flammis,
Demergant, unde haud unquam datur exitus ulli.

Ergo Fide pueros imitemur simplice, ab ore
Pendentes Patris ætherei, fraudisq; maligna
Nequitiæq; rudes. Sic nobis regna patebunt
Cœlica, sic manibus per cuncta pericla feremur
Angelicis, ne fortè pedum vestigia lædat
Dura silex; tandemq; animam cùm jusserit ævi
Arbiter è fragili discedere corpore; dextris
Angelicis portata, sinu requiescet in alto
Thariadæ Genitoris. humo dum corpus abima
Evocet extremæ tuba nuncia lucis, ut ornes
Justicia nos CHRISTE tua, quos morte redemptos
Innocuâ, ex hominum numero tibi colligis omni.
Hîc immortalem gestantes fronte coronam
Angelicâ, dabimus plausum, aspectuq; fruemur,
Qualis es, une tuo DEUS, ô Pater unice Nati
Unigenæ; Ingeniti Nate ô Patris unice, & alme
Spiritus, à Patre ac Nato sine temporis ullo

Procedens ita principio, sit ut una Potestas
Majestasq; Patris, Natiq; & Flaminis; unum
Esse & Velle Trium, Virtusq; & Gloria, & unum.
Numen idemq; Tribus. Tibi Trino Uniq; perennes
Hymnos, & Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sabaothes,
Ignigenas inter Cherubos, Seraphosq; coruscus,
Inter Apostolicosq; Prophetarumq; triumphos
Ingeminabimus. Interea dum terra caduco
Detinet hostitio, Nos Angelus ille, precamur,
Magnus consilii doceatq; regatq; Paterni;
Et qui nunc magis extremum fecit ante furorem,
Antiqui pede prosubigat victore Draconis
Mancipia, Stygio que plurima fundit ab antro.
LEUCOREAM verò cœlestibus instruat armis,
Et palmam edomito deportet ab hoste, SIONEM.
Hanc quisquis cupis incolumem doctaq; virentem,
Pube: Deo da vota; Dei da larga ministris
Munera. Turpe suos si non alit ARA Ministros.

P. P. Solennibus sanctorum ANGELORUM, Anno Christiano M. DC. XV.

XXVI.

Invitatio ad auscultandam dissertationem de Stilo Latino.

ANDREAM ALCIATUM, qui seculi superioris anno XLIIX. Papiæ mortuus est, hoc elogio ornant plerique, quòd solus fuerit inter Iuris interpretes doctissimus, & inter doctissimos Iureconsultissimus. Cum enim Græci & Latini sermonis esset ad admirationem peritissimus; omnium primus jurisprudentiam, nimiis disputationibus & barbaro dicendi genere involutam, pristino nitori restituere, & ad veros fontes revocate conatus est.

Hic tamen tantus vir quàm diversa fuerit doctorum suæ ætatis expertus judicia, primùm hoc testatur, quòd verendū sibi quodam loco scribit, ne Latinè breviterque de jure disserendo, aliquorum sui ordinis Professorum offensionem incurrat; nec idcirco tamen elegantiorum literarum studiosis satisfaciat, qui sermonis puritatem alio in amæniore argumēto percipere, quàm in tetrica illa horrentiq; legum silva conversari malint.

Alibi

Alibi verò partim de iis queritur, qui judicio perverso, bonarum literarum cognitionem non modò Iurecõsulto nõ necessariam ubiq; inclamitent; sed contrariam potiùs, & seriis omnibus studiis blanda quadam & illicita voluptate repugnantem: partim iis respondet, qui stilum suum tanquam non planè Ciceronianum damnent; seq; non adeò veterum religiosum observatorem fuisse profitetur, quin etiam aliqua de recentioribus Doctoribus sibi mutuò accipienda duxerit, dum tamen non omnino barbara essent; sed exemplo aliquo, vel Theodosiani seculi autorũ defendi possent.

Alibi deniq; ab iis veniam sibi dari petit, qui majorem in lucubrationibus suis elegantiam requirant, quòd nimis plana humilisq; oratio sua non schematis ornetur, non dictionibus ex antiquitate repetitis abundet, non Ciceronianorum verborum majestate refulgeat. Ut enim scenæ serviret, necessarium fuisse, ne lectoribus suis Copiæ cornu in manibus habendum esset, unde & antiqua vocabula addiscerent, & figuratos loquendi modos perciperent.

Quorsum ista tam longè repetita? Ut ostendamus scilicet facilius esse vestem texere convenientem corpori Lunæ, quàm in usurpatione sermonis Latini omnibus satisfacere

facere. Nam si illa tempestate, quâ omnes olim Latinè loquebantur, tanta fuit judiciorum varietas & diversitas; quid mirum disconvenire inter eruditos hodie, quando neque gentem habemus ullam, cujus consuetudine ejus linguæ notitiam nobis solidiorem comparare valeamus; & quicquid hac in parte præstari potest, è libris autorum diversissimorum est hauriendum?

Interim tamen ut laudis est eximiæ, facultatem consequi Latini sermonis tantam, ut ad auditorum captum variare illam pro re nata possis, ad eum ferè modum quo Germanicè aliquis ita loqui possit, ut cum Svevis, Misnicis, Saxonibus colloquens præter singulorum idioma nullum callere videatur: Ita prudentiæ fuerit, facultate illa rectè apteque uti, neque ita judicium suum pro lapide habere Lydio, ut qui ab illo dissentiant, nihil sentire credantur.

Quæ cùm cogitaremus, facilè passi sumus á nobis impetrari, ut dissertationem de STILO suam publicè pronunciaret JOHANNES PETERSTORPIUS, ex nobilitate Pomerana juvenis apprimè doctus. Egregium enim nobis specimen videtur edidisse progressuum suorum in usurpando sermone illorum, *qui ex alieno seculo*, ut cum Seneca loquamur, *verba petunt*; XII. tabulas loquun-

loquuntur : Gracchus quibusdam, & Crassus & Curio nimis culti & recentes sunt. Ad Appium usq; & ad Coruncanium redeunt.

Ut autem inepti semper visi sunt eruditis, qui famam eruditionis affectantes exoletos scrutantur autores, ut quædam soli scire videantur : Ita operam dandam omnibus censemus, ut magni illius Alciati exemplo genus sibi comparent orationis, quod pro auditorii & argumenti ratione possit cum laude variari.

Et quoniam eorum nimis multi sunt, qui dum nihil nisi tritum & usitatum volunt, in sordes ineidunt; Hortamur studiosos juvenes, ut ad audiendam PETERSTORPII nostri dissertationem posteà horâ II. frequentes in auditorio maximo Collegij FRIDERICI conveniant, eique auscultandæ ita operam dent, ut suam erga hoc studiorum genus sanè utilissimum affectionem prolixè declarent.

P. P. Cal. Octob. anno
M. DC. XV.

XXIVI.

Exequiæ Laurentii Tidemanni Sueci.

CElebrata fuit olim oratorum laudibus Timantis Cithnii tabula, in qua luctuosum immolatæ Iphigeniæ sacrificium referens, cùm tristem pinxisset Calchantem aruspicem; tristiores Ulyssem & Ajacem amicos; Menelao deniq; patruo, quem summum poterat ars efficere, mœrorem addidisset; & tristitiæ omnem imaginem consumpsisset: *Patris ipsius vultum velavit, & quem digne non poterat ostendere, suo cujusq; animo dedit æstimandum.*

Confessus scilicet fuit artifex summus, neque mœroris extremi acerbitatem arte exprimi, neq; dolorem ullum cogitari posse, qui perceptum ex liberorum calamitatibus superet. Fecerunt hoc idem suo quodam modo Poëtæ, & caritatem illam, qua sobolem suam parentes prosequuntur, tacendo quàm parum dicendo; aut certe paucis verbis delibando, quàm longa tractando oratione, pleniùs adumbrari docuerunt.

Sic, ut Euripidem prætereamus, à quo pater Agamemnon filiam immolandam intuens, ab imo pectore ingemiscens, averso capite

pite lacrymas profundens, & ὀμμάτων πλοῦν προθεὶς inducitur; Quis non Virgilianum hoc admiretur?

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis.

Alio loco veluti pugnam quandam poëta proposuerat affectuum in animo viri fortis simul & pii, dum Æneam narrat vitæ filii, cui satis dedisset & nihil deberet, patris Anchisæ, à quo vitam ipse accepisset, vitam præripuisse ululatus; cumque humeris impositum patrem gestaret; filiũ, vix qui sequi posset, ponè trahere, exisse verius, quàm duxisse. Sed è medio subducto jam patre, ibi verò insita animis non prorsus efferatis Zopyra & æternitatis per generis propagationem asequendæ semina se exerunt, & præter filium oblivisci omnia patrem cogunt.

Ab eodem Poëta Laocoon inducitur, manifesto in discrimine auxilium natis ferens, mortemq; potiùs certam cõtemnens, quàm sperans ultionem; perinde ut Homericus ille Priamus pro filij cadavere castra hostium transmittit securus periculi, inermis, supplex, ad hostis pedes abjectus, prostratus.

Hæc verò & similia cogitantes, etsi negare vix possumus, *nullis Philosophorũ præceptis aut meliores aut civiliores posse evadere homines, quàm ex Poëtarum lectione.* Tamen rectiùs ista & perfectiùs in Schola Spiritus S. doceri, res ipsa testis est.

Agim-

Agite enim, cùm Agamemnone, Priamo, Æneâ, Laocoonte, *Tobiam* conferte, qui unà cum uxore filii peregrè ablegati moram deplorat, & insolabiliter luget. Ut sese parentes mœstissimi afflictant, ut dies noctesq; anxiè computant! ut sese incusant, qui *filium oculorum suorum lumen, senectutis baculum, vitæ solatium, spem posteritatis, in quo uno omnia sibi erant sita*, amandarint, imò amiserint!

Utinam verò, utinam quicunque studiorum gratia hîc peregrinantur, *Tobiæ juniori* animum gererent, & quicquid agendum quocunque loco foret ac tempore, eundem imitarentur! Futurum omnino esset, ut nullam abire horam, quæ non solicitudinem parentibus, & iis, qui parentum loco habendi sunt, afferat, persuasum sibi habentes, vitam ita instituerent, ut in oculis suorum illam agere viderentur.

Hoc verò quia nonnunquam ex animo nonnullis videmus excidere; in memoriam illis *Deus* spectaculis tristioribus revocare solet; ex quibus & illud est, quod hodiernus nobis dies exhibet. Efferetur enim posteà I. funus adolescentis, in primo ætatis flore extincti, cujus parentes optimi in remotissimis regionibus menses sine dubio, hebdomadasque & dies peregrinationis filii unici

unici solicitè numerant & reditum sibi ejusdem lætissimum, sed heu! frustra, pollicentur.

Sunt autem illi non è vulgo homines; sed inter paucos, quod à fide dignis accepimus, in patria sua honorati: Pater quidem vir reverendus, *Tidemannus Laurentii, in regno Sueciæ* Pastor Ecclesiæ *Christi* in Fogdöö, sinceræ & Orthodoxæ doctrinæ assertor & propagator fidelis ac constans. Mater verò omni matronali virtute ornatissima fœmina, *Margarita*, filia viri item reverendi & doctissimi *Dn. Reinholdi*, Præpositi & Pastoris Ecclesiæ Stregnensis, Theologi simul & Mathematici insignis.

Ex his parentibus in conjugio dignitatis & concordiæ pleno præter tres filias, quarum natu maximam *Elisabetham*, viro venerando *D. Petro Matthiæ*, Pastori inclytæ civitatis Orebroensis, elocatam; duas minores *Annam & Catharinam* domi parentum virgines vivere cognovimus, filius unicus natus est *Laurentius Tidemannus*.

Is verò cum in parentum optimorum disciplina piè sanctèque educatus, prima pietatis & eruditæ doctrinæ fundamenta feliciter posuisset; ante decennium, & quod excurrit, in Cathedralem, ut loquuntur, Schola Stregnensem à suis missus, pietatem, diligen-

diligentiam modestiamque suam præceptoribus ita toto illo tempore probavit, ut dignus fuerit judicatus, qui ad Academiam, capiendi uberioris cultus ingenii gratiâ, mitteretur.

Cùm ergo parentibus valedixisset, die mensis Iulij VII; superatis viæ periculosæ & fatis longæ difficultatibus, huc tandem, *Christo prævio*, pervenit die III. mensis VII. bris anno superiore M. DC. XIV. & quinto pòst die in album inscriptus civitatis literariæ, ita vixit, ut adolescentis boni & probi officio præclare satisfecerit. Nam & linguarum studium unicè sibi commendatum habuit; & Philosophiæ cognitioni temporis plurimum impendit; sic tamen ut Theologiæ, tanquam præcipui studiorum suorum scopi & finis ultimi, nunquam oblivisceretur. Erga populares verò & convictores, adeoque universos eos, quibus cum familiariùs vixit, modestiam & morum honestatem integritatemq; eam semper declaravit, ut nemini molestus; sed omnibus carus jucundusq; fuerit.

Verùm enimverò cùm jam spes honaesset ipsum, Deo propitiante, Patris Aviique vestigiis laudatis insistentem, in eum virum evasurum, qui operam aliquando Ecclesiæ & Patriæ navaret fructuosam & laudabilem: Mensis Augusti die XXIII. in febrim incidit mali-

malignam, quæ vires omnes sensim ita exhausit & prostravit, ut morbi diuturnitate superatus, de recuperanda sanitate pristina spem deposuerit.

Itaque cœnæ Dominicæ viatico maturè instructus, editis patientiæ & pietatis, quæ Christianum hominem decent, documentis toto ægrotationis tempore illustribus, nudius tertius, intra X. & XI. horam, appetente jam meridie, animulam suam *Christo Redemptori* reddidit, annũ agens ætatis XIX.

Nostrum est, Cives Academici, respectu habito ad familiam honestissimam, imò ad nationem Suecorum, qui religione verè Lutherana nihil habent antiquius, laudatissimam, supremum pietatis & humanitatis officiũ cõmilitoni pie defuncto cumulatè præstare, & funeris exequias, *ex ædibus Dn. Caspari Maineri*, ad ædem Marianam postea hora I. ducendas, frequente comitatu çohonestare. Ibi enim Christiano ritu humabitur.

Deus verò, *qui vulnerat & sanat; qui interficit & in vitam revocat*; parentes & familiam honestissimam in luctu tam acerbo, Spiritus sancti consolatione sustentet & erigat, & mala omnia cladesque tristiores à Schola hac patriaque universa clementer avertat. P. P. die V. Octobris anno M. DC. XV.

Signif.

XXIX.

Significatio relegationis.

XEnophontis laudatur sententia, qui ita censet, si quis magistratibus, delinquentem sui ipsius commodi causa castigantibus, pœnas irrogare velit, eum perinde facere, ac si liberi de parentibus, discipuli de magistris pœnas sumere jubeantur. Nam & medicos nonnunquam sectione & ustione uti, boni alicujus causa; & cùm magna tempestate procellis mare concitatur, solius nutus causa proræ magistrum iis rectè cunctisque approbantibus irasci, qui sunt in prora, itidemq; gubernatorem suis in puppi; Cùm ita comparatum sit, ut vel minima peccata id temporis omnia simul atterere possint.

Sumus & nos parentum, magistrórum, medicorum ac gubernatorum loco, quorum fidei curæque tot Parentum atque aliorum, quos parentum vice fungi & honorari Deus jubet, spes & vota committuntur. Occupati dies noctesq; sumus in tractandis curandisq; non tam corporum quàm animorum morbis variis & multiplicibus. Jactamur in hac cymbula Academica, tantùm non fatiscente undique, procellis subinde impro-

[illegible]mprovisis, tantoq; eampse ob causam periu-
[illegible]losioribus.

Quid aliud ergo facere possumus, quàm, officio nostro satis, quod fides cujusq; postulat, & conscientia flagitat, facere, quantam in nobis est, volumus, ut parentum, magistrorũ, medicorum, gubernatorumq; bonorum animos induamus, & severitatem imitemur, & ubi mollioribus nihil aut parũ proficimus remedijs, ibi ad secandum urendumque quantumvis inviti, progrediamur?

Quòd si studiosa juventus animo semper fixa haberet, & secum circũferret parentum ac patronorum, quorum sumptibus hic studiorum gratiâ sustentantur, vota, desideria, monita; si legum scholasticarum, quæ omnibus traduntur, tabulas & edictiones, quibus universi obligantur, Principales subdole inspicerent ac perlustrarent; Si jurisprudendi, quo singuli ad legum devinciuntur observantiam, religionem perpenderent: facile & ipsi molestia omni carere, & nos labore ingratissimo supersedere possemus. Verum quia nonnulli hac in parte nimis discordes ac negligentes, imò refractarii & contumaces reperiuntur, & propterea infortunium sibi creant: Quem alium præterquam seipsos accusare possunt?

Ex hoc numero sunt, quos Serenissimi & potentissimi Electoris Saxoniæ supremi hujus Academiæ Patroni &c. Domini nostri Clementissimi, mandato severissimo ad annos certos, à cœtu scholastico removere, & propter occasionem causamq; tumultibus gravioribus, quod nostis, datam, scholastica relegationis pœna afficere jubemur: T. R. quidem, propter provocationes & blasphemas nominis divini profanationes ad quinquennium; M. R. qui cum gladio deprehensus fuit, ad biennium; & F. G. qui in cellâ, turbas dedit, & duos sauciavit, ad triennium.

Debuisset sanè sententia hæc maturius publicari: Sed quia cum morbo per aliquot hebdomadas unus itemque alter istorum conflictatus fuit difficili & periculoso: mora nonnulla intercessit. Iam verò postquam sanitati illi aliqua ex parte sunt restituti; tres illos, quos nominavimus, ad tempus singulis præfinitum relegatos publicè significamus, eosq; hinc abesse serio jubemus.

Et quoniam simili relegationis pœnâ, propter atrocissimas injurias, quibus in loco publico, ex mera animi pravitate & petulantia, personas quasdam affecit honestissimas, ex Academia Lipsiensi publico programmate, quod ad nos pro more transmissum fuit,

die Au-

Digitized by Google

die Augusti XX. ad tres annos relegatus est G. P: Id quoque nostris significamus, & severissimè mandamus, ut quicunq; jurisdictionem agnoscunt scholasticam, intra præfinitum tempus, horum relegatorum consvetudinem ac familiaritatem fugiant, illorumq; exemplo commonefacti caveant, ne similibus delictis simile magistratus animadversionem adversus sese, cum irrecuperabili suo detrimento & dedecore, provocent. P. P. Idibus Maronianis, anno M. DC. XV.

Epigramma.

Cùm fatus Iapeto, Vates si verà loquuntur,
Formaret humanum genus;
Imbre rigasse lutum lacrymarum fertur, ut apte
Sequeretur artificem manum.
Et lacrymis miramur adhuc primordia Vitæ,
Et media fluere & extima?
Olim tempus erit, quo Vindex ille salutis,
Lacrymarum & ipse non rudis,
Qua lacrymis maduêre, genas absterget, & omnis
Sensum doloris auferet.
Qui gaudere tuis tunc cum gaudentibus, & nunc
Lacrymato cum lacrymantibus.

Digitized by Google

RECTOR ACADEMIÆ VVIT. TEBERGENSIS

COMES EMERICUS THURZO DE Bethlemffalua, liber ac Hæreditarius Comes de Arva, ejusdemque Comitatus Arvensis Supremus ac perpetuus Comes &c.

DE arctissima mariti & uxoris conjunctione & connexione verbis utitur sacra Scriptura aptissimis & efficacissimis, quando sic unum uni indissolubili copula caritatis ἁρμόζεσθαι καὶ κολλᾶσθαι, hoc est, adaptari atq; agglutinari affirmat, ut intelligatur, semel matrimonio legitimo junctos, jam non duo, sed unum corpus, tamq; præter naturam esse ab altero divelli alterum, quàm membrum à corpore abscindi.

Ut autem non omnia materiarum genera vel inter se, vel cum aliis sociabilia sunt, nec ferè cohærent, nisi similia naturâ, eaq; in

in tantum, ut findantur antè, quàm solida sunt: Ita non omnium matrimoniorum idem successus; sed nonnullorum tam tristis eventus est, ut vivi suos pati manes, & ad æternos præludere ejulatus videantur, idque tanto infeliciùs, quòd si semel malè cecidit alea, non est quod arte corrigatur.

Alii ex adverso tam suaviter inter se conspirant & consentiunt, ut gustum quendam lætitiæ ineloquibilis, quæ in beatitate illa sempiternâ cum DEO & Angelis Electi fruentur, tum ipsi sentiant ac percipiant, tum aliis repræsentet & exhibeant, unde inter illa, quibus se exornari, & apud Dominum juxtâ atque apud homines formosam fieri gloriatur, virum atque uxorem inter se consentientes & mutuò tolerantes, Sapientia numerat.

Ejus verò diversitatis causas ut curiosiùs indagare huius loci & temporis non est: Ita consideratu hoc dignissimum, quòd cùm de nulla re Ethnici sanctiùs & religiosiùs, quàm de matrimonio scripserint, ne Platonem quidem latuisse videmus, homines propter injusticiam à DEO avulsos atque aversos, in contrahendis matrimoniis infelices esse; At *qui DEO reconciliati, ipsum faventem ac propitium habeant, eos* DIMIDIUM SUUM *exoptatum reperire & consequi, cum quo tanquam,*

quam colliquefacti, & in idem confusi, ex duobus unum efficiantur, & tàm in præsenti, quàm in futura vita unum semper esse perseverent.

Quid hoc fermè est aliud, quàm quod Hebræorum Sapientes pronunciant, *eum qui mulierem bonam inveniat, mundum invenire bonorum, Deiq; favorem obtinuisse: Domum quidem & opes hæreditatem esse patrum; at uxorem intelligentem à Domino esse: Mulierem probam, bonam esse portionem, & Dominum metuentibus sorte obvenire?*

Hujus verò prosperitatis, qua nihil magis non modò ad vitam, sed beatam etiam tranquillamque vitam necessarium cogitari potest, specimen hactenus Deus nobis proposuit in conjugio viri Reverendi & Clarissimi, Dn. LEONHARDI HUTTERI, S.S. Theologiæ D. & Professoris P. Facultatis Theologicæ Senioris, & Consistorii Ecclesiastici Electoralis Assessoris dignissimi: & matronæ præstantissimæ sanctissimæque BARBARÆ MANLICHIÆ.

Illud ipsum autem cùm ex oculis conspectuq; nostro subducere divinæ placuerit voluntati; quantumvis id absq; sensu doloris acerbissimi fieri nequierit; in ea tamen nos acquiescere pietas Christiana jubet. Eadem verò cùm horretur, ut tum piè defunctorum memoriam grata prædicatione prosequamur,

quamur, tum lugentium ploranciumque societatem amemus: Improbi enim tantùm jucunda sectantur, & afflictos refugiunt: Danda scilicet opera nobis est, ut præstiti hac in parte officii laudem assequamur.

Itaq; facere non possumus, quin ea, quæ de matronæ optimæ ex Vidui mœstissimi relatione accepimus, pauçis exponamus. In lucem hanc edita est illa Augustæ Vindelicorum, Septembris die VI. An. M.D.LXV, Patre quidem Davide Manlichio, Patricii & Mercatorii Ordinis Cive ibidem honoratissimo: Matre verò Annâ Ursula Welseriana, ex nobili & perantiqua Patritiorum Welserorum familiâ oriundâ. Ab his parentibus ad pietatem, pudicitiâ & Oeconomicas virtutes inde à teneris annis assuefacta; non solùm ita se parentibus carissimis, ut consanguineos & amicos taceamus, probavit, ut præ reliquis utriusq; sexus liberis à patre tenerrimè & impensè amaretur: Verùm etiam patre orbata, Matris senio quodammodo confectæ, & cum morbis sæpius conflictantis caritatem & curam, conditionibus nuptiarum, quæ minimè deerant, luculentis prætulit, & propria negligere cõmoda maluit, quàm matri desertæ id officii denegasse videri, quod ciconiarum pullos suis reponere parentibus natura docuit.

Quamobrem & ipsa verum esse experta est, quod sapiens Hebræus dixit: *Faustam Patris precationem domos stabilire liberorum, & qui matrem suam veneratur, perinde esse ac si thesaurum comparet & recondat.* Cùm enim is, qui nunc in luctu justissimo versatur, D. LEONHARDUS HUTTERUS sociam vitæ exoptaret, qui cum sanctè tranquilleq; cum bona fama ætatem degeret, quod conjugium destinantibus unicè spectandum sapientes monent: Virginis lectissimæ pietate & virtute eximia moti ipsius amici & familiares, suasores autoresque fuêre, ut fidem illi matrimonialem daret, id quod parentis sui τὸ νῦν ἐν ἁγίοις consensu, qué magni in hoc contractu sanctissimo faciendum saniores Ethnici non minùs quam sacri Scriptores monent, accedente, imò præeunte, nuptiis die IX. mensis IIX br. Anno M. D. IC. in Imperiali Suevorum ULMA solenniter celebratis, factum.

Inde per annos XVI. hebdomadas III. & dies totidem conjuges isti vixerunt unà conjunctissimè, matrimonio usi pacatissimo & felicissimo, eaque sese mutuò fide, caritate, concordiâ complexi, ut vix ullum tranquillius beatiusque matrimonium vel sperari vel optari posse videatur. Nam quod plerique infortunij aut etiam probri loco ducunt, si liberis

liberis careant conjuges; Id piè defunctam
ita interpretatam esse ac tulisse testari pos-
sunt, qui cum ea familiarius sunt conversa-
ti, ut inexpugnabilem videns in utriusque
sexus juventute contumaciam, lasciviam,
perversitatem, sibi gratulata ex animo fue-
rit, quòd nullos aliquando post se relictura
esset liberos, quibus malè ominari neces-
sum haberet; qua in parte maritum quoque
sibi semper habuit ὀιώνυμον ex cujus ore
non semel hoc Siracidæ audiit, κρεῖσσον
πρόσθανεῖν ἄτεκνον, ἢ ἔχειν τέκνα ἀσεβῆ: Item-
que illud Euripidis;

Ἀμείνων ἄπαιδα καρπώσαι βίον.
Καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες, ἐχθίστη νόσος.

Verùm quis hîc etiam cum Tragico non
exclamet?

Ὦ θνητῶν ἀνδρῶν κἀλλείποντες γένος!
ὡς ὀδὲν ἐσμὲν πλὴν σκιᾶς εἰκῆ τότες!

Ecce enim! Hos ipsos conjuges, quo mi-
nimè quis putasset tempore, separat jam a-
cerba mors. Ægrotare enim cæpit matrona
optima proximè elapsi mensis Octobris die
decimo tertio, quo die cùm febrilis cujusdã
cruoris initia sensisset leviora ac mitiora;
postridie statim meliusculè tamen habere
visa, de usu sacrosanctæ συνάξεως,
vera ac salutari cum Deo æterno & mise-
corde reconciliatione, suæq; fidei confir-

matione seriò cogitavit, diemq; illum integrum meditationibus sacris, & audiendæ cõcioni vespertinæ, suæq; publicè coram ministro Ecclesiæ edendæ Cõfessioni cõsecravit.

Illa ipsâ autem vespera cùm jam cœnatura, malè rursus habere cœpisset; In hanc vocem audientibus qui aderant omnibus, erupit: O du getrewer GOTT/laß mich nur jetzo Morgen das hohe Genadenwerck verrichten/ darnach will ich dir gern still halten: Testata scilicet, peracto opere illo sacrosancto, ad nutum se voluntatemq; misericordis Dei paratissimam fore. Deus verò preces illas clementissimè exaudiit, vires largitus, ut postero die, nempe XV. Octob. salvis ac integris viribus, cultui divino, & sacræ cœnæ participationi, cum vera animi devotione vacare, posset.

Verùm eodem die circa vesperam, ardore febrili & quidè vehementiore correptus est, & ab eo tempore lecto affixa, calore continuo circa viscera æstuante, vires sensim ita amisit, ut nudius tertius horâ quarta matutina placidè vitam in his terris suam finierit, & indormiscere magis quàm mori visa fuerit, cùm vixisset annos L. & menses II.

Quænam verò in morbo patientiæ Christianæ specimina ediderit, quàm ardentibus votis & gemitibus ad Deum, cum ipsi dolo-

rum

sum incrementis quasi certârit; testari ii posſunt, qui ægrotanti & expiranti adstiterunt; & reliquenda nonnulla sunt concioni, quâ exequiæ cohonestabuntur, funebri. Ut unius tantùm mentio fiat, inter crebra ad Jesum Christum, Servatorem suum suspiria, sæpè illud Davidicum ingeminavit: *Ingentibus animi prtmor angoribus: Educ me ex meis periculis. Aspice meam miseriam & labores, & ignosce meis omnibus peccatis.*

Neq; illud silentio prætereundum, quòd eo ipso, quo primùm ante annos XVI. pedè in hanc urbem intulit die, ipsis Calendis Novembribus, Omnium Sanctorum festivitati antiquitus dicatis, Witebergæ nostræ & Maritо carissimo extremum Vale dixit. Is verò in lugendo & deplorando defuncto suo Patriarcham Abrahamum imitatus, postea Horâ I. exuvias Barbaræ suæ desideratissimæ, ad templum Parochiale, intra quod post habitam concionem Christiano ritu humabitur, deferendas curabit, & cui viventi ὡς ἀδελφῇ σεμνῇ debitum semper tribuit honorem; eidem ὡς συγκληρονόμῳ χάριτος ζωῆς, supremum pietatis & humanitatis officium præstabit.

Agite ergo Cives Academici, & vestram erga Viduum mœstissimum observantiam, animiq; condolescentis affectionem prolixè declarate. P. P. die III. Novemb. An. M. DC. XV.

Pro-

Programmatum
In Academia VVittebergensi diversis temporibus publicè propositorum,

APPENDIX.

(::)

I.

Ad cupidam scientiæ historialis juventutem.

SI de ullo Scriptorum genere verum est, quod Seneca affirmat, *Eadem materia suis quemq; studijs aptas colligere, quemadmodum in eodem prato hos herbum quærit, canis leporem, ciconia lacertum*: De historicis illud rectissimè usurpari nemo, opinor, negaverit.

Ut enim reliqua scientiarum, artiumque & disciplinarum genera taceamus, quarum omnium ut ministerio subinde operaq; utitur historia; sic decori perfectioniq; vicissim plurimum addit ac servit; & eam tantùm Philosophiæ partem consideremus, quæ de moribus & actionibus hominum tractat: Nihil potest cuiquam vel virtutis studioso, vel viciis dedito ac depravato in mentem venire, cujus non exempla in histo-

riis

riis vel manifesta vel adumbrata reperiantur.

Jam verò exempla propemodum legis vim habent, actantum in partem utramq; valent, ut secundùm Ciceronem, *quod exemplo fit, id etiam jure fieri plerique putent.* Eadem non minùs in turpibus illud mali, quàm *in honestis factis hoc boni*, ut Plinio videtur, *habent, quòd ea quæ* subijciunt, & veluti suadent ac *præcipiunt, fieri posse approbant:* Unde Bernardi illud natum est: *Sermo quidam vivus & efficax exemplum operis est, facilè persuadens quod intendimus, dum facibile probat esse, quod suademus.*

Qua quidem è re minus esset fortasse periculi, si non maxima foret ingeniorum ac voluntatum, partim à natura orta, partim educatione & assuefactione confirmata, improbitas & malitia. Itaque hoc ipsum animadvertens *Plato vetuit audienti juveni dici, quòd qui iniquissima facinora perpetret, nihil mirum committat.* Addita quidem ratione, *quòd adolescentes mentis inopes honesta ac turpia non satis queant internoscere, & quæ in tenera illa ætate opinionibus confirmantur, difficillimè elui evelliq; consueverunt.*

Satius ergo, ut Senecæ placet, *esset in oblivionem ire scelerata facta, ne quis eadem postea disceret improbus.* ἀ χρὴ καὶ ἐδεῖ τὰ τοιαῦτα τοῦ

Οὕτω καλῶς ἔχει διδόναι τῇ λήθῃ, inquit Synesius, consentiens cum Cicerone, qui non vult eam rem commemorando renovari, cujus omnino rei memoriam omnem tolli funditus & deleri oportebat. Verùm enim verò hoc lege historiæ non patiuntur; & rectè Philo dixit, *ad exempla vitæ pertinere, ut non celetur, quicquid insigniter in maleficijs juxtà atq; benefactis præeminet, ut alteri supplicium contingat, alteri præmium. Præcipuum* enim ex Cornelij Taciti mente *munus annalium est, ne virtutes silentio urantur, utq; prævis dictis factisq; ex posteritate infamiæ metus sit.*

Quamobrem cùm & necesse sit res tam notabili, ut idem loquitur, dedecore, quàm per honestum insignes historicos exequi; de maxima sit in plerisque judicij imbecillitate: Magnopere probandum & perquam utile necessariumque videtur majorum institutum, qui vel hanc ob causam, ut alias jam prætereamus, publicam historiarum enarrationem in Schola retinere voluerunt, ut ij, qui propter infirmitatem ætatis judicio minus valent, citra offensionis aut prolapsionis discrimen in historiarum cognitione versari assuescant.

Hanc verò provinciam cùm jussu Serenissimi atque illustrissimi Principis

Digitized by Google

ac Domini, Dn. CHRISTIANI II. Ducis Saxoniæ, Electoris &c. Domini mei clementissimi, amplissimus Senatus inclytæ hujus Academiæ demandare curæ meæ voluerit: Meum non fuit & Principis celsissimi autoritatem defugiendo, & Patrum Academicorum voluntati reluctando hoc munus, quod judicio mihi injungeretur honestissimo, recusare.

Quare quod felix faustumque sit! statuit CHRISTO operas nostras dirigente ac prosperante, periculum facere, quid in hoc genere fieri gerique à me possit, bona cum spe, id si non futurum sit eximium; certè in multis aliquem locum habiturum, studiisque literatæ juventutis non prorsus nihil utilitatis allaturum: Cui quidem hoc habeo polliceri, me quantum diligentia, fide ac sedulitate, pro viribus à DEO concessis præstare potero, perfecturum, ut neque delati mihi muneris auctores judicii de me honorifici, neque auditores assiduos studij temporisque impensi pœniteat.

Cæterùm diu multumq; cogitanti mihi, quonam ab autore prælectiones historicas auspicarer commodissimè, visum tandem fuit eorū qui ante nos professioni historicæ

cum laude præfuerunt, insistere vestigiis, & PHILIPPI MELANCHTHONIS CHRONICON declarandum atque illustrandum suscipere: De cujus consilij rationibus, aliisq; nonnullis, quorum consideratio scriptorum explicationi præmitti præfando solet, inter initia operarū auditoribus ea proponemus, quæ & necessaria & utilia videbuntur.

Interim satis fuerit, Iohannis Bodini, hominis Galli, de Chronico Philippi vel censuram vel elogion adscribere: *Est aliquanto copiosior*, inquit, *in disputationibus de religione; ut erat religioni ac pietati deditus: Quæ odiosa videntur, præteriri facile possunt: Cætera, quæ in universum de rebus pub. clarioribus dici potuerunt, breviter & accuratè complexus mihi videtur.*

Quoniam verò consvetudo tenuit, ut autorum interpretationi atque enarrationi oratio publica præmittatur, quæ cum professione singulorum conveniat, atq; ad eandem propriè pertineat: Morem laudatissimum nos quoq; servabimus, & PHILIPPI MELANCHTHONIS, qui historiarum studium & ornavit scriptis luculentis, & in scholam hanc primus introduxit, HISTORIAM contractā comprehensam brevitate repetemus.

Essi

Etsi autem ejusmodi hoc argumentum à nonnullis possit existimari, ut plus fastidij, quid dicamus gravius, metuendum, jam laudis expectandum inde videatur: tamen perfecturos nos confidimus, ut & illi, quibus pleraq; jam sunt notissima, ex renovata commemoratione nonnihil jucundæ voluptatis; & quibus ignota sunt, quorum haud exiguus fortè numerus est, fructum ex eorundem cognitione minimè pœnitendum percipiant.

In quo tamen si desiderio votoque nostro eventus non ad plenum, quod nollemus, respondent: Hoc quidem certè nos speramus effecturos, ut optima in persuasione de Philippo Melanchthone cõfirmati, cupidius accedant ad cognoscendum illius Chronicon AUDITORES: Quos rogatos amanter & officiosè volumus, ut auscultaturi oratiunculam nostram crastino die, quod CHRISTUS fortunet, hora IX. in auditorio majore; Ad prælectionum verò initium Jovis proximo, hora III. pomeridiana, in schola Philosophorum frequentes conveniant. P. P. die Bartholomæi Apostoli, Anno CHRISTI M. DC. VI.

II.

STUDIOSÆ HISTORIAlis scientiæ juventuti.

QUanti vetustas proverbium illud, quod Hesiodo Lucianus tribuit, ἡ ἀρχὴ ἥμισυ παντός, fecerit; inde satis liquet, quòd tum apud Græcos Philosophorum ac Medicorum Coryphæi, tum apud Latinos Poëtæ nobiles idem usurparunt. Plato enim in lib. VI. legũ illud non solùm simpliciter, quemadmodum & Aristoteles lib. V. Polit. retulit; verùm etiam sententia sua corrigens, *Principium plus quàm dimidium totius esse affirmavit*; quod idem Aristoteles lib. 1. Ethic. Nicom. fecit, alludens utrique ad hoc, quod in Hesiodeis, quæ extant, legitur τὸ πλέον ἥμισυ παντός.

Nedicamus de eo, quod in X. tmemate problematum legitur, ἡ ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον ἥμισυ γάρ.

Galenus autem lib. IX. de decret. Hippocrat. cap. 1. ut & lib. 1. de sem. cap. V. Platonem & Aristotelem allegans, *nullum opus* ait *neq; opifici cuilibet, ipso apto ac conveniente principio majus esse existimandum, cùm principium non modò dimidium totius, verùm etiam*

ex Aristotelis confessione, facultate totum ipsum fit. Apud Latinos verò illa Poëtarum notissima sunt; Horatij quidem ad Lollium lib 1. epist. *11. Dimidium, qui cœpit, habet;* Ausonij verò epig. XXC. *Dimidium facti est cœpisse.*

Iam verò cùm adagij sententia sit, *cujusque rei potissimam partem principium esse,* ut Cajus lib. 1. ad l. XII. tab. loquitur, operisq; inchoationem plurimum afferre momenti ad ea, quæ sequuntur: Vnde etiam *omne principium divinum esse ac censeri,* inter Platonis placita sancitum, & à Proclo, ut Cælius Rhodig. lib. 1. cap. 11. & lib. XIV. cap. IX. scribit, repetitum fuit: Meritò curam hanc viri sapientes suscipiunt, ut *omnium operum,* maximè verò illorum, quæ posteritati elaborantur, *principia,* juxta Pindari monitum, Olymp. od. VI. *illustria & speciosa statuantur,* ad architectorum scilicet exemplum, qui in amplis & magnificis ædificiis vestibula magnificentiora extruunt, eaque columnis & marmore exornant.

Huic ergo præcepto cùm in proœmio CHRONICI Philippei obtemperatum esse animadvertissemus: Dandam nobis operam duximus, ut explicatione illius paullo accuratiore & ipsi principiũ prælectionum

historicarum splendidius & magnificentius facere conaremur: qua quidem in re an voto responderit eventus, alios judicare volumus. Nobis quidem, tantum abest, ut satis illa, quæ hactenus præstitimus, faciant; ut nobilissimæ inter prolegomena partis, quæ de MONARCHIIS est, declarationem etiamnum auditorio nostro deberi agnoscamus atq; ultrò fateamur.

Hoc ergo nomen ut maturiùs dissolvatur; ad operas prælectionum usitatas reversi, ea, quæ libro I. continentur, quanta omnino fieri poterit, brevitate absolvere studebimus. Et quia pleraque in Philippeis *tam manifesta sunt*, quemadmodum de Scripturis D. Augustinus, tractat L. in Iohan. loquitur, *ut potiùs auditorem, quam expositorem desiderent: in ijs non immorabimur, ut necessarijs, in quibus immorandum est, sufficiat tempus.*

Ordiemur autem, CHRISTO propitiante, primum Chronici librum ad diem Iovis proximum, bona cum spe, fidelitati atq; industriæ, quæ pro virili præstabitur, nostræ auditorum assiduitatem diligentiamq; neutiquam defuturam. P. P. III. Id. Ianuar. Anno M.DC. VII.

Ad

III.

Ad Studiosam historiarum juventutem.

CRastini diei horâ III. quod CHRISTO propitiante faustum & felix sit! ad operas prælectionum historicarum reversi, doctrinam nobilissimam de IV. summis Imperiis, quas κατ' ἐξοχὴν Monarchias vocant, ordiemur, quæ in Chronico Philippeo partim inter παρεγόμενα, partim sub finem libri primi breviter quidem; sed satis nervosè ac solidè proponitur.

Etsi autem non dubitamus, quin hæc ipsa significatio studiosam juventutem ad doctrinæ tam utilis juxtà ac necessariæ jucundæq; significationem, vel citrà longiorem commendationem sit invitatura: Tamen ne quid in nobis desiderari patiamur, hoc etiam addere placet, quòd hæc ipsa doctrina jam inde ab ævo B. Lutheri magno omnium consensu in hac Schola retenta ac propugnata, adversarios habeat nec paucos numero, nec autoritate ignobiles: inter quos velut antesignanum nominare jam satis fuerit *Johannem Bodinum Andegavensem*.

Is enim cùm in Methodo historica confutationem ex professo suscepisset eorum, *qui IV. Monarchias aureasq;* (sic enim titulus capitis

tis VII. mi habet) *secula statuant*, & nostros non prorsus elingues & enerves expertus fuisset: inopere *de Republica* non satis habuit, opinionem semel conceptam defendere ac tueri pertinaciùs: Sed magno conatu hoc passim egit, ut cùm universam de IV. Monarchiis theoriam & tractationem *vanitatis atq; erroris* convinceret, tum Monarchiæ Romanæ *ἀξίωμα* Germanis adimeret.

De horum verò majoribus admodum hoc memorabile, quòd strenuam C. Julio Cæsari in paranda Monarchia navarint operam. Sanè Appianus ubi Gomphos Thessaliæ opidum à militibus Cæsaris expugnatum direptumque narrat, famelicos Cæsaris milites (utpote metu omni per absentiam hostium vacuos & liberos) ejus opidi copiis se affatim explesse & ingurgitasse ait: *Germanorum* verò *insignem ebrietatem* & ridendam cæteris minimè tacet; idq; non desunt ex recentioribus, maximè Italis, qui pessimam in partem interpretentur.

Verùm ipse Cæsar, qui de sex prælio uno die ad Dyrrhachium feliciter factis agens, *Germanos munitiones egressos, complurib*us (è Pompejanorum numero) *interfectis, se incolumes ad suos recepisse, scribit*; in sequentibus Gomphorum expugnationem & dire-

ireptionem exponens, nihil ejusmodi nar-
at,

Plutarchus verò, capta urbe illa, Cæsaris exercitum nō modò commeatuum copiam luculentam nactum; sed etiam morbo mira ratione liberatum refert. *Vinò* enim, cujus illic magnum numerum invenerant, *largiùs hausto, morbum illos propulsasse, & tùm comessabundi ac bacchabundi in via vagarentur, in diversam corporis habitudinem fuisse conversos affirmat*, nulla Germanorum mentione peculiari ibidem adjectâ.

At verò Florus Victoriam in pugna Pharsalica partam Germanis magna ex parte videtur adscribere. *Non minùs*, inquit, *admirabilis illius exitus belli. Quippe cùm Pompejus adeò equitum copiâ abundaret, ut facilè circumventurus sibi Cæsarem videretur; circumventus ipse est. Nam cùm diu æquo Marte contenderent, jussuq; Pompeji fusus à cornu erupisset equitatus: repentè hinc signo dato, GERMANORUM cohortes tantum in effusos equites* (quorum erant VII. millia) *fecère impetum, ut illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatus levis armatura ruina comitata est. Tunc terrore latiùs dato, turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta est.*

Hæc Florus non sine exima Germanorum gloria; de quibus aliàs commodior dabitur disserendi locus.

Cùm autem permagni interfit tam Ecclesiæ, quàm reipublicæ, & depositum sanæ doctrinæ à majoribus relictum ad posteros illibatum atque incorruptum transmitti; & de tantis rebus rectè informari juventutis judicia: Rem nos facturos existimamus neque à professione nostra & instituto lectionum historicarum curriculo alienam, neq; studiis literatæ juventutis in fructuosam, si in monstrandis veræ de re tanta doctrinæ fundamentis, & refutandis adversariorum præstigiis sophisticis nonnihil operæ ponamus & temporis.

Ut enim jam satis superq; eventus veritatem vaticinii Apostolici confirmavit: Ita certò nobis universis ac singulis persuasum esse debet, quòd nunquam defuturi sint ad finem usq; seculorum homines κυριότητα καταφρονοῦντες, τολμηταὶ, αὐθάδεις, δόξας δὲ τιμῶσι βλασφημοῦντες. 2. Pet. 2. v. 10. P. P. IIX. Cal. IXbr. Anno M. D C. VII.

In

IV.

In tumulum Dn. Ludovici Person I. U. D. Consiliarii Elect. Saxon.

SCOTIA cui proavos, caram CYGNEA parentem,
MISNIAS, & cunas LEUCORIS alma dedit:
Patria quē studiis felicibus imbuit, & quas
GERMANI celebrant AUSONIIq; Scholæ:
Inclyta quem JURIS jussit BASILEA vocari
Doctorem, & facta LEUCORIS esse probat:
Cujus posse diu se optavit SAXONIS uti
CURIA judicijs, AULAq; consilijs:
Hac LUDOVICUS humo tegitur PERSONIUS: At non
Cum cinere hic gelido cuncta sepulta jacent.
In natis nomē, libris q; & in ore bonorum,
In CHRISTI vivit mens renovata manu.

Mox soboli Genitor reddetur, amicus amicis;
Exuvias repetet mens ubi lata suas.

Obiit Dresdæ mens. IIXbr. Anno M. DC. VII.

V.

Ad Studiosam historiarum juventutem.

PRæclarè dixit, quicunq; dixit; *Reprehendere quidvis non esse difficile; præsertim ambitiosis & contentiosis naturis: At verè reprehendere errorisq; convincere, non aquè esse facile.*

Hujus rei exemplum nobis evidentissimum præbet Johannes Bodinus. Is enim Φιλοδοξίας potiùs, quàm Φιλαληθίας impulsu præclara veterum de multis doctrinæ politicæ partibus judicia conatus est refellere, quod verbosiùs hoc loco docere neque oportet, neq; opus est. Præter cætera verò *in Methodo*, quam vocat, *historia*, peculiari capite erroris crimen illis impingere non est veritus, qui IV. Monarchias statuunt.

Etsi autem ex nostris quidam viri docti & præstantes ad confirmandam sententiam veram

ram, & detegenda Bodini Sophismata operam contulère laudabilem: Tamen adeò non cessit illis disputator captiosus, ut in recentiore *opere de Repub.* caussæ illius patrocinium de integro susceperit. Cùm autem permagni interfit studiosam historiæ scientiæ juventurem, quid de hac controversia statuendum sit, accuratè doceri: Necessarium omninò judicavi, ut priùs quàm ad secundum Chronici Philippei librum progrederer, in explicanda hac doctrina paullo plus operæ ponerem & curæ.

Itaque nonnulla superioris anni mensibus postremis præmisi, quæ instar προοιμιακῶν ad hoc argumentum declarandum pertinere visa sunt. Illis ergo deinceps examen subjungemus rationum Bodini, ut earum imbecillitate perspecta, tanto constantiùs retineatur vera sententia.

Ad eam verò tractationem cùm die perendino, horâ consueta, quod CHRISTUS fortunet, redituri simus: Non tantùm iis, qui hactenus sedulitatem nobis suam probarunt, ut idem porrò etiam faciant: Verùm cæteris etiam, ut illis se possint adjungere, hæc significatio proponitur.

Etsi

Etsi enim neq; decore admodum sunt hujusmodi de auditorum indiligentia conquestiones; & ab illis anni ineuntis operas auspicari ominosum videri queat: Tamen si vera fateri volumus, idem in Academiis non raris usu venire solet, quod de Andronico Citharœdo [illegible]cnæus retulit. Is enim cùm Mylasam [illegible]egrinatus appulisset, delubra multa, homines paucos intuitus, in medio foro stans clamabat: ἀκρόασιν κοίαν.

Ad eundem, inquam, modum columnas fermè & subsellia nonnunquam pro auditoribus compellari necesse est: Quod profectò mirari aliquis jure possit in doctrinæ genere non minùs jucundo quàm necessario atque utili, & in tanta plerorumq; in hoc ipso genere ruditate, quæ in exploratione studiorum subindè deprehenditur.

Sed querelis vel ominis causâ nos abstinere velle dicebamus. *Quòd me pauci audiunt, magis ipsis nocet, quàm mihi*, in epistola quadam magnus ille Joachimus Camerarius scriptum reliquit. Mè verò illud consolatur, quod Arrianus suggerit: ἐποίησα ἐγὼ τὸ ἐμὸν· εἰ δὲ καὶ σὺ τὸ σὸν ἐποίησας, ὅρα αὐτός· ἔστι γὰρ τῆς κακείνης κινδύνου· μὴ σε λανθανέτω. XXIV. Januarii, Anno M. DC. IIX.

Ad

VI.

Ad Studiosam historiarum juventutem.

IOsephi Patriarchæ historiam, quam diligentissimè considerandam non sine causa in Chronico Philippus Melanchthon omnibus commendat, prolixiùs quàm constitueramus, crescente sub manibus in tanta rerum optimarum copia argumento; at longè breviùs, quàm ipsius dignitas & præstantia meretur, hactenus perlustravimus. Cùm autem Spiritum Sanctum non piguerit hoc virtutis, quanta in hominem videtur cadere posse, eximiæ exemplar absolutissimum & prorsus singulare, tam accuratè posteritati universæ contemplandum atq; imitandum proponere: Futurum omnino putaveramus ut paullo plures ad cognitionem historiæ tam raræ, tamq; jucundæ & utilis accederent.

Sed idem ferè nobis accidit, quod vel pictoribus, qui si Thersitem aliquem depictum proponant, spectatores emptoresque citiùs inveniant, quàm si Achillem aut Scipionem in pergula ostentent; Vel ipsi Deo, qui homines quotidie producens, quibus

mens

mens sana in corpore sano est, pauciores habet opificii sui admiratores, quàm si monstrum aliquod mente & corpore distortum ac depravatum in lucem prodire patiatur.

Verùm inter alia vitæ quotidianæ πάθη hoc quoq; tolerandum est. Nos de pristina diligentia fideq; nihil remi suri, in cæpto semel cursu, quo ad vires divina subministrabit gratia, strenuè pergemus, & posteriorem partè Periodi quadringentorum & triginta annorum, quam Abrahamidarum exilio & ærumnis inter peregrinos Deus præfinivit, annorum scilicet CC. XV, crastino die, CHRISTO favente, auspicabimur. P. P. XI. Cal. April. Anno Christi M. DC. IX.

VII.

Exequiæ Augustini Fridschii VVitebergensis I. U. D.

QUod de vitæ suæ cùm fugacitate, tum calamitate Jacobus Patriarcha, non in sapientum scholis eruditus; sed experientia diuturna edoctus asseverat; dum de ætate integ

interrogatus sua, paucos & malos dies annorum vitæ suæ fuisse Pharaoni respondet: Id non dubitamus, quin & animo subinde versaverit, & sermone frequenter usurpaverit vir Clarissimus & consultissimus, AUGUSTINUS FRIDSCHIUS J. U. D. civitatis hujus, ut Majores nostri loquebantur, filius.

Viderat sanè Jacobus non paucos in vita dies jucundos & glorioſos, quorum cogitatio vocem ipsi pietatis plenissimam expressit, qua longè inferiora innumeris, quæ acceperat, Dei beneficijs merita sua fatetur. Verùm illorum memoriam ita aboleverant tot annorum ærumnæ ac dolores catenati, ut non aliter, ac si nullum habuisset in omni vita diem hilarem ac fortunatum, quem creta aut albo insigniret calculo, carbone & atris calculis notandos universos pronunciârit.

Cumulavit itidem D. Augustinum Fridschium maximis benignitas divina beneficijs, in quibus ut ponderandis ac prædicandis minorem se miseratione Dei, qua erat pietate, ultrò ipse agnovit & professus est: Ita commemorandis & recensendis neque planè mutos, neque nimis verboſos nos esse par est.

Habuit

Habuit Patriam eam urbem, cujus civem esse non minùs sibi glorioſum duxit, quàm ſi Athenis Atticis natum ſeſe gloriari cum Platone potuiſſet. Habuit parentes, qui filium bene honeſteq; natum, bene honeſteq; inſtituendum curarunt; & eo quidem cum profectu, ut annum ætatis agens vicesimum, optimarum Artium & Philoſophiæ Magiſter renunciatus fuerit, quod factum anno M. D. LXXII. die IV. Martij Habuit hoc præ commilitonibus alijs peculiare, quod ſexenn o poſt in eorum, quos Adjunctos vocant, numerum à Collegio Philoſophico die XII X. Octobris receptus, elapſis deinde XIV. annis Decani per ſemeſtre æſtivum munere in eadem Facultate functus eſt.

Neq; hîc ad honores adſcendendi hæſt terminus: ſed ejusdem ætatis exitu, jubente ita laudatiſſimo Principe Electoratus Adminiſtratore, Advocatorum Curiæ Electoralis Provincialis numero adſcriptus, & interjectis aliquot annis, Doctoris in utroque Jure titulo & inſignibus VII. Martii, Anno M. D. II C. ornatus fuit. Acceſſit his omnibus conjugii non minùs fœcundi, quàm honorati felicitas, in quo XII. annos, & quod excurrit, ità vixit, ut quatuor filiorum adhuc ſuperſtitum, & unius filiæ jam defunctæ factus ſit parens.

Verùm

Digitized by Google

Verùm enimverò, tot tantorumq; bono-
um suavitatem valetudinis plerumque in-
certæ, & postremis hisce annis admodum
dflictæ ac planè postratæ acerbitas ita ex-
inxit, ac tantùm non delevit, ut dies vitæ
sius non modò paucos (quippe cùm annis
VII. mensis duntaxat unus, & dies tres ac-
esserint) sed etiam malos fuisse, ac præclarè
im ipso actum, quibus familiariter notus
ir, fateri cogantur, quòd vitæ curriculum
conclusit fine, qui & Christianum homi-
em decet, & Christianis singulis expeten-
us est unicè, & animulam suam CHRISTO
rvatori commendans, nudius quartus
ulò ante VII. vespertinam placidè obdor-
ijt.

Qua de re cùm in concione funebri ex o-
Reverendi Dn. Pastoris plura simus audi-
ri: Non dubitamus; quin & honoris er-
, quem defuncti memoriæ, & familiæ ho-
estissimæ debemus, & testificandæ suæ tum
auscultandis sacris concionibus pietatis,
im de mortuorum resurrectione fidei ac
ei gratia, pompam funebrem, quæ hora II.
ædibus defuncti ducetur, sua præsentia
ives Academici sint cohonestaturi: Idq; ut
equentes faciant, universos ac singulos
ortamur. P. P. die XVI. Mens. Novemb.
n. M. DC. IX.

P p Extquia

VIII.

Exequiæ VVenceslai, Andreæ Uvvaldi Quæstoris filii.

DUo nobis in historia sacra proponuntur exempla caritatis tùm erga sobolem propriam, tum in universum erga genus hominum eximia; Unum Davidis Regis, alterum CHRISTI Servatoris. Nam dolorem ut taceamus, quem in morte ejus filii, qui patrem regio dejectum solio fuerat hostiliter insectatus, pater patientissimus declaravit: Quis cogitatione adsequi, aut verbis exprimere potest adfectum illum animi paterni, quòd supplicationibus, jejuniis lacrimisque DEUM flectere studuit, ut filiolum desperato morbo oppressum sanitati restitueret?

Quanto verò amore parvulos CHRISTUS dignatus fuerit, inde profectò satis superque intelligimus, quòd tum suaviter eos adsedeductos amplexatur; tum discipulis illorum adytu prohibentibus indignatur; tum regnum DEI *Talium* esse adsevera; tum denique, manibus impositis, eis bene precatur.

Nimirum si quas ex doctibus illis, quibus Conditore, hominum amantissimo fuimus ornati, habemus reliquas; inter eas haec eminet adfectio, de qua sani omnes fatentur, nul-

Digitized by Google

nullo arctiore vinculo, nullo minùs solubili nexu, quàm eo, quo parentes liberis devinciuntur, hominem homini jungi. *Multa volumus Patriæ debere; multa parentibus; multa debemus multis. Sed filiorum causa omnia volumus. Per ferrum, per flammas itur intrepidè, si filiorum caritas postulet. Nullius incolumitas homini suavior, nullum funus acerbius magisq; luctuosum.*

Hujus ergo pietatis cùm æstimatores parum æqui vel grati nonnunquam esse soleamus: præter illa sacræ historiæ exempla, & sapientum scita, admonitores nobis subinde ob oculos Deus proponit, quorum intuitu ad amoris filium considerationem velut è æterno expergefacti excitemur.

Quorum in numero ut aliàs alios; ita nunc esse voluit Virum præstantissimum & spectatissimum Dn. ANDREAM USWALDUM, Quæstorem in hac Præfectura Electoralem. Huic enim cùm ante quadriennium post amicitia concordis & fœcundi conjugii pignora filiolum dedisset WENCESLAUM, qui & Avi sibi cognominis, Quæstoris quondam Chemnicensis, Viri integerrimi, memoriam parenti optimo subinde renovaret; & morum pro captu ætatulæ elegantia, summoque obsequendi studio; & precularum, quod familiam ducit, piarum in illa balbutie puerili, recitatione adsidua

parentes tum oblectaret unicè, tum ad spem de se præclaram animaret: Eccetibi! nudius quintus, humore è capite ad os & fauces, atq; inde ad stomachum destillante, viricul æ in tenello corpusculo non admodum validæ, ita fuerunt adflictæ & prostratæ, ut accedentibus ad crebras eorum, quæ ventriculo ingessisset, rejectiones etiam Herculei morbi adsultibus, in suorum complexu heri circa horam secundam matutinam CHRISTO REDEMPTORI animulam suam reddiderit.

Exuvias, quæ templum fuere Spiritus sancti, parentes mœstissimi in gremium terræ, quæ omnium mater est, inferendas hodie curabunt horâ TERTIA pomeridiana; post quam, si horas tantùm V. cum dimidia Deus vitæ ipsius adjecisset, quadriennium integrum complesset.

Sed benè habet! Vixit, quàm diu Deus voluit. Caritatis fructum parentibus, minorem sanè quàm vellent; at uberiorem fortè, quàm suis in majore ætate multi, reddidit. In ulnis jam & complexu FILII DEI, ad quem inde à primis incunabulis parentum cura deductus, pleno jam cursu ferebatur, suavissimè acquiescit.

Reliquum est, ut veluti partem quandam doloris luctusq; pro virili exoneraturi, ultimum

ultimum hoc humanitatis officium & defuncti amori, & parentum honori præstemus, & pompam funebrem frequenti comitatu cohonestemus: Quod facturos vel sine hortatu nostro confidimus, qui testificari nobiscum voluerint, caritatis illius, qua nos parentes nostri vel olim prosecuti sunt, vel hodie prosequuntur, memoriam; vel ejusdem, quo ipsi nostros vel jam complectimur, vel complexuros suo quisque tempore speramus, adfectum. P. P. prid. Non. X. Anno M. DC. IX.

Epitaphium.

VVENCESLAUS, amor desiderium q. Parentum,
Hic jacet, Uswaldæ spes q. decus q. domus.
Quæ mundo intulerat, mundo eripit, os/aq. vix jam
Quadrimi condit Quarta Decembris humo
Mens CHRISTI intuitu fruitur, cum corpore donec
Juncta suo, cœli regna beata colat.

IX.

Exequiæ Samuelis Spenlini Torgensis.

TIMAGENEM sive Caligulam, felicitati urbis inimicum, dicere solitum refert Seneca, Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quòd sciret meliora resurrectura, quàm arsissent. Quid aliud, quàm hoc ipsum, loqueretur, si verum fateri cogeretur, hostis ille generis humani, & inprimis Ecclesiæ CHRISTI singulorumque hujus civium, Satanas? Hujus quippè votum proprium: Utinam Pop. Christianus unam cervicem haberet! Hujus deliciæ, si permissu DEI jugulare uno nutu ingentem mortalium numerum posset. Hujus adeos, quos in amoribus habet, jocus festivissimus: *Tam bona cervix, simul ac jussero, demetur.*

Sed meritò cum Apostolo exclamamus: DEO *gratia, qui nobis dat victoriam per Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM! Hujus enim beneficio triumphale illud canere nobis licet: *Ubi est tuus, ô mors, stimulus! ubi tua, ô inferne, victoria?* Neque in CHRISTO, capite Ecclesiæ, quicquam princeps mundi, nec in illius corpore ac membris jam habet.

Ne in porcorum quidem gregem dabili legio habuit potestatem (loquimur cum Tertulliano) *nisi eam de DEO impetrasset. Tan-*

tum

tum abest, ut in oves DEI habeat. In manibus DEI sunt tempora nostra, qui etiam capillos capitis nostri omnes numerauit. Et percat anima, cujus capillus non perit? Ubi CHRITUS est, illic & minister ipsius erit. DEUS Spiritu arrhabonem nostris indidit animis. Pignus accepimus, cujus plenitudo postea dabitur. Interim in hac peregrinatione, (rursus utimur verbis Augustini) pignus nos consolatur: Quia qui nos dignatus est oppignerare, multum paratus est dare. Si talis est arrha; quid est, cujus est arrha?

His aliisque id genus consolationibus tum sese sustentare, tum Saranæ ægrè facere studuit optimæ indolis & spei adolescens, SAMUEL SPENLINUS, in valetudine adversa, cū qua inde ab incunabulis fermè per annos XVI. & quod excurrit, perpetuò conflictatus est. Absque hoc enim Spiritus Sanctus instinctu si fuisset, tantam in doloribus tam diuturnis tolerantiā, tantam in adeunda ac superanda morte constantiam haudquaquam præstitisset. *Adeò à teneris adsuescere multum est!*

Accepimus enim ab iis, quibus & ipse & parentes ipsius familiariter noti, inde à prima infantia in corde & ore illum adsiduè habuisse hoc Paulinum: *Mihi & vivere CHRISTUS, & mori lucrum.*

Quamobrem etsi non dubitamus, quin dolorem ex obitu filij immaturo acerbum percepturus sit vir præstantissimus & spectatissimus, Dn. BARTHOLOMÆUS SPENLINUS; qui dum TORGÆ, ubi etiam natus fuit SAMUEL noster, Secretarium ageret intimum in aula pro-Electoris laudatissimæ memoriæ Principis, optimè de Academia nostra mereri semper studuit, & nunc quoq; eundem retinet adfectum: Tamen in voluntate divina tanto acquiescet faciliùs, quanto cum filio suo, cujus ipsum conspectu ad dies paucylos frui ferijs Paschalibus DEUS voluit, meliùs actum cogitabit, cujus vitæ per valetudinem ærumnosæ finem tam felicem DEUS largitus est.

Reversus enim nudius quartus Altenburgo unâ cum Patruo, V. Cl. Dn. GEORGIO ALBERTO SPENLINO, J. U. L. Facultatis juridicæ Adjuncto & dicasterij Electoralis in hac urbe Protonotario, admodum imbecillis & languidus, heri post XII. noctem nam, animulam piam CHRISTO Redemptori reddidit.

Exuviæ, quæ templum fuêre Spiritus S. hora XII. ex ædibus Patrui, quas biennium incoluit, in cœmeterium ædi Mariane proximum, ritu Christiano humandæ efferentur, indubitata cum spe, futurum, quod

Sanc-

Satanam mordeat! ut *quod cum mortalitate, probro & infirmitate seritur, cum immortalitate, gloria ac potentia resurgat.*

Illam ergo pompam funebrem si Academiæ nostræ cives frequenti comitatu cohonestabunt; rem facient & Deo gratam, & professione sua dignam, & defuncti memoriæ debitam, & Patri familiæq; universæ honorificam, & nostræ quoq; voluntati, quam hisce testamur, consentaneam. P. P. XVI. Calend. Majas, anno M. DC. X.

Epitaphium.

Hic SAMUEL *Spenlinus habet post fata quietem*
Ultima, cui genitor BARTHOLOMÆUS *erat.*
Hunc TORGA *infantem, puerum Vinaria, ephebum*
LEUCORIS *in studiis erudiêre bonis.*
Quinq; bis octavo menses adjecerat anno
Summi & quinq; dies gratia larga Patris:
Quando animam CHRISTI *lustratam sanguine cœlo,*
Corpus homo ad summum reddidit usq; diem.

X.

Exequiæ Elisabethæ Stetneræ, virginis grandævæ.

INTER illustramenta, quibus honoratorum in utroque sexu exequias ornare Romani solebant, præcipuum locum habuisse constat imagines, quæ tanquam nobilitatis insignia præferebantur, Majorum, & laudationes funebres. Ad eum ferè modum, ut Hebræorum, Ægyptiorum, Græcorum aliarumq; ab humanitatis laude commendatarum gentium in honorandis mortuis studia ritusque taceamus, Christiani quoque, in orationibus funebribus inprimis hæc duo videntur spectasse, ut & memoriam familiarum honestarum conservarent, & defunctorum virtutes grata prædicatione prosequerentur.

In hæc ergo exempla intuentes, ne præconum solummodò more funus indicere videamur, de familia vitaque ELISABETHÆ STETNERÆ, cujus sepulturæ hodiernus dies dictus est, repetenda, partim ex fide eorum, quibus meritò credimus; partim ex superiorum annorum documentis, breviter ea repetenda duximus, quæ forent memoratu digna.

Habuit

Habuit avorum patrumque ætas duos ICtos eximios, CHRISTIANUM BEYERUM & LEONHARTUM STETNERUM, quorum uterque Cancellarii honores gessit: Ille apud Serenissimum Electorem D. JOHANNEM Saxoniæ Ducem, cujus fratri Inclyto FRIDERICO III. Electori, Academiæ nostræ fundatori, priùs à Consiliis fuerat; Hic apud Illustriss. Principem D. GEORGIUM FRIDERICUM Marchionem Brandeburgensem, Dn. GEORGII illius filium, qui cum JOHANNE Electore Saxoniæ confessionem fidei, ab ipso Cancellario D. Christiano Beyero descripto, quod Cochlæus annotavit, recitatam, Augustæ Imperatori CAROLO V. exhibuit. Quorum Principum recordatio hoc inprimis tempore ad preces non pias hortari debet, ut Illustrissimarum familiarum in veræ pietatis professione, & dignitatis Imperii pacisque ac salutis publicæ defensione consensionem & conjunctionem Deus perpetuam conservet.

Cum D. Christiani Beyeri filia BARBARA D. Leonhartus Stetnerus præter alios decem liberos procreavit ELISABETHAM, quæ in hoc opido nata est die XIX. Decembris, quadriennio, post exhibitam Cæsari confes-

Digitized by Google

confessionem, qui fuit Annus Christi M. D. XXXIV. Ea verò à parentibus sanctissimis piè castèq; educata & instituta vitam egit, ut summatim dicamus, illo genere & ordine dignam, ut & bonis omnibus mores suos probaret, & maritos invenire posset honoratos.

Verùm cùm aliter Deo placuisse animadverteret, partim sponsorum morte interturbatis nuptiis, partim cæcitate integri octennij, aliisq; valetudinis adversæ incommodis intervenientibus; cogitationes de conjugio planè abjecit, & in virginitate cælibe reliquum vitæ tempus, quod sanè longum illi DEVS indulsit, exigere decrevit. Implevit enim ante paucos dies annum ætatis LXXVI.

Atq; ita quidem, ut & animi corporisq; viribus, si postremos annos unum atq; alterum excipiamus, satis firmis usa, audiendis sacris concionib. & lectione ac meditatione sacrorum, bonam temporis partem consumpserit; & parum ab octogesimo anno, quem sibi ex patris benedictione subinde promittere solitam accepimus, non italongè abfuerit: accessura fortasis etiam propiùs, nisi apoplecticis adsultibus, & animi defectionibus subinde recurrentibus, quibus

aum eũq; ultimum vitæ diem expugnata nit, corpus annis grave succubuisset.

Itaq; inter preces ac suspiria pia CHRISTO ervatori animulam reddidit, die Ianuarii . hora matutina circiter IIX. Exuviæ ex affinis ipsius viri honorati & Spectati Dn. ohannis Lentzij, Curiæ Electoralis Advoati, ædibus in platea ICtorum sitis, hora I. meridie efferentur, & habitâ concione fuebri intrà opidum honestè sepelientur, quã ompam ut præsentia vestra frequentiorem onestioremq; reddatis, quiqui nostri estis, agnopere censemus. P. P. postridie Epihanias Domini Anno M. DC. XI.

XI.

Ad tumulum V. Cl. Henrici Velstenii, Ethici Professoris, collegæ.

UNa quidem tibi, Velsteni, dedit hora mihiq;
Inter Leucoreos nomen habere Patres.
At quamvis genitor poteram tuus esse videri;
Præterito, juvenem mors, seniore, rapit.
Nil necis annorum numerum falx sæva moratur,
Transilions natu quemq; metensq; DEI.

Nunc

Nunc animam roseo lustratam sanguine CHRI-
STUS,
Membraq; ab aruminis libera servat humus.
Tempus erit, cum post superata pericula vitæ,
Fausta bonæ jungent me necis hora tibi.
Interea, nostro dum fata DEUS q; sinebant,
Pectore qui vixit, carmine vivat amor.

Obiit XXIX. April. Anno Christi M.DC.XII.

XII.

In tumulum

V. Cl. D. Melchioris Iosteli Mathematum Prof. P. Collegæ.

TE quoq; felici, JOSTELI, sidere natum
Uranie blando fovit amica sinu.
Et puerum numeros, & rerum pondera, & usum
Mensuræ, æthereas edocuit q; vias.
Hæc juveni æternos tibi concilivit honores,
Imposuit q; tuis laurea serta comis.
Mirata ingenium q; & docti pectoris artes,
Te Clario adjunxit Leucoris alma choro.
Otia jam placida poteras q; beatæ Senectæ,
Et sperare hilaris gaudia sera domus.
Eu procul amplexu sobolis caraq; maritæ
Te tumulat gelido mœsta Friberga sinu.

lic plucitum CHRISTO, *quem*
rebas,
Spes erat in citius tota locata f
Hic mollem exuvias det sub tellu
Dum cœlo eniteas stella seren
Interea concordia habe breve ca
Ne careat, quite condit, bon
JOSTELI, *tunas tibi Dresda,*
trium,
Uranie famam, Leucoris hospit
Iucundam conjunx sobolem ded
STUS.
Æternas regni non peremptis o

Ibid. Jun. Anno M.

XIII.

Nomine Rectoris & Co
ad Scholasticam juve

Quodapud Comicum v
vel minorum gentium
tibus ingratissimis occen
portempore quorundam
maleferiatorum ferocia
mit & extorquet. Sic aute
rem inducit Comicus:
πολλάκις ἤμεων ἀγόν
ἀπ' ἀγαθῶν ἤ
ὑμεῖς ἡμῖ

placitum CHRISTO, quem fixum corde gerebas,

Spes erat in cujus tota locata fide.

Ne mollem exanimis det sub tellure quietem,

Dum cœlo eniteas stella serena novo.

Interea concordis habe breve carmen amici,

Ne careat, qui te condit, honore lapis:

OSTELI, tunas tibi Dresda, Friberga sepulcrum,

Unnie famam, Leucoris hospitium,

Jucundam conjunx sobolem dedit utraq; CHRISTUS.

Eternas regni non pereuntis opes.

Ibid. Jun. Anno M. DC. XI.

XIII.

Nomine Rectoris & Consilii publici ad Scholasticam juventutem.

QUod apud Comicum veterem Jupiter, vel minorum gentium diis, vel hominibus ingratissimis occentat; idem Nobis hoc tempore quorundam ex ordine nostro halèferiatorum ferocia atq; insania expri- mit & extorquet. Sic autem loquentem Jo- rem inducit Comicus:

Πολλάκις ἡμῶν ἀγόντων τὴν θεὸν ἀπασίαν
Ἢ νὴ ἂν πενθῶμεν ἢ Μέμνον' ἢ Σαρπηδόνα.
Σὺ νῦν δὲ ὑμεῖς ἡμῖν γελᾶτε

Ut

Ut significet scilicet, dum luctu jejunio indicto Memnonis aut Sarpedonis exequias dii celebrant; interim non deesse, qui libationibus risuique & hilaritati indulgeant.

Quanto in mœrore & squalore cuncti summo illo sacri Romani Imperii CAPITE, membra corporis ejusdem nobilissima nunc jaceant, æstimare nemo verè potest, quam qui jacturæ magnitudinem diligenter pervidet, quam in hoc perturbato & exulcerato Ecclesiæ & Reipub. statu non tam Patriæ nostræ, quàm universæ fecit Germaniæ, subducto ante dies non ita multos ex rebus humanis, morte prorsus improvisâ & insperatâ, Serenissimo Electore Saxoniæ, CHRISTIANO II. Academiæ hujus; ut alia omnia commodiore & loco & tempore deprædicanda taceamus, Parente ac Nutricio piissimo & benignissimo.

Mœrorem tristitiamque non solum optimorum quorumque signa manifesta satis superque, ipsique adeò Ædium sacrarum & Auditoriorum parietes testantur: sed ipsius propè Naturæ commiserationem omnium non planè sensu ac ratione destitutorum oculis animisque ingerit facies illa cœli, quam aliquot jam dies, tempore alienissimo, non sine magnâ perturbatione vidimus, prorsus

prorsus luctuosa & lacrimos
tem quisque est, cujus aures
nent rumores motuum me
nimis locis gravissimorum a
morum; non obtundant plu
ctæ & lamentationes tantùm
tionis plenissimæ?

In hoc tamen rerum om
quo par erat id cogitare & a
singulos, ut si remedij nihil a
is publicis, & huic inprimis v
lo atque acerbo adferre pos
re magis etiam magisq; ultr
& aggravarent: Inveniuntur
minam non nimis multi! qui
ut non tantùm ex publico mo
impere; sed nisi eundem pl
ant, vitam sibi injucundam
talem aturi esse videantur.

Quod genus hominum e
propè illâ admonitione judi
hoc ipso gloriari possint, quo
fecisse videantur: tamen ne v
oblitos, vel istos non satis præ
quam possit dicere, tot toties
tere iteratas ex hoc ipso loc
temporum Editiones in m
quam habent, memoriam q
Nam si unquam tempus fu

Digitized by Google

rorios luctuosa & lacrimosa. Quotus au-
em quisque est, cujus aures non circumso-
nent rumores motuum metuumque in vi
inis locis gravissimorum ac periculosissi-
orum; non obtundant plurimorum que-
læ & lamentationes tantùm non desperа-
onis plenissimæ

In hoc tamen rerum omnium statu, in
uo par erat id cogitare & agere pro virili
ngulos, ut si remedij nihil aut parum ma-
s publicis, & huic inprimis vulneri tam cru-
o atque acerbo adferre possent; saltem ea
e magis etiam magisq; ultrò cumularent
aggravarent: Inveniuntur quidam, atque
tinam non nimis multi! qui ità se gerunt,
t non tantùm ex publico mœrore lætitiam
apere; sed nisi eundem plurimum auge-
nt, vitam sibi injucundam minimeque vi-
alem acturi esse videantur.

Quod genus hominum etsi indignum
propè illâ admonitione judicamus; ne vel
hoc ipso gloriari possint, quòd ægrè Nobis
tecisse videanturitamen ne vel Nos officij
oblitos, vel istos non satis præmonitos quis-
quam possit dicere, tot totiesque in hoc ge-
nere iteratas ex hoc ipso loco superiorum
temporum Edictiones in mentem illis, si
quam habent, memoriamque revocamus.
Nam si unquam tempus fuit, quo non fe-

rendæ essent in cœtu Studiosorum (quo nomine omnia complectimur, quæ leges Academicæ de Ordinis nostri officiis sanciunt) qualescunque ab itinere Sapientiæ & legem Justiciæ, ut D. Augustini verbis uramur, exorbitationes, nedum Cyclopicæ istæ & plus quàm belluinæ discursationes, vociferationes, digladiationes, tumultuationes, quà diurnæ, quà nocturnæ; nunc profectò illud est.

Itaque bonos, quorum numerum esse maximum est quod gaudeamus, hortamur, ut in eâ, quam hactenus, Deo hominibusque probantibus, præstiterunt, Modestiâ & morum vitæque honestate, non modò constanter perseverent; sed hoc potissimùm tam lacrimabili tempore ipsi sese vincere & superare contendant. Ita enim futurum sciant, ut præter conscientiam præstiti officii, quâ nihil ad vitam feliciter suaviterque agendam accommodatius & efficacius, favorem sibi æterni Dei perpetuum & stabilem, & hominum studia benevolentiamque concilient.

Istis verò tranquillitatis & quietis publicæ hostibus & perturbatoribus seriò denunciamus ac prædicimus; si abjectâ & proculcatâ jurisjurandi religione, leges omnes obstinatâ mente contemnere, violare, perrumpere,

pere, & nominatim si boatu v
batu Tartareo tristiciæ & dol
& de salute Ecclesiæ Patriæq
rum velut insultare: si ex pr
ma opidum gladiis dimicare;
nocturnorum stationes &
modo & conatu interturba
terint: tum nostro loco fac
quæ Leges jubent: tum Sereni
pem Electorem effecturum
rii sui, cui fausta & salutari
scum ominari & ex animo p
decet & oportet, initia imp
P. P. Pridie Idus Quinti
DC. XI.

XIV.

Exequiæ Barbaræ VV
conjugis concordis
Xtremum pietatis officium
est hodiè optimæ & honesti
BARBARÆ, Clarissimi at
simi viri JOHANNIS W
storiarum Professoris, mari
lectissimæ: quæ nudiusterti
ut mortale, sine metu & m
tissimè & placidissimè exui

Digitized by Google

ere, & nominatim si boatu vociferatu, ulu-
tu Tartareo tristiciæ & dolori bonorum,
de salute Ecclesiæ Patriæque piè solicito-
am velut insultare: si ex provocatione ex-
a opidum gladiis dimicare; si excubitorum
octurnorum stationes & operas quovis
odo & conatu interturbare deprehensi
ferint: tum nostro loco facturos Nos ea,
æ Leges jubent: tum Serenissimum Prin-
pem Electorem effecturum, ne quis Im-
rii sui, cui fausta & salutaria omnia No-
scum ominari & ex animo precari singu-
s decet & oportet, initia impunè inquieta-
t. P. P. Pridie Idus Quintiles, ANNO
I. DC. XI.

XIV.

Exequiæ Barbaræ VVanckeliæ, conjugis concordissimæ.

EXtremum pietatis officium præstandum
est hodiè optimæ & honestissimæ fœmi-
æ BARBARÆ, Clarissimi atq; Excellen-
simi viri JOHANNIS WANCKELII
istoriarum Professoris, maritæ quondam
lectissimæ: quæ nudiustertius, quod ha-
uit mortale, sine metu & motu omni lu-
atissimè & placidissimè exuit; *εὐθανασία*

Digitized by Google

omni homini Christiano votis omnibus, quod votorum summum & maximum hic unicè expetendâ: cujusmodi artem benè beateque moriendi in nostris Ecclesiis ferè singulis docemur. Nam quâ viâ, aut potius quibus aviis Pontificii (ut alios taceamus) miserrimos ad vitam illam æternam grassari jubebant, notius est nostris, quàm ut hic verbum debeat fieri.

Ad hoc exemplum historia est, digna ut hic etiam legatur: quam Dn. Georgius Major, Academiæ hujus olim Theologus & Professor eximius, in præfatione Epistolæ Pauli ad Ephesios recitat, à Vito Oreliо Winshemio, Medico & Professore Collegii, hausta.

Is (Winshemius) cùm matrem provectæ jam ætatis sæpè hortatus esset, ut abjecta Pontificiâ doctrinâ (quæ hodieq; in Franconiâ passim restat) hanc nostram sinceriorem amplecteretur, eáq; de singulis articulis diligenter erudiisset; neque tamen apud matrem quicquam precibus & cohortationibus proficeret: tandem cùm iterum matrem post aliquot annos elapsos in patria inviseret, & videret, interea dum absuisset, ipsam abjectis traditionibus humanis & idolis Pontificiis, conversam, & toto pectore amplecti & confiteri sinceram doctrinam quæ

quæ à Christo per Prophetas Ecclesiæ tradita est: quæ sivit e
hujus conversionis præcipuar
pia & honesta matrona, sese
multis ex hac vitâ excedentib
vidisse plurimos Pontificiam
professos, cùm morituri jube
in Papatu facere & curare, t
census ex hac vitâ habuisse.

Contrà verò amplexos repu
gelii doctrinam, cùm juberen
Deum conversione, fide ac fid
misericordiam Dei, per Med
fugere, vidisse placidissimè &
gratiarum actione ex hac vi
se initia & gustus vitæ æterna
Dei in multis morientibus c
nostram doctrinam de justifi
nis coram Deo veram esse
li Apostoli, cùm dicit: *Justifi*
cem habemus erga DEVM,
CHRISTVM.

Hos ergo fructus & effec
strinæ cùm in multis morien
se abjectâ Pontificia hypocri
veram, & in credentibus viva
doctrinam Evangelii jam ar
steri, & toto pectore agere
quod ex regno tenebrarum

Digitized by Google

uæ à CHRISTO per Prophetas & Apostolos
ecclesiæ tradita est: quæsivit ex ea caussam
ujus conversionis præcipuam: Respondit
ia & honesta matrona, sese jam grandævâ
ultis ex hac vitâ excedentibus affúisse, &
idisse plurimos Pontificiam doctrinam,
rofessos, cùm morituri, juberentur usitata
Papatu facere & curare, tristissimos ex-
ssus ex hac vitâ habuisse.

Contrà verò amplexos repurgatam Evan-
elii doctrinam, cùm juberentur in seria ad
eum conversione, fide ac fiduciâ ad solam
isericordiam DEI, per Mediatorem con-
ugere; vidisse placidissimè & lætos cum
ratiarum actione ex hac vitâ excedere, &
initia & gustus vitæ æternæ & præsentiæ
EI in multis morientibus conspexisse, &
ostram doctrinam de justificatione homi-
is coram DEO veram esse, & ipsius Pau-
i Apostoli, cùm dicit: *Justificati ex fide pa-
rem habemus erga DEVM, per JESVM
CHRISTVM.*

Hos ergo fructus & effectus nostræ do-
trinæ cùm in multis morientibus vidisset,
se abjectâ Pontificia hypocriticâ doctrina,
veram, & in credentibus vivam ac efficacem
doctrinam Evangelii jam amplecti ac pro-
fiteri, & toto pectore agere gratias DEO,
quòd ex regno tenebrarum liberata, in re-

gnum lucis & Filii DEI translata sit. Hanc historiam fidei & veritatis plenam nobis historiarum apud nos Professor bono animo suggessit; & hujus εὐφανείας suam etiam, hæu quondam! uxorem expressum & vivum exemplum fuisse attestatus est. Necaliter, nisi animosè in misericordia & merito CHRISTI, atque adeò placidè NOSTRA mori potuit; quæ humili & placido spiritu CHRISTUM in hac vita semper sequuta fuit.

NATA ea Torgæ sexto Maji, ipsa Dominica Cantate, annó Christiano M.D.XLIII. quarto ante bellum, ut vocant, Hispanicú: quæ tempestas hodie quasi æra quædam & exordium ætatis computandæ senioribus in usu & sermone est. Patrem habuit ERASMUM SAX, virum honestum & mercatorem primarium: Matrem CATHARINAM KIRSTIN: fœcundam & felicem prolis, & serè in ordinem & dignitatem Doctorum & Consulum in Rebuspub. evectæ.

Nostra BARBARA ætatis anno XIX. Virgo nuptum data est BERNHARDO HANMANNO, Judici sive Prætori Freibergensi: eique intra annos XIII. conjugii, duos filios tresq; filias peperit. Hoc è vivis sublato, de consilio suorum & præsertim JOH. PRAGERI ICti & Electoris Sax. Dresdæ Consiliarij, qui sororem ipsius uxorem habebat, Torgam reversa est.

Ibi

Ibi cùm tædium viduitati
annum quartum; M. JOH. W
nunc nostro, tunc Scholæ ibid
in matrimonium collocata es
die XXIV. Novembris, anno
Cui quatuor liberos edidit, b
potioris sexus, totidem sui &
adeòque omnes in disciplina d
in exemplum eduxêre.

Et quanquam nostra illa spe
se domi & in suo regno, Torga
testia sua illam honestè tolera
situram: tamen post XIIX
rumnas, à carissimo Marito i
pùm toleratas; deinde & labo
fidem non paucorum in Aul
omnia illa, quæ in sinu patriæ
ta videbantur, æquissimo ani
& Carissimum suum huc ad
publicam honesto stipendio
mutæ est: ubi cùm in annum s
set; fecitquod diximus, & in
sidem patriam remigravit, sed
amplius mutatura.

Dum inter homines fui
tirate, temperantiâ, modesti
in matronarum virtutibu
atque ordini exemplum fuit.
simplicem & ferè solitariam

Digitized by Google

Ibi cùm tædium viduitatis tolerasset in
nnum quartum; M. JOH. WANCKELIO
unc nostro, tunc Scholæ ibidem Cõrectori,
matrimonium collocata est: idq; factum
e XXIV. Novembris, anno M.D. LXXIX.
ui quatuor liberos edidit, binos nostri &
otioris sexus, totidem sui & alterius, quos
æquè omnes in disciplina domestica aliis
exemplum eduxère.

Et quanquam nostra illa sperabat, vitam
domi & in suo regno, Torgæ, ubi pro mo-
estia sua illam honestè tolerare poterat, fi-
ituram: tamen post XIIX. annorum æ-
mnas, à carissimo Marito in schola pri-
ùm toleratas; deinde & labores annorum
idem non paucorum in Aula exantlatos;
mnia illa, quæ in sinu patriæ suavia & uti-
a videbantur, æquissimo animo deseruit,
Carissimum suum huc ad Professionem
ublicam honesto stipendio invitatum se-
uta est: ubi cùm in annum sextum duras-
t; fecit quod diximus, & in veram & cœ-
estem patriam remigravit, sedem nusquam
mplius mutatura.

Dum inter homines fuit, pietate, ca-
itate, temperantiâ, modestiaque & cæte-
is matronarum virtutibus suo sexui
tque ordini exemplum fuit. Vitam amavit
implicem & ferè solitariam, præsertim

Powered by Google

cùm filias filiosque, benè atque ex voto suo aut elocasset, aut alioquin è domo & familiâ materno dimisisset. Sacra & concionantes studiosè frequentavit, quamdiu apud nos vixit; excepto semestri hoc ultimo, quo se domi, & ferè in lecto, ob virium imbecillitatem continuit. Nihilominus tamen è valetudinario suo templum & aram sibi fecit, & legendo, meditando, orando publicos Ecclesiæ congressus æmulata est.

Die Martis proximo sacra cœnâ, ut cœlesti viatico instructa, mortem & transitum ad vitam æternam omni animi impetu affectavit. Die Saturni qui ipsi ultimus inter mortales, cùm nocte præcedenti parum quietè dormiisset, manè cum Marito unicè caro Dicta & sententias è Scripturâ, quas olim liberos suos unà docuerat, voce quidem fractâ; sed tamen eâ, quæ intelligi posset, ordine plurimas recitavit. Illam inprimis calidiore affectu iterare visa est ex epistola Pauli 1. Thessal. 5. *Non posuit nos DEUS ad iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum nostrum* IESUM CHRISTUM; *qui mortuus est pro nobis; ut sive vigilemus, sive dormiamus, cum illo vivamus.* Circumstantes etiam (quod & antea, cùm validior esset, sæpè fecit) rogavit, ne in agone & extremo conflictu ipsam turbarent, aut interpellarent; sed in Chri-

sto

ro securam & fide plenam
fato placidè defungi.

Cùm hora esset intra und
decimamq; media, & jam fini
vocant Maritum, qui ex cau
teserat: ubi is approperavit
Scripturæ & orationem Dor
ore voce unâ omnes, qui ade
ciant. Ibi moribunda cùm vo
li forte hausisset; oculos, tan
excitata, levavit, & vultu q
orantes, & jam verè peroran
voce, qua quidem potuit, se
in eo ipso conatu oculos iteru
spiritum animamque reliqui
sensu doloris placidissimè in
spiravit: cùm vixisset annos
manas XI. Dies III. in conj
annos XXXII. menses II
tranquillo & jucundo, ut (
tulabunda repetivit) vix de
videatur.

Cætera, quæ dici vel in ex
bant, Concioni funebri, qua
Pastor habiturus est, reserv
est, Sudioso, tam honestæ ma
tes ire exsequias, quæ hodiè
MAMEX ædibus Mariti, Cl
ge nostri, efferetur & in

...o securam & fide plenam finerent suo ...to placidè defungi.

...Cùm hora esset intra undecimam duo...cimamq; media, & jam finis vitæ instaret, ...vocant Maritum, qui ex caussa paullum se...sserat: ubi is approperavit, dicta aliquot ...scripturæ & orationem Dominicam clari...e voce unà omnes, qui aderant, pronun...ant. Ibi moribunda cùm vocem sui Mari... forte hausisset; oculos, tanquam è somno ...excitata, levavit, & vultu quasi renidenti ...rantes, & jam verè perorantes, gestu, & ...oce, qua quidem potuit, secura est, atque ...eo ipso conatu oculos iterum, & vocem & ...pititum animamque reliquit, & sine omni ...ensu doloris placidissimè in DOMINO ex...piravit: cùm vixisset annos LXIX. septi...manas XI. Dies III. in conjugio posteriori ...annos XXXII. menses II X. Dies VII. ita ...tranquillo & jucundo, ut (quod sæpe gra...tulabunda repetivit) vix decennium fuisse ...videatur.

Cætera, quæ dici vel in exemplum debebant, Concioni funebri, quam Reverendus Pastor habiturus est, reserventur. Vestrum est, Sudiosi, tam honestæ matronæ frequentes ire exsequias, quæ hodiè ad horam PRIMAM ex ædibus Mariti, CL. & Opt. Collegæ nostri, efferetur & intra oppidum ad

Digitized by Google

basilicam tumulabitur. PP. Die II. Augusti anno CHRISTI M. DC. XII.

Autore Frid. Taubmanno.

In tumulum meæ cariſſimæ.

Hic dormit vitæ ſatura & pertæſa laborum
BARBARA VVanckelii nobiliuma toro.
Annos hanc TORGÆ genitam, Friburga probavit
Spectati in thalamo tres & decem, virl.
Hinc quina cum prole redux, trieteride lustro
Inviduo TORGÆ turturis inſtar agu.
Inde mares binos florens ætate, puellis
Cum totidem conjux VVanckeliana pari.
Tandem ubi ſeptenos novies implevere annos,
Cum caro hac ſedem ponit in urbe viro.
Hic ſpacium exegit poſt quam ſexenne, perennem
In patriam, CHRISTI ſanguine pura migrat.
Præmia concordi dare digna maritus amori
Cùm cuperet; mœſtum hoc nil niſi carmen habet.

Ad Iohan. VVanckelium.

VVANCKELI Hiſtoriæ clariſſime myſta, quòd uxor
Peremptæ mortejam jacet:
Conſilio id factũ DOMINI: Qui quicquid ubiq;
Facit; benè & juſtè facit.
Ergo voluntati divæ te ſubjice quæſo,
Modumq; pone luctui.

CHRISTO vixit, & in CHRIST
clauſit,
Iam dormit in CHRISTO Pa
Conjux cara tibi; ſed CHRISTO
Reſurget in CHRISTO.

Johan. Forſterus S.

In ejusdem tumu

BARBARA VVANCKELII
Poëta
Mortua Leucoreo conditur in
ergo etiam Vatum thalamos mo
tam.
Quamq; alii dant, hac tollere
lenita: Mors rapuit mortale;
Vatis
Conjux emptreis vivit in orb
Pro præſito ſimili affec
hec antidorum mitti
Seuſius S.E.S.S.II
Anno M. DC

XV.

Ad V. Cl. Iohannem

Si domui ſubjecta mee brevi
ardeam ſpectatq; VV

CHRISTO vixit, & in CHRISTO sua lumina clausit,
Iam dormit in CHRISTO Patre;
Conjux cara tibi; sed CHRISTO carior: Olim
Resurget in CHRISTO. Vale.

Ioh. Forsterus S. Theol. D.

In ejusdem tumulum.

BARBARA VVANCKELII cõjux hoc fida Poëta
Mortua Leucoreo conditur in tumulo.
Fugo etiam Vatum thalamos mors rumpere Vitam
Quamq; aliis dant, hac tollere sæva, potest:
Ista: Mors rapuit mortale; at BARBARA Vatis
Conjux empyreis vivit in orbiculis.

Pro præstito simili affectu, luctuosum hoc antidorum mittit Dresdæ Joh. Seusius S.E.S.S.IIX. VIIbr. Anno M. DC. XII.

XV.

Ad V. Cl. Iohannem Seusium.

Est domui subjecta meæ brevis area, Seusi,
Arctoum spectat quâ VViteberga polum.

Hic

Hîc quoties ego fessa legendo lumina pasco,
Et cœlo spacians liberiore fruor:
Admiranda tui spectacula imaginor HORTI,
Herbarum ac florum quo viret omne genus.
Et simul ingentis video monimenta doloris,
Quem Cordi infixit CORDULA rapta tuo.
Sentina telluri quis jam preciosa subasta
Mandat? hinc luctus quis rigat aridulas?
Quis tribulos vellit, lappasq́, & inutile gramen?
Quis Domini nectit florida serta comis?
Cujus delicias curabat ut unica, sic jam
Abstulit una omnes CORDULA delicias.
Augescunt plantæ felicitèr; Undiq, luctus
Argumenta ferax mœstia minister at ager.
Squallent cuncta; gravè squallor ciet ipse dolorè,
CORDULA quem poterat tollere sola, TIBI.
Sic ego, IANE, tori te detrimenta jugalis
Deflere in medio Veris honore reor.
Nec me animi fallit sententia. CORDULA cunctis
Cara fuit vivens, mortua cara tibi est.
At non parva tuo solatia linquit amori,
Quæ capere è medio Veris honore queas.
Aspicis, ut tristis gelidi horrida frigora bruma
E terra surgant germina læta sinu:
Dumq, sepulta solo veteres meditantur aristas
Semina, ut agricolam spes opulenta beet?
Tempus erit, caput è tumulo quo CORDULA tollet,
Ut PARADISI flos sit odorus agris.

Ille tuis lacrymas oculis abstergat.
CORDULA cujus erit cara p
Anno M. I
In laudes & Symbolu
Seusi sit.
Quid sibi velle putem, Seusi op
alas
Æquora per clypei pandit
Quid? nisi quòd Divæ sibi tres
Musa, Themis, Pietas, consti
MUSA Duces celebrat: THEM
clientes;
Inservit PIETAS officiosa D
Libertas servire Deo est. At mu
Ni caveant, caveas sæpe nec
officium sac porro tuum! NO
unquam,
QVI TE CVSTODIT, J
Dresdæ VI. Id.
Anno M. DC.

XVI.

Exequiæ conjugis I
elis Ledereri, I
Haneman

Digitized by Google

De tuis lacrymas oculis absterget Hortus,
CORDVLA cujus erit cara perenne decus.

Anno M. DC. XI.

In alaudas & Symbolum V. Cl. Iob. Seusfii.

Quid sibi velle putem, Seusfi optime, trina quòd alas
Æquora per clypei pandit Alauda tui?
Quid? nisi quòd Diuæ sibi tres in pectora sedem,
Musa, Themis, Pietas, constituêre tuo.
MVSA Duces celebrat: THEMIS adjuvat æquà clientes,
Inservit PIETAS officiosa DEO.
Libertas servire Deo est. At mundus Alaudis,
Ni caneant, caveas sæpe necemq; parat.
Officium fac porro tuum! NON DORMIET unquam,
QVI TE CVSTODIT, Jane, tuosq; DEVS.

Dresdæ VI. Id. Maritas
Anno M. DC. III.

XVI.

Exequiæ conjugis Dn. Michaelis Ledereri, Blandinæ Hanemannæ.

Digitized by Google

DE Nautâ vetus dictum est, inter ipsum & mortem tantum esse intervallum, quanta sit asseris unius crassities: quod & Satyricus tangit, quando ait, —*nauta dolato*
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima teda.

Unde & Bias, quem Græcia inter septem Sapientes admirata est nautas neque inter vivos, neq; inter mortuos censebat.

Quo fine, inquiat aliquis, hæc nunc dicuntur? Eo scilicet, ut recogitemus, quantum & quàm proximum nautæ periculum impendeat, tantum tamque proximum, & fortasse proximius puerperas impendere. Ut non de nihilo videri debeat, quod Medea apud Tragicum in theatro pronúciavit,

—ὡς τρὶς ἂν πεζὸν ἀσπίδα
Στῆναι θέλοιμ' ἂν μᾶλλον ἢ τεκεῖν ἅπαξ.

vel, ut Ennius Latinè;

— *ter sub armis mâlim vitam cernere,*
Quàm semel modò párere.

Et vix hoc credat sexus noster, nisi sciremus hanc intemperiem quasi contagio quodam derivatam à primâ illâ matre Hevâ, cui Dominus dixit; *Multiplicando multiplicabo dolores tuos; & cum dolore paries filios.*

Certè non cum dolore tantùm superioribus diebus filium enixa est honestam matrona

trona BLANDINA, exce
MICHAELIS LEDERER
quondam marita; Sed ipsam
elisit; Dumq; in vitam hanc
ipsa per mortem vitâ hâc e
quidem, cum ita moris sit,
honori ipsius hic commem

NATA ea est Friberga Mis
M. D. LXIX. die Julij XX
secundam matutinam, parer
patre quidem BERNHARDO
rætore urbano, cujus ant
XXII: piè defuncti pietas
multis hodieq; grata cum
dicatur; Matre verò B A
tamnum superstes, & in co
præstantiss. viri JOHANNIS
professoris Historiarum pu
trem habuit ERASMUM SA
Friberga primarium & inter
lm.

Ipsa quadrimula Friberg
terez, quæ liberis careret,
citer sexennium educata
JOHANNIS PRAGERI J. u. D
rectoralis, Senis venerandi, c
tarinuos in hac Academia v

Digitized by Google

Dorothea Blandina, excellentissimi viri, Michaelis Lederreri L.L. Licentiati quondam marita; Sed ipsam etiam animam [illegible]lisit; Dumq; in vitam hanc filium enititur, ipsa per mortem vitâ hâc excutitur: De quâ quidem, cùm ita moris sit, pauca quædam honori ipsius hic commemorabimus.

Nata ea est Fribergæ Misniæ anno Christi M. D. LXIX. die Julij XXIII. paulo post [illegible]cundam matutinam, parentibus honestis; [illegible]atre quidem Bernhardo Hanemanno, [illegible]ætore urbano, cujus ante annos propè [illegible] XXII: piè defuncti pietas atq; integretis [illegible]multis hodieq; grata cum recordatione [illegible]ædicatur; Matre verò Barbara, quæ [illegible]iamnum superstes, & in conjugio Cl. & [illegible]æstantiss. viri Johannis Wanckelii, [illegible]rofessoris Historiarum publici, vivens, [illegible]itrem habuit Erasmum Saxonem civem [illegible]orgæ primarium & inter suos honora[illegible]m.

Ipsa quadrimula Fribergâ Torgam, ma[illegible]teræ, quæ liberis careret, rogatu missa, [illegible]citer sexennium educata fuit domi Cl. Johannis Prageri J. u. D. & consiliarij [illegible]ectoralis, Senis venerandi, qui XX. annos [illegible]atinuos in hac Academia vixisse, & præ[illegible]ter

Digitized by Google

ter JCtos eximios, etiam D. Luthero & Philippi auditor ab anno M. D. XXIIX. assiduus fuisse perhibetur.

In hujus ergo familia tum initia veræ pietatis, quantum & sexus & ætas tulit; feliciter didicit; tum ad curam rei familiaris a teneris quasi unguiculis ita assuefacta fuit, ut circa initium anni M.D. XXC. ad familiam patris, quæ post obitum mariti priorem Friburgâ Torgam se transtulerat, & ad secunda vota paullo antè transierat, revocata, sese non modò morigeram in omnibus, sed & in procuranda etiam re domestica gnavam ac sedulam præstiterit.

Harum verò virtutum majus deinceps specimen edidit, cùm de consilio & voluntate parentum, Anno M.D. XXCIIX. die XVII. Septemb. nupsisset CL. V. CASPARO KELHEYMERO, Medicinæ D. cujus avus GEORGIUS, Torgæ Consul; parens NICOLAUS, Lignicii Silesiorum Syndicus; Avus verò maternus D. CASPAR CRUCIGER, Theologus inter [illegible] Lutheri & Philippi celebris fuit.

Ipse verò Decani in Collegio Philosophico honore defunctus, à Reverend. & Illustrissimo Principe, Dn. CASIMIRO, Ducce Pomeraniæ, Episcopo Caminensi & Senatu Colbergensi, anno M.D. VC. mense Iunio

[illegible]nio hinc evocatus, cùm ul[illegible]
[illegible]rum Medici munus summa c[illegible]
[illegible]ministrasset, & in sterili qui de[illegible]
tamen concordissimo[illegible]; anno
excurrit, vixisset conjugio;
morte anno M. DC. mense
junctus, Viduam superstitem
aliquot post mariti obitum m
terania Torgam ad suos, & p
fermè integrum, in hanc urbe
in quasi postliminio reversa, p
quinquennem IV. Februarii s
matrimonio juncta est cum C
ter Lebrecio Torgensi J.
conjugio ultra annum, mense
ita vixit, ut conjugis vere sanc
implat fuerit laudatissimum
Cùm autem ævi viridioris
ejus fœcunditate insperata p
vert prægnationis tempore,
semper valeret, neque ullas f
is quod rarum in eo genere,
nem & sominus evidentibus p
anfinctu, ut ex eventu existim
mo adducta, morti sese prop
planè intrepido præparavit:
jò ubi filiolum enixa, & paru
ic periculosi, cujus exitum fe
debat, doloribus liberata,

nio hinc evocatus, cùm ultra quinquennium Medici munus summa cum laude administrasset, & in sterili quidem, suavissimo tamen concordissimoq; annos XII. & quod excurrit, vixisset conjugio; prænatura morte anno M. DC. mense Novembri exinctus. Viduam superstitem reliquit: Quæ liquot post mariti obitum mensibus è Pomerania Torgam ad suos, & post triennium fermè integrum, in hanc urbem suorum sua quasi postliminio reversa, post viduatum quinquennem IV. Februarii superioris anni matrimonio juncta est cum CL. V. Michaele Lebreto Torgensi J. U. L. in quo conjugio ultra annum, menses II. dies XVI. vixit, ut conjugis verè sanctæ castæq; exemplar fuerit laudatissimum.

Cùm autem ævi viridioris sterilitatem, jus fœcunditate insperata pensasset: Toto verè prægnationis tempore, etsi rectissimè semper valeret, neque ullas fermè molestias, quod rarum in eo genere, sentiret: Tamen & somnus evidentibus præmonita, & instinctu, ut ex eventu existimare licet, divino adducta, morti sese propinquæ animo plane intrepido præparavit: In primis verò ubi filiolum enixa, & partus difficillimi periculosi, cujus exitum felicem soli Deo debebat, doloribus liberata, ex secundarum

retentarum putrefactione orta febri ardentissima, sic enervata & debilitata fuit, ut vires prostratæ & exhaustæ nulla prorsus humana ope instaurari & recolligi potuerint.

Itaque cùm æquissimo præsentissimoque animo dolores gravissimos diem à partu jam decimum quartum tolerasset: & sensibus cæteris, & mente ac loquela ad extremum usquè halitum sana & integra, inter preces pias & confessionem constantem, animulam CHRISTO SERVATORI commendatam, hesterno die quadrante horæ ante primam matutinam tam placidè leniterque exhalavit, ut in ipsa quoque verissima & efficacissima apparuerit promissio filij DEI: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.*

Funus eidem facturi sunt ad horam post. eà SECUNDAM, atque intra opidum, ad templum parochiale, quod vocant, honestâ sepultură deductam efficient: Priùs tamen à Rev. & CL. Theologo GEORGIO MYLIO coneionc publicâ celebrandum. Ad quod pietatis officium ut frequentes, qui è nostris estis, comparcatis, magnopere censemus. P. P. Die XXI. Aprilis, Anno M. DC. VII. qui dies etiam humatione & sepulturâ magnorum virorum D. JOHANNIS BUGENHAGII Pomer. & D. PHILIPPI MELANCHTHONIS apud nos celebris habetur. EPI-

Epitaphium

C *Conjugi hîc posuit MICH*
RVS Am
Exuvias; Animam credidit
Hanc FRIBERGA parit; TOR
maritat
LEUCORIS & fero prola E
stirpe HANEMANNA, tori
lege, marito
BLANDINÆ obsequio nor
Bis sex cum Medico concorditer
COLBERGA infrias cui Po
In viduo spacium explevit lustr
Juridici in thalamum transi
Cum quo bis septem sociali ga
Percipit (o fallax vita!) bis
Ut partu functa est primo extre
Extremum didicit filioloq;
Ter denis postquam addiderat
nos,
Tres tamen hinc menses to
Cui MYLII summum facundi
Id nulli deinceps exhibitura
VANCKELIVS tumulo dat
At tu,
Quam non certa, memor, f

Digitized by Google

Epitaphium.

COnjugis hîc posuit MICHAEL LEDERERVS amatæ
Exuvias; animam tradidit ipsa DEO.
Hanc FRIBERGA parit; TORGA educat; alma maritat
LEUCORIS & fero prole honore beat.
Stirpe HANEMANNA, tori KELHETMERA lege, marito
BLANDINÆ obsequio nomen utrique probat.
Bis sex cum Medico concorditer exigit annos,
COLBERGA inferias cui Pomerana dedit.
Viduo spacium explevit lustrale cubili,
Juridici in thalamum transiit inde viri.
Cum quo bis septem socialia gaudia menses
Percipit (ô fallax vita!) bis octô dies.
Ut partu functa est primo extremoq; Virôq;
Extremum didicit filioloq; vale:
Ter denis postquam addiderat bis quatuor annos,
Tres tamen hinc menses tolle die q; duos.
Cui MYLII summum facundia solvit honorem,
Id nulli deinceps exhibitura decus.
VANCKELIVS tumulo dat carmina Vitricus;
At tu,
Quàm non certa, memor, sit necis hora, Vale.

XVII.

Exequiæ Annæ Rubeliæ, Dn. Petri Apiani, Medicinæ D. Vitæ.

DIE XXIX. Maij proximo in morbum incidit honesta matrona ANNA, excellentissimi quondam viri PETRI APIANI, Medicinæ Doctoris, marita. Illa, inquam, in morbum tunc incidit, & eis paucos dies vitâ hâc mortali excidit, nempe V. Junij ad horam nascentis diei quartam. Adeò illa in hoc itinere ad patriam cœlestem non diu morata est; sed ut primùm ire hinc cœpit, militari (quod ajunt) immò Christiano passu grassata est, atque animo alacri cœlum suum affectavit.

Malè ille, & merito suo audit, qui, cum vocatus in patriam tendit, inter vias cunctatur, & cum sodalitio suo in taberna aliquâ desidet, patriæ & carissimorum suorum oblitus. Et non malè audiat homo Christianus, qui in cœlestem patriam excitus, ubi carissimos suos & DEUM ipsum videre licet, brevem illam molestiam quam Mors facessit, alacri animo non devoret, & hoc caducum spe æterni præcij non solcatur? Nostra APIANA fecisse perhibetur.

gur. Et quidni faceret, q
hoc malè medicari atque e
risque vita ek?

Nata autem est hic W
CONRADO RUHELIO Consi
quondam celebri, anno C
LIIX. Mater fuit ELISA B
Goltzij itidem Bibliopolæ
que (ut ajunt) unica. Annc
D. LXXVI. die Julij tertio,
vit cum Viro CL. quem dix
PIANO Spirensi, qui anno
ab Illustris. Principe Pomc
catus est, ut & Medicus ipsi
petâ Reipub. Colbergensis
bipertitam provinciam cum
um administrasset, die X
anno Christi M. D. XCV.
suum obiit.

Tres genuerunt liberos
& duas filias: è quibus A
hodie superstes. Marito &
tus, hanc in antiquam pa
honestæ vitæ exemplis civi
luxere. Jam matri etiam
ea funus hodie ad horam
est, illudqi è domo suâ, qua
Coetobium nomen dedit, e
opidum ad cineres majorum

gur. Et quidni faceret, quæ in omni vitâ hoc unicè meditari atque exercere domi foris que vita est?

Nata autem est hic Wittebergæ, patre Conrado Ruhelio Consule & Bibliopolâ quondam celebri, anno Christiano M. D. LIIX. Mater fuit Elisabetha Mauritij Goltzij itidem Bibliopolæ nostratis filia, atque (ut aiunt) unica. Anno Christiano M. D. LXXVI. die Iulij tertio, nuptias celebravit cum Viro CL. quem diximus, Petro Piano Spirensi, qui anno M. D. LXXXIV. ab Illustris. Principe Pomeraniæ hinc evocatus est, ut & Medicus ipsi esset, & unâ operâ Reipub. Colbergensis Physicus. Quam bipertitam provinciam cùm quasi decennium administrasset, die XIIX. Januarij, anno Christi M. D. XCV. Colbergæ diem suum obiit.

Tres genuerunt liberos; filium unum & duas filias: è quibus Anna-Maria hodie superstes. Marito & Patre foris mortuo, hinc in antiquam patriam redière; & honestæ vitæ exemplū civitati nostræ præluxère. Iam matri etiam mortuæ filia unica funus hodie ad horam primam factura est, illudq; è domo suâ, quæ est in vico, cui Cœnobium nomen dedit, efferet, & intra oppidum ad cineres majorum honestè sepeli-

ri curabit. Vos ite exequias, & cætera pro concione, quæ habebitur, audite. Ita officium pietatis, & quod nos volumus, ritè feceritis. P. P. die VII. Iunij, Anno Christi M. D C. X I.

Autore Frid. Taubmano.

Pro iisdem olim conjugibus

Votum nuptiale.

Vna quibus mens est & mutuus ardor, in una
Quàm bene conveniunt Petrus & Anna tori!
Petrus Apollineæ titulis spectabilis artis,
Anna Pudicitiæ nobile nomen habens.
CHRISTE pias nutri flammas, thalamumq; secunda,
ANNA velis Vitis sit bona, PETRVS ita.

III. Jul. An. M.D. LXXVI.

XVIII.

D. Iohanni Forstero Theologo

ἀποτμησικόν.

A Cathedra in Patriam magni, FORSTERE, LUTHERI,
Mystica Dei, CHRISTO dum præcante, mitra,
Imo Lacubreæ sustiria pectore Musæ
Ducunt, orbata Præsidis ore sui.

Ita

Ex illo Aonidum quippe Eusebies, pependit,
Et Sophiæ studiis turba dicata sacris.
At quicquid jubeat, CHRISTO parere vocanti,
Ducentemq; sequi fas Pietasq; monet.
Hujus ad arbitrium flavis inducitur arvis
Messor, & alterius culta labore metit.
Hic tua fortunet molimina, ut horrea summi
Messe locupletes uberiore Patris.
Hic factam justo jacturam tempore penset,
Saxonia ut toto clareat orbe SION!

Die conversi Pauli, anno M. DC. XIII.

XIX.

Exequiæ Samuelis, D. VVolfgangi Hirschbachii, filioli infantis.

Hominis in utero conceptum ac fatum, figurationem item nutritionemque, emersum denique ex alvo materna, inter Providentiæ divinæ argumenta atq; opera non solùm factæ passim literæ numerant; Sed omnium etiam ætatum vulgus ac sapientes ex æquo admirati sunt. Inde, ut naturæ indagatores taceamus, tot nomina prodierunt deorum dearumq;, quibus homines nullis tincti atq; imbuti literis Veritatis, humanæ vitæ primordia, progressum finemq; assignârunt.

Digitized by Google

Alios virorum seminibus, fœminarum menstruis præesse; alios à partu rientib. invocari, opemq; ferre nascentibus, & linuillos excipere; alios in vagitu os aperire, & de terra levare; alios cunas tueri ac fascias summovere; alios mammam parvulis immulgere, potionem ministrare, escam præbere crediderunt.

Hæc verò numinum commenticiorum portenta quemadmodum Christiani merito ridemus atque execramur: ita rem eos non fefellisse; sed nomen artificis, agnoscimus; & cæcitatem hominum miserrimorum deploramus, qui unius Dei veri castum deligati complexum, pudendæ dæmoniorum turbæ sese prostituerunt, singulis rebus propria disperrientes officia numinum.

Cùm fictio veri ac vivi hominis illius, summi illius rerum Conditoris ac artifex Deus sit: Hominis fabricam & figulationem Prometheo vanitas superstitiosa tribuit.

Cùm à Deo hominem factum in mortem fundi, & tale ritu coagulari; cute & carne indui, ossibus, & nervis compingi, & velut opere phrygionico in loco occulto contexi, tandemq; ex uteri materni claustris extrahi, literæ propheticæ prædicent: Superstitio gentilis Libero Liberæq;, Menæ Lucinæ, Opi denique & Levanæ beneficiis

c accepta

accepta referre non erubuit.

Quo magis admiranda & celebranda est DEI misericordis bonitas, cui solidum debemus, quòd ex tenebrosillis in lucem clarissimam translati, jam scimus, quem vitæ nostræ autorem credere ac venerari debeamus.

Eodem accedit, quòd vitæ nostræ telam non à Parcarum arbitrio pendere; Sed in libro DEI descriptum esse novimus tempus cuique destinatum, antequam ulla pars ipsius opificii existeret. In Dei quippe manu omnium viventium anima, omniumq; humanorum corporum spiritus est.

Atque huc quidem usque Ethnici videntur in consideratione tam admirabilis, tamque divini opificii pervenisse. Christianorum verò & Sapientia & fiducia est resurrectio mortuorum. *Absit* enim, *ut DEUS manuum suarum operum, ingenii sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, religionis suæ sacerdotem, testimonii sui militem, CHRISTI sui sororem, in æternum destituat interitum! Cujus beneficia si carni non accidissent; benignitas, gratia, misericordia, omnis vis Dei vacuisset.*

In his cogitandis tum aliàs occupari singulos, tum hodie quoque decet, quando funestis solennitas celebrabitur. Hora enim III.

filioli sui SAMUELIS exuvias ad fraternorum duorum monumenta efferendas curabit vir Clarissimus & consultissimus, Dn. WOLFGANGUS HIRSBACHIUS J. U. D. & Professor P. collega noster honorandus. De cujus filioli ortu, ut fratrum quoque obitu, cùm die ab hinc X. significatio facta sit. Nunc illud unum addimus, ultra diem IX. horas V. vitalitatem infantis non durasse; Si vitalitas appellanda est cum perpetua morborum intemperietam tenelli corpusculi conflictatio.

Vt autem solatio est Parentibus mœstissimis vox Spiritus Sancti: *Beati, qui in Domino moriuntur:* ita luctus acerbitatem toties renovatam non parum leniet vestra, ad quam invitare quemque ipsa magis pietas, quàm cohortatio nostra debet, in comitando funere frequentia, in qua sanctis illis animulis ultimum hoc Vale nobiscum acclamabitis:

Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua: Nos alia ex aliis in fata vocamur.

P. P. die VII. Martii, Anno M. DC. XII.

XX

XX.

De Viro Clarissimo, Friderico Taubmano Collega cancordissimo.

Quantum Marone gloriatur Mantua,
Naso Sulmo, Propertio Mevania.
Verona te, Catulle, Breitta Melanchthone:
TAUBMANE, tantum cive te VVinsesium,
Maronis ac Nasonis, & Propertii
Ereule, Catullii, unice & Melanchthonis.

Obiit die XXIV. Martii, hora IV. matutina, Anno CHRISTI M. DC. XIII.

XXI.

Exequiæ Laurentii Seuberlichii typographi.

IN signes in hominum vita mutationes in annorum septenarios aut novenarios fermè incidere, maximè verò in eos, qui ex eorundem quadratis, ut vocant, aut ex utrorumq; concursu existunt, constans est eruditorum

eorum opinio, multorumq; tum scriptis illustrata, tum exemplis confirmata ac comprobata, ut assensu non prorsus indigna plerisq; videatur.

Ac si in cœtu hominum paullo numerosiore Libitinæ rationarium inspiciatur diligentiùs; haud dubium est, quin multis partibus minor futurus sit eorum numerus, qui anno ætatis septimo nonóve, vel simplici vel multiplicato; quàm qui circa autumnum eum vitam cum morte commutarunt, quo nulla in homine mutatio major cogitari potest.

Itaq; satius est Christianos, consideratione illa contemplationi aliorum relicta, tum de cæterarum, tum in primis de postremæ illius in homine mutationis causa & termino Theologos audire, atq; ita sibi persuadere, in quemcunq; ætatis annum mortis minis incidat, non abeq; DEI æterni id nutu ac voluntate fieri. In DEI quippe solius manu nostræ & animæ, & actiones omnes sunt. Penes DEUM & longævitas nostra & vita est. DEUS non solùm annorum ac mensium, sed dierum quoque & horarum numerum, quem transgredi non licet, unicuiq; definit & constituit.

Hic ergo rogandus, ut finem exitumque nobis nostrum ostendat ac notum faciat, ut

quis

...is ætatis nostræ modus sit, nobiscum sub... de cogitantes, mortem, quæ omni loco ... temporis momento nos expectat, & ipsi ... illo non loco & temporis momento ex... ctemus.

Hæc ut præmitteremus, causam nobis ... debuit numerus annorum, ad quem viven... pervenit Civis honestus, & typographus ... ductrius LAURENTIUS SEURRELI... HIUS, ad cujus exequias ut cives Acade... icos pro more invitaremus, & de curricule... ltæ ipsius maximè insignia, quod fieri con... revit, publicè significaremus, rogati su... bius.

Natus ille est in opido Turingiæ Burgel... propter vicinitatem JHENÆ non ignobilis... anno CHRISTI M.D. LXIV. patre sibi ... ognomine, in re quidem tenuiore; sed vi... o tamen probo ac honesto. Ejus curâ cùm ... rima literarum & pietatis initia in schola ... patria mediocriter percepisset, & propter ... causas fouticas prosequi studia bonarum ... rtium non posset: Artificii genus elegit ... literis non prorsus alienum, & Lipsiam ... profectus typographo suam addixit ope... ram.

Ei cùm per annos aliquot fidem indu... triamq; suam probasset; In aliarum quoque Academiarum officinis typographicis eandem

dem exerceri & spectari voluit: Unde factum, ut cùm Illustrissimus Saxoniæ Dux, Dn. FRIDERICUS WILHELMUS, Electoratus Administrator, Princeps nunquam satis laudatus, typographiam in arce Torgensi magnis sumptibus instruxisset; inter operas illius LAURENTIUS noster locum ultra triennium ita tenuerit, ut tum curatoribus Typographei Principalis, tum ipsi imprimis Principi satisfecerit.

Cùm autem satis & ibi spectatus fuisset, & annum jam ætatis XXXII. attigisset: Deo ad majora vocanti obtemperans Wittebergam anno M. D. XCVI. se contulit, & viri prudentissimi atq; integerrimi, Dn. Samuelis Selfischii, Consulis opidani, & Bibliopolæ celeberrimi noticiam ac benevolentiam singularem adeptus, apud nos vitæ domicillum collocare optavit. Nec votis eventus, Deo propitio defuit.

Ducta enim illo ipso anno uxore, SYBILLA, viri reverendi Valentini Schüleri, Diaconi quondam Sidoënsis filia, virgine honesta, cum qua nuptias die XIV. Junii eodem anno celebravit, & successum in re familiari, & fœcunditatem in conjugio concordiæ & suavitatis pleno expertus est optabilem. Habuit enim officinam typographicam luculenter prelis typisque instructam: & ex-

SIBILLA

BYLLA sua sex utriusq; sexus liberorum, quibus quinq; superstites, parens factus est.

Sed hanc felicitatem cùm obitus conjugis die XI. Decemb. anno M.DC.V. piè defunctæ præmaturus nonnihil interturbasset: exacto luctus tempore, cùm rei domesticæ curatio sic flagitaret, ad vota secunda transiit, ex præcepto Hesiodi, vicini sui Johannis Ungari, civis honesti filiam ANNAM uxorem duxit; & filias ex ea IV. quarum natu maxima ante quinquennium obiit, successit.

Cùm autem corporis constitutio ad tabem proclivis esset: reliquum sanè vitæ tempus citra molestias majores exegit: A septuagenariis verò jam quinq; decumbere cæpit, & viribus sensim attenuatis, tandemq; prorsus exhaustis, in agnitione & invocatione CHRISTI JESU Servatoris, animulam DEO Creatori nudius tertius, hora pomeridiana quasi III. placidè reddidit, anno ætatis LI.

Funus marito & patri desideratissimo postea hora III. facient vidua mœstissima & liberi superstites IIX. Quorum luctum ut comitatu funeris frequentiore sublevare, pro virili studeatis, & simul vestram erga defunctum, ut qui præclarè de re literaria

raria mereri semper studuit, affectionem ultimo hoc pietatis & humanitatis officio declaretis, magnopere censemus & hortamur. P. P. die Aprilis XXIII. anno Christi M. DC. XIII.

XXIII.

Invitatio ad auscultanda parentalia V. Cl. Friderici Taubmanni.

PLinii Secundi scriptoris luculenti sententia fertur dignissima quam juventus literata cognoscat, animoq; penitus infigat: *Undevicesimo*, inquit, *ætatis anno dicere in foro cœpi; & nunc demum, quid præstare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video.*

Scribit ista Plinius multis post consulatum annis, in cujus officii auspicio *Trajano Principi incomparabili Panegyricum dixit*, Sidonii Apollinaris judicio, *comparabilem*. In eum quippe libellum, quicquid ad munus aut decus pertinet veri Principatus, non aliter includit, quàm in exiguam sæpe tabellam nobis & regionum magnitudo aut varietas includitur. Tantus tamen vir Oratoriæ facultatis, cui vitam fermè omnem impenderat,

lerat, cujus beneficio summos ad honores vectus fuerat, munus proprium jam senior per caliginem tantùm videre sese fatetur.

Quid ergo mirum est, tam raros hodie reperiri, qui inter homines facundos numero aliquo haberi mereantur, cùm plerique nullam aut perexiguam ei rei impendant operam, quæ per se difficillima est, & de qua veteres in tanto studio, diligentia, usu non potuerunt ubique rectè censere? Adeò longa, varia & intricata res est, accommodatio ipsa ad genera argumentorum & audientium, atque adeò inventio ipsa argumentorum causis & locis apta atque accommodata: unde Pericles, at quantus Orator? laudatur, qui ad concionandum accessurus Deos recari solitus, ne quod sibi verbum excideret invito, quod ad præsentem rem non conveniret, aut populum offenderet.

Invenire præclarè, enunciare magnificè; interdum etiam Barbari solent, scribit idem Plinius, *Disponere aptè, figurare variè, nisi eruditis negatum est?* Utinam ista crederet juventus Scholastica! Futurum omnino esset, ut in exercitio artis Oratoriæ, quo remoto artis ipsius præcepta nihil juvant, plus studii temporisq; præclara ingenia consumerent, & tum magistrorum spei votisque pleniùs responderent; tum commilitonum industriam exemplo ex-

citarent laudabili. Optare quidem hoc possumus: an autem sperare debeamus, ut nunc sunt tempora, vix videmus.

Atque hanc ipsam ob caussam potestatem eò libentiùs facimus publicè recitandi lucubrationes suas studiosis adolescentibus, ut & dicentium alatur industria, & ex ipsorum in hoc genere vel progressibus, vel defectibus, quid sibi faciendum, quid vitandum sit, perspiciant & animadvertant cæteri.

Quo respectu ne *Johannis* quidem *Flori* petitioni deesse voluimus; sed concessimus, ut hora deinde II. in auditorio Collegii *Friderici* majore suorum in hoc genere profectuum specimen edat. Argumentum sibi sumpsit pietatis & officii plenum. *TALIB. MANNO* enim Præceptori optimè de se merito parentare constituit. In hoc ergo tractando quàm felix fuerit, auditoribus, quos frequentes convenire cupimus, cognoscendum relinquimus. P.P. XXV. Aprilis. Anno M. DC. XIII.

XXII.

Exequiæ Gotfridi Rotarii adolescentis.

Heu

HEU, quàm continuis & quantis longa Senectus
Plena malis! exclamat Satiricus, oculum
elut intendens ad illud Tragici:
Μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφορὰς πολλὰς φέρει·
Itemq; ad hoc Comici: *Quem dii diligunt,*
dolescens moritur, dum valet, sentit, sapit.
Sapienter quidem isti & verè locuti sunt.
ed omnes ut ævo, sic veriverbio superat
ir DEI MOSES. Is enim in Oratione illa
obili, quæ inter Psalmos regii Vatis legitur,
ùm miserrimam hominum conditionem
dirum in modum pulcherrimis similitudi-
ibus descripsisset; hujus sententiæ epipho-
emate querelam gravissimam concludit:
empus vitæ nostræ si fuerit septuaginta
nnorum, aut ad summum octoginta, præ-
lare nobiscum debere actum putari: Inte-
im, qui sint inter eos præcipui, & tanquam
os ipse hujus tam raræ ætatis, illos & mole-
iis & laboriosis ærumnis plenos abire velo-
issimè, & nos totos velut aliis assumptis a-
olare.

Hujus effati veritatem non est, quòd hi-
toriis ex antiquitate repetitis anxiè proba-
e satagamus; cùm exemplorum abunde
uotidiana, immò præsentis etiam diei sub-
ministret experientia.

Digitized by Google

filioli sui SAMUELIS exuvias ad fraterc
lorum duorum monumenta efferendas cr
rabit vir Clarissimus & consultissimus, Dn
WOLFGANGUS HIRSBACHIUS J. U.
D. & Professor P. collega noster honoran
dus. De cujus filioli ortu, ut fratrum quoq
obitu, cùm die ab hinc X. significatio facta
sit: Nunc illud unum addimus, ultra dies
IX. horas V. vitalitatem infantis non du
rasse; Si vitalitas appellanda est cum perpe
tua morborum intemperie tam tenelli cor
pusculi conflictatio.

Vt autem solatio est Parentibus mœstis
simis vox Spiritus Sancti: *Beati, qui in Domi
no moriuntur:* Ita luctus acerbitatem totes
renovatam non parum leniet vestra, ad
quam invitare quemque ipsa magis pietas,
quàm cohortatio nostra debet, in comitan
do funere frequentia, in qua sanctis illis a
nimulis ultimum hoc Vale nobiscum accla
mabitis:

Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua: Nos alia ex aliis in fata vocamur.

P. P. die VII. Martii, Anno M.
DC. XII.

XI De.

XX.

De Viro Clarissimo, Friderico Taubmano Collega concordissimo.

Quantum Marone gloriatur Mantua,
Lare Sulmo, Propertio Mevania.
Tanta te, Catulle, Bretta Melanchthone:
TAUBMANE, tantum cive te VVinsesium,
Varronis ac Nasonis, & Propertii
Emule, Catullique unice & Melanchthonis.

Obiit die XXIV. Martii, hora IV. matutina, Anno CHRISTI M. DC. XIII.

XXI.

Exequiæ Laurentii Seuberlichii typographi.

XII. INsignes in hominum vita mutationes in annorum septenarios aut novenarios fermè incidere, maximè verò in eos, qui ex eorundem quadratis, ut vocant, aut ex utroque q; concursu existunt, constans est eruditorum

Digitized by Google

eorum opinio, multorumq; tum scriptis illustrata, tum exemplis confirmata ac comprobata, ut assensum non prorsus indigna præ se ferre videatur.

Ac si in cœtu hominum paullo numerosiore Libitinæ rationarium inspiciatur diligentius; haud dubium est, quin multis partibus minor futurus sit eorum numerus, qui anno ætatis septimo nonove, vel simplicem vel multiplicato; quàm qui citra aut circa eum vitam cum morte commutarunt, quo nulla in homine mutatio major cogitari potest.

Itaq; satius est Christianos, consideratione illa contemplationi aliorum relicta, tum de cæterarum, tum in primis de postremæ illius in homine mutationis causa & termino Theologos audire, atq; ita sibi persuadere, in quemcunq; ætatis annum mors hominis incidat, non abeq; DEI æterni id nutu ac voluntate fieri. In DEI quippe solius manu nostræ & animæ, & actiones omnes sunt. Penes DEUM & longævitas nostra & vita est. DEUS non solum annorum ac mensium, sed dierum quoque & horarum numerum, quem transgredi non licet, uniuicuiq; definit & constituit.

Hic ergo rogandus, ut finem exitumque nobis nostrum ostendat ac notum faciat, ut

quis

...is ætatis nostræ modus sit, nobiscum sub... de cogitantes, mortem, quæ omni loco ... temporis momento nos expectat, & ipsi ... ullo non loco & temporis momento ex... spectemus.

Hæc ut præmitteremus, caussam nobis ... præbuit numerus annorum, ad quem vivendo ... pervenit Civis honestus, & typographus ... industrius LAURENTIUS SEURRELIUS, ad cujus exequias ut cives Academicos pro more invitaremus, & de curriculo ... vitæ ipsius maximè insignia, quod fieri conve... nit, publicè significaremus, rogatus sum.

Natus ille est in opido Turingiæ Bürgel, propter vicinitatem JENÆ non ignobili, anno CHRISTI M.D. LXIV. patre sibi ... cognomine, in re quidem tenuiore; sed vi... ro tamen probo ac honesto. Ejus curâ cùm prima literarum & pietatis initia in schola patria mediocriter percepisset, & propter caussas sonicas prosequi studia bonarum artium non posset; Artificii genus elegit literis non prorsus alienum, & Lipsiam profectus typographo suam addixit operam.

Ei cùm per annos aliquot fidem industriamq; suam probasset; In aliarum quoque Academiarum officinis typographicis eandem

dem exerceri & spectari voluit: Unde factum, ut cùm Illustrissimus Saxoniæ Dux Dn. FRIDERICUS WILHELMUS, Elector Coratus Administrator, Princeps nunquam satis laudatus, typographiam in arce Torgensi magnis sumptibus instituxisset; inter operas illius LAURENTIUS noster locum ultra triennium ita tenuerit, ut tum curatoribus Typographeæ Principalis, tum ipsum primis Principi satisfecerit.

Cùm autem satis & ibi spectatus fuisset, & annum jam ætatis XXXII. attigisset: Deo ad majora vocanti obtemperans Witteberga anno M. D. XCVI. se contulit, & viri prudentissimi atq; integerrimi, Dn. Samuelis Selfischii, Consulis opidani, & Bibliopolæ celeberrimi noticiam ac benevolentiam singularem adeptus, apud nos vitæ domicilium collocare optavit. Nec votis eventus Deo propitio defuit.

Ducta enim illo ipso anno uxore, SYBILLA, viri reverendi Valentini Schüleri, Diaconi quondam Sidoënsis filia, virgine honesta, cum qua nuptias die XIV. Junii eodem anno celebravit, & successum in re familiari, & fœcunditatem in conjugio concordiæ & suavitatis pleno expertus est optabilem. Habuit enim officinam typographicam luculenter prelis typisque instructam: & ex-

SIBILLA

ISABELLA sua sex utriusq; sexus liberorum, quibus quinq; superstites, parens factus est.

Sed hanc felicitatem cùm obitus conjugis die XI. Decemb. anno M.DC.V. piè defunctæ præmaturus nonnihil interturbasset: exacto luctus tempore, cùm rei domesticæ curatio sic flagitaret, ad vota secunda transiit, ex præcepto Hesiodi, vicini sui Johannis Ungari, civis honesti filiam ANNAM uxorem duxit; & filias ex ea IV. quarum natu maxima ante quinquennium obiit, succepit.

Cùm autem corporis constitutio ad tabem proclivis esset: reliquum sanè vitæ tenuis citra molestias majores exegit: A septuagenario verò jam quinq; decumbere cæpit, & viribus sensim attenuatis, tandemq; prorsus exhaustis, in agnitione & invocatione CHRISTI JESU Servatoris, animulam DEO Creatori nudius tertius, hora pomeridiana quasi III. placidè reddidit, anno ætatis LL.

Funus marito & patri desideratissimo postea hora III. facient vidua mœstissima & liberi superstites IIX. Quorum luctum ut comitatu funeris frequentiore sublevare pro virili studeatis, & simul vestram erga defunctum, ut qui præclarè de re literaria

raria mereri semper studuit, affectionem ultimo hoc pietatis & humanitatis officio declaretis, magnopere censemus & hortamur. P. P. die Aprilis XXIII. anno Christi M. DC. XIII.

XXIII.

Invitatio ad auscultanda parentalia V. Cl. Friderici Taubmanni.

PLinii Secundi scriptoris luculenti sententia fertur dignissima quam juventus, literata cognoscat, animoq; penitus infigat: *Undevicesimo*, inquit, *ætatis anno dicere in foro cepi; & nunc demum, quid præstare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video.*

Scribit ista Plinius multis post consulatum annis, in cujus officii auspicio *Trajano Principi incomparabili Panegyricum dixit*, Sidonii Apollinaris judicio, *comparabilem*. In eum quippe libellum, quicquid ad munus aut decus pertinet veri Principis parus, non aliter inclusit, quàm in exiguam sæpe tabellam nobis & regionum magnitudo aut varietas includitur. Tantus tamen vir Oratoriæ facultatis, cui vitam fermè omnem impenderat,

derat, cujus beneficio summos ad honores evectus fuerat, munus proprium jam senior per caliginem tantùm videre sese fatetur.

Quid ergo mirum est, tam raros hodie reperiri, qui inter homines facundos numero aliquo haberi mereantur, cùm plerique nullam aut perexiguam ei rei impendant operam; quæ per se difficillima est, & de qua veteres in tanto studio, diligentia, usu non potuerunt ubique rectè censere! Adeò longa, varia & intricata res est; accommodatio utili ad genera argumentorum & audientium; atque adeò inventio ipsa argumentorum causis & locis apta atque accommodata: unde Pericles, at quantus Orator? laudatur, qui ad concionandum accessurus Deos precari solitus, ne quod sibi verbum excideret invito, quod ad præsentem rem non conveniret, aut populum offenderet.

Invenire præclarè, enunciare magnificè, interdum etiam Barbari solent, scribit idem Plinius, *Disponere aptè, figurare variè, nisi eruditis negatum est?* Utinam ista crederet juventus Scholastica! Futurum omnino esset, ut in exercitio artis Oratoriæ, quo remoto artis ipsius præcepta nihil juvant, plus studii temporisq; præclara ingenia consumerent, & tum magistrorum spei votisque pleniùs responderent; tum commilitonum industriam exemplo ex-

citarent laudabili. Optare quidem hoc possumus: an autem sperare debeamus, ut nunc sunt tempora, vix videmus.

Atque hanc ipsam ob caussam potestatem eò libentiùs facimus publicè recitandi lucubrationes suas studiosis adolescentibus, ut & dicendi alatur industria, & ex ipsorum in hoc genere vel progressibus, vel defectibus, quid sibi faciendum, quid vitandum sit, perspiciant & animadvertant cæteri.

Quo respectu ne *Johannis* quidem *Flori* petitioni deesse voluimus; sed concessimus, ut hora deinde II. in auditorio Collegii *Friderici* majore suorum in hoc genere profectuum specimen edat. Argumentum sibi sumpsit pietatis & officii plenum. *TAUBMANNO* enim Præceptori optimè de se merito parentare constituit. In hoc ergo tractando quàm felix fuerit, auditoribus, quos frequentes convenire cupimus, cognoscendum relinquimus. P. P. XXV. Aprilis Anno M. DC. XIII.

XXII.

Exequiæ Gotfridi Rotarii adolescentis.

Heu

HEU, *quàm continuis & quantis longa Senectus*

Plena malis! exclamat Satiricus, oculum velut intendens ad illud Tragici:

Μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφορὰς πολλὰς φέρει:

Itemq; ad hoc Comici: *Quem dii diligunt, Adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit.*

Sapienter quidem isti & verè locuti sunt. Sed omnes ut ævo, sic veriverbio superat vir DEI MOSES. Is enim in Oratione illa nobili, quæ inter Psalmos regii Vatis legitur, cùm miserrimam hominum conditionem mirum in modum pulcherrimis similitudinibus describisset; hujus sententiæ epiphonemate querelam gravissimam concludit: Tempus vitæ nostræ si fuerit septuaginta annorum, aut ad summum octoginta, præclarè nobiscum debere actum putari: Interim, qui sint inter eos præcipui, & tanquam flos ipse hujus tam raræ ætatis, illos & molestiis & laboriosis ærumnis plenos abire velocissimè, & nos totos velut aliis assumptis avolare.

Hujus effati veritatem non est, quòd historiis ex antiquitate repetitis anxiè probare satagamus; cùm exemplorum abunde quotidiana, immò præsentis etiam diei submini-stret experientia.

Digitized by Google

Obversatur omnium oculis senex grandævus, M. MATTHIAS ROTARIUS, Academiæ minister emeritus. Eum si rogemus, quid de toto illo temporis spacio sentiendum existimet, quod post ætatis annum quinquagesimum, quo ad felicitatis humanæ fastigium terminumque perveniri sapientes autumant, haud breve exegit; Satiricum pro se respondere scilicet jubebit:

Hæc data pœna diu viventibus, ut renovatâ
Semper clade domûs, multis in luctibus, inq;
Perpetuo mœrore & nigra veste senescat.

Laudabit ergo illius judicium, qui anno ætatis quinquagesimo è vitâ hac ærumnosa, placidè beatèque sublatos subterfugisse pronunciat, ne quotidiana miserrimum esset, viderent. Agitur enim hic mensis nonus, ex quo post crebra domesticorum funera, uxorem amisit, vel ad beatam potiùs immortalitatem præmisit. En hodie funerandum curat senii sui baculum GOTFRIDUM, ex tribus filiis hactenus reliquis natu minimum; qui nondum quartam ævi paterni partem explevit. Natus enim est anno salutis reparatæ M. D. XCIII. Idibus Januariis, ex Magdalena matre, quæ die Laurentij superiore anno in vivis esse desiit.

Hujus verò adolescentis vita & mores quales fuerint, cùm plerisq; noveritis, quibus

cum familiarius fuit conversatus; nihil attinet nos verbosius exponendis iisdem immorari. Definemus tantùm vitæ tranquillo & beato, quæ ex fide dignis testibus habemus, paucis delibabimus.

Cùm ante annum, & quod excurrit, de consilio & voluntate parentum GOTFRIDUS noster in Austriam se contulisset, operam in scribendo suam viris honoratis locaturus: Cum morbo mox cœpit conflictari gravissimo; è quo cum inter peregrinos sese vix eluctari posse animadverteret, ad suos reverti coactus nonnihil quidem convaluit; pristinas tamen vires nunquam recepit. Ante menses verò aliquot febri correptus æstuosa & maligna, cui tandem & Hydropis velut auctarium accesit, cùm de sanitate recuperanda minus indies minusq; sperandum perspiceret: Nihil prætermisit eorum, quæ ad felicem ex hac vita migrationem requiruntur.

Instructus ergo maturè Cœnæ Dominicæ viatico, singulis momentis *Jesu Christo* Redemptori suo sese commendavit. Etsi enim corporis vires, frustrà tentatis medicorum auxiliis, omninò prostratæ jacebant: Singulari tamen misericordis Dei, *qui neminem supra id, quod potest, tentari permittit*, gratia beneficioq; factum, ut animo minimè fracto,

laudabile patientiæ constantiæq; Christianæ exemplum præbuerit, & ad extremum usque halitum, voce articulata fuerit usus. Arq; ita nudius tertius, hora quasi XI. meridiana inter preces pias, & recitationem sententiarum è sacris Bibliis lectissimarum, ad quas secum iterandas astantes seriò cohortabatur, turbato mortalitatis ordine, in oculis & amplexu parentis decrepiti placidè expiravit.

Vestrum est, Cives Academici, pompam funebrem postea hora III. è Collegii novi area prodituram, frequentiore, quod solatiũ seni mœstissimo nõ mediocre afferet, cohonestare comitatu, & cogitationibus, quæ talem actum decent, piis hoc etiam intermiscere elogion:

O fortunatum nimium, tristem ante senectam
Carpere iter cœli cui potuisse datum est!

Die Aprilis XXV. Anno Epochæ Christianæ M.DC.XIII.

Quoniam ante finẽ huic volumini impositum mora quædi allata est, Visum fuit programmata, quæ à die Lucæ Evangelistæ in hiberni semestris Rectoratu, proposita fuerunt, superioribus addere.

Pro-

Digitized by Google

Programmata proposita

Rectore, Perillustri Comite EMERICO THURZO de Bethlemffalva, libero ac hæreditario Comite de Arva &c.

Prorectore Dn. Ernesto Hettenbachio, Medicinæ D. & Profes. P. Facultatis Medicæ Seniore, &c.

I.

Exequiæ Haquini Iohannis VVastenensis Gothi.

QUod apud Comicum Principem *Chrysalus* pronunciat:

Quem dii diligunt,
Adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit:

Id longè plenius Sapientia, quæ nominatur, Salomonis proponit. Naturæ quidem ordo hoc videtur postulare, ut qui priores in theatrum hoc vitæ ingressi sunt, priores ex eodem egrediantur: Sed in hoc opere æternam artem, ut cum Seneca loquamur, cuncta temperantis Dei verti, ut alios in pulverem redigi, alios redire jubeat, idq; summo eorum, quos caros habet, bono fieri, in Schola Sapientiæ discimus.

Digitized by Google

Illa suis hoc discipulis suggerit Honestam senectutem non temporis longitudine, nec annorum numero metiendam esse: Quin hominibus canitiem prudentiam esse, & senilem ætatem intaminatam vitam. Justum, cùm Deo placeat, & carus sit, & inter sontes vivat, tollit; imòne sensum ejus pravitas immutet, aut animum fallacia decipiat? Tantùm ergo abest, ut iræ atq; indignationis adversus illos divinæ signum existimandum sit, si in primo ætatis flore juvenes bene moratos obire videamus: ut nostram potius conditionem, quos in medio malitiæ Deus reliquit, deplorare, & ita vitam instituere debeamus, ut quocunq; nos tempore Deus in suo collocare voluerit, inter justos, pios & electos reperiamur. Non enim vitæ bonum in spacio ejus positum est, sed in usu; & fieri potest, adeoq; fit, ut & qui diu vixit, parùm; & qui parum, satis superq; vixerit. Non enim vivere bonum est, sed bene vivere; & semper non quanta, sed qualis vita sit, cogitandum est.

Neque hic opus est exempla nos colligere, quæ docent, quantum boni opportuna mors habeat, quàm multis diutiùs vixisse nocuerit: Sed satis in præsentiarum est hoc nos retinere, quòd inter misericordiæ divinæ beneficia præparatus piorum ex hoc calamitoso hospitio discessus numeratur.

Exh

Etsi ergo optandum foret, diuturniorem vitæ usurã iis concedi, qui tales in studiis veræ pietatis & optimarum artium fecêre progressus; ut illorum fructum non exiguum Ecclesiæ, Scholæ & respublicæ jam sperare posse videantur: Tamẽ si aliter æterno Deo, cui cariores, quàm nobis ipsi, sumus, placeat; nefas putemus id ipsum nobis displicere.

Hæc ut paullo pluribus repetteremus, caussam præbuit obitus juvenis honesti & docti, *Haquini Johannis VVastenensis Gothi* ad cujus exequias frequente comitatu honestandas Cives Academicos invitamus.

Natus ille est, quod ex Popularium narratione accepimus, in celebri civitate Wastenensi, Anno M. D. XC. parentibus piis & honestis: Patre quidem *Johanne Haquini* viro inter cives primarios honorato, qui anno M. DC. X. obiit; Matre verò *Dorothea*, fœmina omniũ matronalium virtutum laude cumulata, & inter æquales spectata.

Horum parentum curâ à prima infantia piè sancteq; educatus, & propter ingenii, quæ in puero elucebat, præstantiam ad studia literarum maturè adhibitus, cùm in patriæ Schola prima artium elementa didicisset: ad uberiorem ingenii culturam capiendam primùm quidẽ in Smalandiam ad Scholam, quam vocant, Cathedralem Wexionensem;

Digitized by Google

raria mereri semper studuit, affectionem ultimo hoc pietatis & humanitatis officio declaretis, magnopere censemus & hortamur. P. P. die Aprilis XXIII. anno Christi M. DC. XIII.

XXIII.

Invitatio ad auscultanda parentalia V. Cl. Friderici Taubmanni.

PLinii Secundi scriptoris luculenti sententia fertur dignissima quam juventus literata cognoscat, animoq; penitus infigat: *Undevicesimo*, inquit, *ætatis anno dicere in foro cepi: & nunc demum, quid præstare debeat orator, adhuc tamen per caliginem video.*

Scribit ista Plinius multis post consulatum annis, in cujus officii auspicio *Trajano Principi incomparabili Panegyricum dixit*, Sidonii Apollinaris judicio, *comparabilem*. In eum quippe libellum, quicquid ad munus aut decus pertinet veri Principatus, non aliter inclusit, quàm in exiguam sæpe tabellam nobis & regionum magnitudo aut varietas includitur. Tantus tamen vir Oratoriæ facultatis, cui vitam ferme omnem impe-

derat,

derat, cujus beneficio summos ad honores evectus fuerat, munus proprium jam senior per caliginem tantùm videre sese fatetur.

Quid ergo mirum est, tam raros hodie reperiri, qui inter homines facundos numero aliquo haberi mereantur, cùm plerique nullam aut perexiguam ei rei impendant operam, quæ per se difficillima est, & de qua veteres in tanto studio, diligentia, usu non potuerunt ubique rectè censere? Adeò longa, varia & intricata res est, accommodatio ittili ad genera argumentorum & audientium, atque adeò inventio ipsa argumentorum causis & locis apta atque accommodata: unde Pericles, at quantus Orator? laudatur, qui ad concionandum accesturus Deos precari solitus, ne quod sibi verbum excideret invito, quod ad præsentem rem non conveniret, aut populum offenderet.

Invenire præclarè, enunciare magnificè, interdum etiam Barbari solent, scribit idem Plinius. *Disponere aptè, figurare variè, nisi eruditis negatum est?* Utinam ista crederet juventus Scholastica! Futurum omnino esset, ut in exercitio artis Oratoriæ, quo remoto artis ipsius præcepta nihil juvant, plus studii temporisq; præclara ingenia consumerent, & tum magistrorum spei votisque pleniùs responderent; tum commilitonum industriam exemplo ex-

citarent laudabili. Optare quidem hoc possumus: an autem sperare debeamus, ut nunc sunt tempora, vix videmus.

Atque hanc ipsam ob caussam potestatem eò libentiùs facimus publicè recitandi lucubrationes suas studiosis adolescentibus, ut & dicentium alatur industria, & ex ipsorum in hoc genere vel progressibus, vel defectibus, quid sibi faciendum, quid vitandum sit, perspiciant & animadvertant cæteri.

Quo respectu ne *Johannis* quidem *Flori* petitioni deesse voluimus; sed concessimus, ut hora deinde II. in auditorio Collegii *Friderici* majore suorum in hoc genere profectuum specimen edat. Argumentum sibi sumpsit pietatis & officii plenum. *TAUBMANNO* enim Præceptori optimè de se merito parentare constituit. In hoc ergò tractando quàm felix fuerit, auditoribus, quos frequentes convenire cupimus, cognoscendum relinquimus. P.P. XXV. Aprilis. Anno M. DC. XIII.

XXII.

Exequiæ Gotfridi Rotarii adolescentis.

Hu

HEU, quàm continuis & quantis longa Senectus
Plena malis! exclamat Satiricus, oculum velut intendens ad illud Tragici:

Μακρὸς γὰρ αἰὼν συμφορὰς πολλὰς φέρει.

Itemq; ad hoc Comici: *Quem dii diligunt, adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit.*

Sapienter quidem isti & verè locuti sunt. Sed omnes ut ævo, sic veriverbio superat vir DEI MOSES. Is enim in Oratione illa nobili, quæ inter Psalmos regii Vatis legitur, cùm miserrimam hominum conditionem mirum in modum pulcherrimis similitudinibus descripsisset; hujus sententiæ epiphonemate querelam gravissimam concludit: Tempus vitæ nostræ si fuerit septuaginta annorum, aut ad summum octoginta, præclarè nobiscum debere actum putari: Interim, qui sint inter eos præcipui, & tanquam flos ipse hujus tam raræ ætatis, illos & molestiis & laboriosis ærumnis plenos abire velocissimè, & nos totos velut alis assumptis avolare.

Hujus effati veritatem non est, quòd historiis ex antiquitate repetitis anxiè probare satagamus; cùm exemplorum abunde quotidiana, immò præsentis etiam diei submini-stret experientia.

Obversatur omnium oculis senex grandævus, M. MATTHIAS ROTARIUS, Academiæ minister emeritus. Eum si rogemus, quid de toto illo temporis spacio sentiendum existimet, quod post ætatis annum quinquagesimum, quo ad felicitatis humanæ fastigium terminumque perveniri sapientes autumant, haud breve exegit; Satiricum profecto respondere scilicet jubebit:

Hæc data pœna diu viventibus, ut revocata
Semper clade domûs, multis in luctibus, inq;
Perpetuo mœrore & nigra veste senescat.

Laudabit ergo illius judicium, qui annos ætatis quinquagesimo è vitâ hac ærumnosa, placidè beatèque sublatos, subterfugisse pronunciat, ne quotidiana miserrimum eum viderent. Agitur enim hic mensis bonus, ex quo post crebra domesticorum funera, uxorem amisit, vel ad beatam potius immortalitatem præmisit. En hodie funerandum curat senii sui baculum GOTFRIDUM, ex tribus filiis hactenus reliquis natu minimum; qui nondum quartam ævi paterni partem explevit. Natus enim est anno salutis reparatæ M. D. XC. II. Idibus Januariis, ex Magdalena matre, quæ die Laurentij superiore anno in vivis esse desiit.

Hujus verò adolescentis vita & mores quales fuerint, cùm plerique noverint, quibus

Digitized by Google

cum familiariùs fuit conversatus; nihil attinet nos verbosiùs exponendis iisdem immorari. Definerantùm vitæ tranquillo & beato, quæ ex fide dignis testibus habemus, paucis delibabimus.

Cùm ante annum, & quod excurrit, de consilio & voluntate parentum GOTFRIDUS noster in Austriam se contulisset, operam in scribendo suam viris honoratis locaturus: Cum morbo mox cœpit conflictari gravissimo; è quo cum inter peregrinos sese vix eluctari posse animadverteret, ad suos reverti coactus nonnihil quidem convaluit; pristinas tamen vires nunquam recepit. Ante menses verò aliquot febri correptus æstuosa & maligna, cui tandem & Hydropis velut auctarium accessit, cùm de sanitate recuperanda minus indies minusq; sperandum perspiceret: Nihil prætermisit eorum, quæ ad felicem ex hac vita migrationem requiruntur.

Instructus ergo maturè Cœnæ Dominicæ viatico, singulis momentis *Jesu Christo* Redemptori suo sese commendavit. Etsi enim corporis vires, frustrà tentatis medicorum auxiliis, omninò prostratæ jacebant: Singulari tamen misericordis Dei, *qui neminem supra id, quod potest, tentari permittit*, gratia beneficioq; factum, ut animo minimè fracto,

laudabile patientiæ constantiæq; Christianæ exemplum præbuerit, & ad extremum usque halitum, voce articulata fuerit usus. Atq; in nudius tertius, hora quasi XI. meridiana inter preces pias, & recitationem sententiarũ è sacris Bibliis lectissimarum, ad quas secum iteranda astantes seriò cohortabatur, turbato mortalitatis ordine, in oculis & amplexu parentis decrepiti placidè expiravit.

Vestrum est, Cives Academici, pompam funebrem postea hora III. è Collegiinori area prodituram, frequentiore, quod solatiũ seni mœstissimo nõ mediocre afferet, cohonestare comitatu, & cogitationibus, quæ talem actum decent, piis hoc etiam intermiscere elogion:

O fortunatum nimium, tristem ante senectam
Carpere iter cæli cui potuisse datum est!

Die Aprilis XXV. Anno Epochæ Christianæ M. DC. XIII.

Quoniam ante finẽ huic volumini impositum mora quædã allata est, Visum fuit programmata, quæ à die Lucæ Evangelistæ in hiberni semestris Rectoratu, proposita fuerunt, superioribus addere.

Pro-

Digitized by Google

Programmata proposita

Rectore, Perillustri Comite EMERICO THURZO de Bethlemffalva, libero ac hæreditario Comite de Arva &c.

Prorectore Dn. Ernesto Hettenbachio, Medicinæ D. & Profes. P. Facultatis Medicæ Seniore, &c.

I.

Exequiæ Haquini Iohannis VVastenensis Gothi.

QUod apud Comicum Principem *Chrysalus* pronunciat:

Quem dii diligunt,
Adolescens moritur, dum valet, sentit, sapit:

Id longè pleniùs Sapientia, quæ nominatur, Salomonis proponit. Naturæ quidem ordo hoc videtur postulare, ut qui priores in theatrum hoc vitæ ingressi sunt, priores ex eodem egrediantur. Sed in hoc opere æternam artem, ut cum Seneca loquamur, cuncta temperantis Dei verti, ut alios in pulverem redigi, alios redire jubeat, idq; summo eorum, quos caros habet, bono fieri, in Schola Sapientiæ discimus.

Digitized by Google

Illa suis hoc discipulis suggerit Honestas senectutem non temporis longitudine, nec annorum numero metiendam esse: Quin hominibus canitiem prudentiam esse, & similem ætatem intaminatam vitam. Justum, cùm Deo placeat, & carus sit, & inter homines vivat, tolli; imòne sensum ejus pravitas immutet, aut animum fallacia decipiat? Tantùm ergo abest, ut iræ atq; indignationis adversus illos divinæ signum existimandum sit, si in primo ætatis flore juvenes bene moratos obire videamus: ut nostram potius conditionem, quos in medio malitiæ Deus relinquit, deplorare, & ita vitam instituere debeamus, ut quocunq; nos tempore Deus in tuto collocare voluerit, inter justos, pios & electos reperiamur. Non enim vitæ bonū in spacio ejus positum est, sed in usu; & fieri potest, adeoq; fit, ut & qui diu vixit, parū; & qui parum, satis superq; vixerit. Non enim vivere bonum est, sed bene vivere; & semper non quanta, sed qualis vita sit, cogitandū est.

Neque hic opus est exempla nos colligere, quæ docent, quantum boni opportuna mors habeat, quàm multis diutiùs vixisse nocuerit: Sed satis in præsentiarum est hoc nos retinere, quòd inter misericordiæ divinæ beneficia properatus piorum ex hoc calamitatis hospitio discessus numeratur.

Ita

Etsi ergo optandum foret, diuturniorem vitæ usurã iis concedi, qui tales in studiis veræ pietatis & optimarum artium fecêre progressus; ut illorum fructum non exiguum Ecclesiæ, Scholæ & respublicæ jam sperare posse videantur: Tamẽ si aliter æterno Deo, cui cariores, quàm nobis ipsi, sumus, placeat; nefas putemus id ipsum nobis displicere.

Hæc ut paullo plutibus repetteremus, caussam præbuit obitus juvènis honesti & docti, *Haquini Johannis V Vastenensis Gothi* ad cujus exequias frequente comitatu honestandas Cives Academicos invitamus.

Natus ille est, quod ex Popularium narratione accepimus, in celebri civitate Wastenensi, Anno M. D. XC. parentibus piis & honestis. Patre quidem *Johanne Haquini* viro inter cives primarios honorato, qui anno M. DC. X. obiit; Matre verò *Dorothea*, fœmina omniũ matronalium virtutum laude cumulata, & inter æquales spectata.

Horum parentum curâ à prima infantia piè sanctèq; educatus, & propter ingenii, quæ in puero elucebat, præstantiam ad studia literarum maturè adhibitus, cùm in patriæ Schola prima artium elementa didicisset: ad uberiorem ingenii culturam capiendam primùm quidẽ in Smalandiam ad Scholam, quam vocant, Cathedralem Wexionensem;

nensem; deinde in Westrogothiam ad Scharensem misus fuit.

In his verò cùm eos fecisset progressus, ut docendis aliis jam idoneus videretur: Eo ipso, quo patrem amisit, anno fautores nactus faventes, Pastore scilicet Civitatis Wastenensis, & Scholæ in eadem Rectorem, de horum consilio pueritiæ docendæ operam suam addixit. Cui muneri cùm quadriennium laudabiliter præfuisset, & ne in pulvere scholastico sibi consenescendum foret, ad altiora aspiraret; Studiorum diligentiùs excolendorum gratia Academias exoticas adire decrevit.

Emensus ergo iter satis longum & periculosum, mensis Julii die XXVI. *Christo* prævio, huc venit, & à Rectore tum Magnifico, Viro clarissimo & consultissimo, Dn. Valentino Guilielmo Forstero J. U. D. & Professore P. Antecessore nostro, in album literariæ civitatis, die XXVIII. ejusdem mensis fuit inscriptus.

Ab eo tempore tum in tractandis gnaviter studiis, tum in moderandis honestè moribus juvenis ingenui & literati officio, quod ii, quibus familiariter notus fuit, testantur, ita satisfacere visus est, ut spem de se nó exiguam concitarit.

Sed quod cuiq; è nobis cogitandum quotidie: quasi dormituro aliquis dicat; Potes

non expergiſci: & experrecto; potes nõ dormire amplius: quod exeunti; potes non reverti, & redeunti potes non exire: Ejus ſpecimen *Haquinus Johannis* nobis exhibet, ex Academia hac terrena in Scholam cœleſtem evocatus.

Octobris enim die XXIX. cùm in febrim incidiſſet ardentiſſimam; Medicorum quidem conſilio maturè uti non neglexit. Sed in eo cùm parũ ſpei videret; nihil prius habuit, quàm ut in ſeria ad Deum converſione Cœnæ Dominicæ viatico ad beatã emigrationem inſtrueretur; Cujus voti ſui die Novemb. V. compos factus, adpopulares tùm præſentes admonitionẽ inſtituit graviſſimã, ut veræ Pietatis ſtudium perpetuò ſibi haberent commendatiſſimum; & Orthodoxam veritatis cœleſtis doctrinam magni ſemper facerent, ſtudioſè cognoſcerent, conſtanterq; conſervarent ac propugnarent.

Reliquum triduum in meditatione ſententiarum è ſacris literis lectiſſimarum, & ardentib. ad Deum precibus ac ſuſpiriis exegit, & *Chriſto Redemptori* tandem, ſuperatis omnibus tentationibus, animulam ſuam nudius tertius poſt horam XII. meridianam placidiſſimè reddidit.

Veſtrum eſt Cives Academici, Commilitoni huic veſtro ſupremum pietatis & humanitatis officium tanto cumulatiùs præſtare, quanto

Digitized by Google

quanto è remotioribus illum regionibus amore veræ Doctrinæ huc profectum videtis. Efferetur autem funus postea hora I. ex ædibus Sebastiani Strahl; & post habitam concionem funebrem in cœmeterio ædi Marianæ proximo Christiano ritu humabitur. P. P. die X. mensis I X. Anno M. DC. XV.

II.

Exequiæ Andreæ Schultz Procuratoris in Curia Electorali.

INTER comparationes, quibus vitæ humanæ fragilitas & fugacitas adumbratur, non postremum meretur locum, qua Chrysostomum delectatum legimus.

Quemadmodum, inquit, aquarum fluxus copiosarum, incidentem recipiens pluviam, bullas excitat, quarum aliæ simul ac natæ sunt, rumpuntur: aliæ diutius inflatæ, postea & ipsæ rumpi solent: Adeundem modum hujus vitæ mare, alios cum paulisper conspecti fuerint, occultat; alios diutius permanentes, ipsos quoque submergit.

Ad

Ad eam verò miseriam, quòd adeò incertum ac fragile est hoc ipsum naturæ munus, & illud accedit, quòd etiam iis, quibus largissimè contingit, tot impendent periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, ut pro miraculo, & id solitarium reperiri exemplum Plinius affirmet, Xenophilum Musicum centum & quinque annis vixisse sine ullo corporis incommodo.

Ex reliquis ubi aliquem reperiemus, qui non usurpare possit hæc Jacobi Patriarchæ verba: Anni vitæ meæ pauci & mali sunt; itemque illa Mosis viri Dei: Ætatis nostræ, etiam cùm ad summum pervenerit, potissima tamen pars labores sunt & dolores? Imò toties invocari mortem quotidiana docet experientia, ut nullũ frequentius esse votum non frustra idem Plinius dixisse videatur.

Elias, at quantus Propheta? sibi mortem optans; *Jàm tandem*, inquit, *aufer hanc animam DOMINE: neq; enim ego melior sum, quàm mei majores.* Idem Jonas facit, *DOMINE*, inquiens, *aufer quæso hanc animam à me: Nam me mori, quàm vivere, melius est.* Et quid aliud ferè sibi Paulus Apostolus videtur velle, quàm mortem à se optari unicè, cùm ita ad Philippenses scribit? τὸ ἐπιθυμίαν ἔχω εἰς ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι, πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον. Quæ cogitans sapiens

ens Hebræus, gratissimũ esse exclamat mortis judicium homini indigenti, viribus destituto, & curis omnibus distracto.

Ex hoc numero ut esset vir honestus & spectatus *Andreas* Schultz / morbi, cum quo per I V. menses conflictatus fuit, ut alia incommoda taceamus, vehementia & diuturnitas fecit; qua tandem superatus cùm vitam in his terris nudius quintus finierit, & hodie ad sepulturam honestam efferendus sit: non potuimus defuncti hæredibus invitationem hanc solennem, & elogion Patris carissimi supremum officiosè petentib. officium tam multis hactenus præstitum denegare.

Natus est ergo *Andreas* Schultz Wolgasti in Pomeraniâ, Novemb. die XXII. Anno M. D. L XV I. parentibus piis & honoratis: Patre quidem *Luca* Schultz Ducum Pomeraniæ Chirurgo aulico, & inter ejusdem civitatis Senatores Camerarii honore cõspicuo: Matre verò Anna Sürck ut ex familia pervetusta ibidem ac honorata.

Sub horum disciplina cùm pie sanctèque educatus prima bonarũ artium fundamenta in schola patria feliciter jecisset; atq; in Gymnasium Stetinense missus progressus per triennium fecisset laudabiles; & Grypswaldiæ biennũ commoratus, diligentiæ & modestiæ testimonium consecutus fuisset honori-

Digitized by Google

norificum; De suorum consilio ad nostram Academiam studiorum continuandorum gratiâ se contulit, sub finem Aprilis Anno M.D.XXCIX. in civitate adscriptus literariâ.

Quadriennium hîc ita commoratus, ut juvenis probi & diligentis officio fungeretur, matrimonio sibi junxit civis honesti, & inter XL. Viros spectati *Jacobi Geyerbergeri* filiam *Barbaram*, nuptiis die XVII. Junii anno M.D.XCIII. celebratis. Ut autem in studiorum curriculo tantum profecit, ut inter curiæ Electoralis Procuratores locũ obtinuerit: Ita conjugii concordis fructus percepit optatos, IV. filiorum, & duarum filiarum pater factus.

Ex his filiam bimulam ante annos propemodum VII. filium XIII. annorum, ante annum ferè integrũ extulit; orbatus & conjuge suavissima ante sexennium ferè: Ab eo tempore viduus talem egit vitam, qualem privatus dimidio suo vir agere consuevit, plenam scilicet curis & ærumnis catenatis, tantoq; gravioribus, quòd socià careret, in cujus solatiis solitus fuerat acquiescere.

Circa initiũ mensis Augusti quadrini circuitus febrem nactus bimestri spacio mitiorem sensit; postremis verò sex, septẽ hebdomadis lectulo affixus, & trium hebdomadũ proximarum calore pestifero torrefactus, vires omnes planè amisit.

Ante

Ante hebdomadas autem quinq; edita coram ministro Ecclesiæ Confessione, cœnæ Dominicæ viatico postremùm instructus, ad beatam ex his terris emigrationem sese præparare deinceps nunquam desiit, tum alias subinde vel ipse recitans, vel recitari sibi jubens è sacra Scriptura sententias, & precationes devotas; tum Psalmum nominatim XXXI. & septem illos qui pœnitentiales vocantur; ut & Jobi illa verba: *Credo, quod Redemptor meus vivit.*

Ex hoc Spiritus Sancti promptuario verba etiam illa arripuit, in quorum pronunciatione obdormiit; Miserere mei Domine, secundùm magnam misericordiam tuam; In Manus tuas commendo Spiritum meum: quod die mensis hujus IIX. post horam X. vespertinam factũ. Quæ cùm ita se habere ex fide dignorũ relatione constet: ultrò præfuturos cives Academicos supremum pietatis & humanitatis officium, in cohonestandis frequentiore comitatu exequiis, confidimus; idque ut prolixè faciant, hortamur.

Efferetur autem funus postea horâ II. ex ædibus defuncti in platea JCtorum sitis, in cœmeterium suburbanum. P. P.

XII. Novembr. Anno
M. DC. XV.

Exequiæ

III.

Exequiæ Petri Thesei VVastenensis Gothi.

VALERIUS MAXIMUS quo loco miracula exponit, inde nominata, quia unde manaverint, aut qua ratione constiterint, dignoscere arduum est, inter alia & hoc refert, quòd Philostratus & Hippoclides Philosophi eruditissimi, eodem die nati, ejusdē Præceptoris Epicuri sectam secuti, patrimonii etiam possidendi, alendæq; Scholæ communione conjuncti, eodem momento temporis ultima senectute fuerint extincti.

Cùm autem narrationem istam epiphonemate concluſisset memorali, *Tam æqualem fortunæ pariter atq; amicitiæ societatem, quis non ipsius cœlesti Concordiæ sinu genitam, nutritam & finitam putet?* De caussa tam rari eventus nihil certi afferre potest; sed ad Naturæ illū licentiam referendum censet, penes quam sic infinitus cuncta gignendi labor consistat, ut eadem omnis bonæ malæq; materiæ fœcunda artifex, ne ipsa quidem rationem rerum reddere posse videatur.

Verùm longè aliter de talibus Christiani philosophantur, ab ipsa scil. Veritate edocti,

Digitized by Google

quicquid homini eveniat, non evenire absque Providentia divina. In Dei enim manu singulorum hominũ animas, omnesq; actiones esse Daniel Propheta affirmat: Patrem suum cœlestem tam jugem nostri curã agere ipse Filius Dei pronunciat, adeoque nos non negligere, ut etiam omnes capitis nostri capillos habeat numeratos: ut himirum uni ipsi vitæ mortisq; nostræ curam relinquendam discamus.

Ad hunc ergo ut rerum omniũ, ita humanæ in primis vitæ moderatorem & arbitrum animarumq; amatorem, qui neque mortem fecit, neque viventium interitu delectatur, oculos animosq; nostros convertamus, ne casibus nonnihil perturbemur hominum judicio tristioribus: Quibus non immeritò videmur & hunc annumerare posse, cujus significationem publicam denegare petentibus non potuimus, imò nec debuimus.

Elatus funere acerbo fuit die ab hinc sexto juvenis honestus & doctus *Haquinus Johannis* Wastenensis Gothus. Is à primis annis vitæ ac studiorum sodalem habuit individuum *Petrum Thesei* Wastenensem Gothum, biennio tantùm natu majorem. Haquinus enim Johannis in lucem hanc, quod nuper significavimus, vitalem anno M. D. XC. *Petrus* verò *Thesei* anno ejusdem seculi

seculi XXCIIX. prodiit, parentibus ortus & ipse honoratis.

Pater enim *Theseus Laurentii* Scribæ sive Notarii in civitate Wastenensi munus administravit, vir prudentia & magno rerum usu spectatus. Mater verò *Brigitta*, ex familiâ ibidem laudatâ oriunda, matronalium virtutum laude nulli ex æqualibus secunda fuit.

Ab his parentibus præclarè & laudabiliter educatus à teneris unguiculis Petrus filius, cùm indole ad studia literarum præditus videretur singulari; in Schola patriæ suæ unâ cum Haquino Johanne magistros nactus fideles & industrios prima bonarum artium fundamenta jecit fideliter, & linguarum necessariarum cognitioni operam dedit fructuosam.

His verò adminiculis jam instructus cum Haquino Johannis ad *Cathedrales Suecia Scholas*, *Wexionensem & Scharensem* missus fuit; & ne quam temporis in iis transigendi partem sibi inutiliter abire pateretur; sed præclara Præceptorũ testimonia secum auferret, summo semper studio contendit & elaboravit.

Cùm autem ministerio sese Ecclesiastico totum, si Deo visum foret, consecrare statuisset, & non temere clavum ei concredi meminisset, qui nullũ peritiæ suæ inter remiges

Digitized by Google

specimen edidisset, & ipse periclitari voluit, quantos & in studiis jam fecisset, & deinceps aliis docendis facere posset progressus. Atque ita inter *Scholæ Norcopensis in Ostrogothia* Collegas locum anno M. DC. XI. consecutus honestum, totum quatriennium in pulvere desudavit Scholastico. Ibidem verò dum agit, vocationi divinæ obtemperans, habendis concionibus sacris se exercuit, & hoc ipsum ut tanto majore cum autoritate & utilitate faceret, sacris fuit ordinibus initiatus.

Tandem verò consilio obtemperans eorum, quorum judicio meritò plurimum tribuebat, cum præsertim & subsidia studiorii necessaria ab ipsa Civitate Norcopensi accepisset, *amore & studio orthodoxæ veritatis* comitem peregrinationis satis longinquæ & periculosæ se præbuit Haquino Johanni, & proximæ æstatis mense Julio ad Academiam nostram pervenit, & uno eodemq; die cum fodale & amico suo in civitatem fuit receptus matriculam.

Dum autem ambo eodem utentes contubernio nihil habent antiquius, quam ut exspectationi de se concitatæ respondeant. Quinto post Haquinum die Petrus quoque, hoc nempe secundo Novembris, febre fuit correptus maligna, cum qua colluctatus, & morbi

morbi vehementia superatus, sexto post popularem concordissimum d. e. mensis scilicet currentis XIV. post horam tertiam matutinam, vitam in his terris suam, in vera agnitione & ardentissima invocatione filii Dei placidè finivit.

Exuvias corporis, quod templu fuit Spiritus Sancti, populares & amici ex aedibus Sebastiani Strahl efferendas & ad latus Haquini sepeliendas ritu Christiano curabunt postea hora I. præmissa concione funebri.

Quod ergo officium pietatis & humanitatis Haquino cives Academici ante paucos dies cumulatè præstiterunt; Idem erga huic quoq; commilitoni suo vel sine nostra cohortatione prolixè præstituros confidimus: Tamen voluntatis ac desiderii nostri significationem aliquid ad eam rem momenti allaturam speramus.

Deum æternum rogamus, ut jacturam, quam *laudatissima Suecorũ natio* in obitu horum virorum insperato facit, clementissimè sarciat, & piorum parentum, Mæcenatum ac patronorum, quæ pro filiorum, alumnorum & clientum suorum, apud nos studiorũ gratiâ versantium, salute & incolumitate assiduè faciunt, Vota propitius exaudiat, & rata esse jubeat propter nominis sui gloriam. P. P. die XV. Novembr. An. M. DC. XV.

Digitized by Google

IV.

Exequiæ Marthæ, uxoris M. Laurentii Ursini.

RECTE post Ciceronem Plinius superstitiosam veterum tàm Romanorũ, quàm Græcorum vanitatem, & vanam superstitionem deridet, qui infirmitatis suæ memores, numina innumerabilia invenerint, & dum pestes etiam multas placatas trepido metu cuperent, etiam FEBRI fana & aras dicarint. Hæc enim illi, qui mala sua pro diis habebant, semper excusatione utebantur; *Se alios Deos colere, ut prodesſent, alios ne nocerent*, quod Lactantius Firmianus refert, omnemq; illum errorem ex principalis ac summi Boni ignoratione descendisse, argumentis plurimis docet.

Eandem verò superstitionem cùm mutatis tantùm nominibus, majorum nostrorum ævo amplexi fuerint, & hodiè multis in locis retineant, qui tyrannidis Pontificiæ jugo nõsunt liberati; Tanto magis prædicanda est æterni Dei misericordia, qui nos de regno tenebrarum ad regnum lucis clementissimè translatos, ita veritatis cœlestis cognitione

imbuit

Digitized by Google

imbuit & illustravit, ut certum habeamus & exploratum, Deum esse, qui & propter peccata homines rapacium in morem bestiarū, ut Prophetici verbi vim eruditi interpretantur, discerpit; & ad se conversos rursus sanat; quiq; non ideo plagas infligit, ut penitus damnatos abjiciat; sed ut peccati admonitos ad pœnitentiam excitet, & ad meliorem frugem revocet.

Non desunt quidem indagantibus rerum omnium causas, quæ de morborum vulgo grassantium origine in medium proferant. Interim tamē ad eum referenda ista omnia in Schola pietatis discimus, qui inter alia pœnarum, quibus hominū peccata ulciscitur, genera diserris verbis FEBREM, *ardorem, æstum* contumacibus comminatur.

Quid igitur faciemus, cùm harum minarum efficaciam vel in nobis, vel in aliis, inter quos vivimus, quique cari nobis sunt, experimur? An in querelas & ejulatus, vel etiam indignationem & fremitus adversus Deum erumpemus? Nihil verò minùs. Imò verò vocem audiamus Ecclesiæ, quæ Prophēta interprete ita nos compellat: *Venite & revertamur ad Dominum! Qui enim sauciat, idem medebitur.*

Digitized by Google

Agnoscamus nos à Domino recessisse; & quemadmodū liberi bene educati etiam post acceptas plagas amare parentes nō desinunt; sed illis se conjungentes ustrata ab illorum benignitate sperant & expectant beneficia: sic nos etiam in sensu iræ divinæ fiduciam misericordiæ firmissimè retineamus. Hujusmodi verò cogitationes, quæ præsentissima sunt animarum medicina, cùm funerum deductiones animis nostris, plerunq; insecuritatem pronis, subjiciant: non solùm humanitatis, verùm etiam pietatis exercendæ gratiâ libenter iis interesse singulos decet.

Cùm ergo Deus ejus rei rursus occasionē nobis offerat; quibus pietatis & humanitatis officiis cordi sunt, eā lem vel sine verbosa cohortatione utentur. Efferendū enim est postea hora III. in cœmeterium suburbanū, ut in sequestratorio terræ ad lætam resurrectionē deponatur, funus illius fœminæ, quæ ad victū tolerabili precio studiosis juvenibus præbendū quasi nata, hoc ipso officii pertot annos plurimis præstiti genere promeruit, ut cum elogio solenni, tū comitatu frequenti pōpaq; exequiarū celebriore cohonestetur.

Ea verò est, vel fuit potiùs M. LAURENTII URSINI, ministri Academiæ fidelis & industrii, Conjunx MARTHA, quæ Sagani, quod opidū Lusatiorū non incelebre est, An. Christi M. D. LX. Julii mensis, die XXIX. nata,

Parrem

Patrem habuit Virum reverendum & doctissimum *M. Valerium Gaunersdorffium*, Ecclesiæ primùm Saganensis Diaconum; deinde Frauenstadensis; tandem verò Francofteinensis, in cujus curâ etiam vitam finiit, Pastorem: cujus Pater *Leopoldus Gaunersdorffius* Frauenstadii ex Senatore primario Consul factus est. Matrem verò *Magdalenam*, hujus civitatis, ut majores nostri loquebantur, filiam.

Ab his parentibus post studium veræ pietatis, ad virtutes œconomicas diligenter assuefacta, anno Christi M. D. XXCVII. die Novembris XV. qui ipsi nudiustertius emortualis fuit, nuptias cum eo, quem dicebamus, *M. URSINO* celebravit, & in conjugio annorum duodetriginta, unius filii, & duarum filiarum, quos superstites, relinquit, mater facta, talem se gessit, ut encomium uxoris concordis, laboriosæ, sedulæ & solicitæ marito prædicanti obtinuerit; quem sincero veroq; amoris conjugalis affectu toto conjugii tempore ad extremum usque halitum prosecuta effecit, ut omnes ipsi calamitates & ærumnæ, quas varias & multiplices hi conjuges subierunt & sustinuerunt, fierent leviores & tolerabiles.

Ante menses fermè tres cùm febri, post superiorum temporum valetudinem sæpe

Digitized by Google

adversam, laborare cœpisset Quartana, proximis hisce diebus, cùm tormina & singultuum molestia frequens, aliaq; Symptomata accessissent; unde finem instare vitæ colligebat; In seriâ ad Deum cõversione Cœnæ Dominicæ viatico nudius quartus voluit ad beatam emigrationem instrui.

Præter alia sacræ Scripturæ dictatum, reliquo vitæ, tum in primis postremo ægrotationis tempore frequentissimè Psalmum XXV. recitavit, ex quo versum XVII. & XIX. subinde in extremo etiam agone repetivit, & ejus, quem diximus, diei hora XI. vespertina jam appropinquante, inter ardentissimas, marito verba præeunte, preces placidissimè obdormivit, cùm anni ætatis LVII. qui inter climactericos numeratur, implesset menses III. hebdomadas II. diem unum.

Cùm ergo talem egerit vitam, & tam præclarè deliterata juventute per tot annos, non sine magno rei familiaris detrimento, fuerit promerita; & mariti præterea studium literatis omnibus semper sit promptum ac paratum: Non dubitamus, quin Cives Academici in comitando Nutriculæ Studiosorum funere suam erga defunctam & mœstum Viduum affectionem sint prolixè declaraturi, quod ut faciant, hortamur. Efferetur ex habitatione Oeconomi hora III. P.P. die XVII. Novemb. Anno M. DC. XV.

Exequiæ

V.

Exequiæ Ioachimi Meureri Halberstadensis.

NIhil est ab re, etiam nota repetere; ut & qui nan noverant, instruantur; & qui noverant, confirmentur, Augustini sententia est, quam cogitantes minimè nos peccaturos existimamus, si de historiâ, quam non ita pridem in publicis concionibus audivimus, nonnulla repetamus.

Eusebius testis oculatus refert, apud Cæsaream Philippi, quam Paneada Phœnices vocabant, suo ævo monstratam fuisse, Salvatoris nostri statuam æneam, itemq; mulieris ipsius velut genibus provolutæ, palmasque suppliciter tendentis imaginē ære expressam. Ejus ad pedem statuæ è basi, in loco editiore collocatâ, herbam quandam novâ & medicis omnibus incognita specie fuisse exortam, quæ postquam usq; ad stolæ illius ærei indumenti fimbriam excrevisset, summoq; illam vertice contigisset, vires inde ad depellendos omnes morbos languoresq; conquisierit, ita ut quæcunq; esset infirmitas corporis, haustu exiguo madefacti salutaris graminis depelleretur, nihil omnino virium gerens, si, antequam æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigisset, decerperetur.

Hoc

Hoc verò benignitatis divinæ beneficio cùm per annos plurimos salutariter frui mortalibus licuisset; quo pactu illud perierit, Socrates exponit. Cùm enim *Christi Servatoris* simulacro remoto, suam ibi *Julianus Imp.* statuam collocasset: Violento igne de cœlo cadente, circa ejus pectus divisam fuisse, caputq; una parte cum cervice dejectum atq; in terram fixum ait; reliquam verò partem fulminis indicium conservasse.

Ita nimirum bonitatis divinæ usuram, diuturniorum ipsa sibi hominum malitia & improbitas eripit & corrumpit; quod ipsum de piscina illa nobili affirmari rectè posse nemo negaverit, cujus ita meminit Evangelica historia, quòd postquam statis temporibus in eam Angelus Domini descenderat, & aquam commoverat; qui primus descendisset, is à morbo vicioque corporis, quocunq; teneretur, fuerit liberatus.

Nihil attinet hic evagari longiùs & commemorare pluribus eorum exempla, quibus morborum humana ope incurabilium remedia per quietem aliisque modis fuerunt monstrata. Illud silentio præterire non possumus, quod in Johannis Stobæi collectaneis annotatum reperimus, excerptum de Carystemi Corinthii libris, quos de fluviis edidit. In Euphrate herbam fuisse inventam,

qua

quæ lingua Parthica AXALLA nominata fuit; eam si quaternarii imponerent pectori, statim liberabantur.

Huic geminum, quod idem ex libris rerum Galaticarum, à Callisthene Sibarita editis retulit, in capite CLUPEÆ piscis, qui in Arari Galliæ fluvio capitur, lapidem reperiri, similem grumo salis, qui optimè faciat ad quarranas febres, sinistro corporis alligatus lateri, decrescente Luna.

Testatur scilicet experientia, & verè dictum esse à Poëta: *Non est in medico semper, relevetur ut æger; Interdum docta plus valet arte malum*; unde perfectum medicum Trophilus pronunciabat τὸν τὰ δυνατὰ καὶ τὰ μὴ δυνατὰ δυνάμενον διαγινώσκειν: Et huc etiam accommodari posse, quod Philo dixit, *ibi divinum incipere auxilium, ubi humanum desinit.*

Quàm pertinaciter ubique ferè grassentur tum alii morbi, tum in primis febres Quartanæ & malignæ, quantumq; medicis etiam peritissimis exhibeant negotii, res ipsa loquitur. Itaque cùm vel ægrotantes alios invisimus, vel defunctorum exequias comitamur, semper Basilii monitum repetamus: *Neq; omnino fugienda ars medica, nec spes omnis in ea ponenda est. Sed ut agriculturæ utimur, & à Deo fructus petimus; ut gubernatori clavum permitti*

mittimus; & Deum precamur, ut ex alto in portum servemur; sic & medicum adhibentes, spem, quæ in Deo habenda est, non deponamus.

Hujusmodi verò cogitationum ad animos revocandarum cùm hodie rursus occasionem nobis Deus præbeat; Hortamur cives Academicos, ut illa, quod hactenus fecerunt, prompte utantur.

Efferetur enim postea Hora II. ex ædibus *Zachariæ Schureri*, Senatoris & Bibliopolæ, in cœmeterium lapidanum prope templum funus Studiosi juvenis, quem & propter parentum laudatissimorum merita, & vitam præclare actam, dignum judicamus, cui supremum pietatis & humanitatis officium nostro ordine cumulatè præstetur.

Vir enim reverendus *Mauritius Meurerus*, Halberstadii ad D. Pauli Ecclesiastes, per annos jam XVII. de illius civitatis Ecclesiâ, post alias functiones rectè administratas, optimè meritus, ex conjuge, fœmina honestissimâ, in conjugio legitimo præter alios liberos, anno Christi M. D. XCIV. Julii Mensis die sexto filium suscepit *Joachimum Meurerum*.

Eum jam XIV. annorum ephebum, in cœnobium D. Michaeli consecratum, cujus Abbas illustriss. Princeps, Julius Augustus, Dux

Dux Brunsvicensis & Lunæburgensis &c. studiorum liberalium gratia misit: Quo in loco cùm annum & quod excurrit, commoratus progressus fecisset egregios: Quedlinburgam primùm, & elapso biennio, Helmstadium eundem transferri voluit.

Tandem verò ad nostram illum Academiam in æstate anni M. DC. XII. missum ita habuit morigerum & obsequentem, ut singulis annis testimonium à Rectoribus impetraverit, quod ad suos mitteret, honorificum. Nam & in studiis ita versatus est, ut post perceptas disciplinas Philosophicas, in Theologiæ cognitione cum laude & fructu temporis postremi partem maximam posuerit: Et vitam egit professioni suæ consentaneam, ut eximiam de se spem & expectationem concitarit.

Verùm ante tres fermè menses febri cœpit tentari quartana; quo tempore etiam Sacra Synaxi in publico cœtu Ecclesiæ religiosè & devotè usus est. Dum autem futurum sperat, ut sanitati restitutus, primo quoq; die particeps rursus Cœnæ Dominicæ cùm piorum cœtu fieri possit: Superiore Septimana gravius cœpit ægrotare, & præter omnium opinionem *nudius tertius* paroxysmo correptus & prostratus atrociore; vitam in his terris suam

Digitized by Google

suam *ipsa hora XII. meridianâ* finivit, animamque inter ardentissimas preces ad Deum, in contubernalis complexu exhalavit; cum identidem hæc verba repetivisset; Se Deo manifestasse cor contritum gemitu, & displicentiâ peccatorum quorumvis, & fiduciâ amplectente misericordiam Dei & promissionem salutis æternæ, cujus se hæredem per Christum factum nullus dubitaret.

Deus in hoc casu tristi ac lugubri Parentes optimos Spiritu S. erigat & confirmet; & morborum contagia & grassationes clementer coerceat & avertat. P. P. ipso die Andreæ Apostoli, Anno M.DC.XV.

VI.

Exequiæ Elisabetha Hauerin viduæ.

IPsis Calendis Decembribus, appropinquante jam horâ IIX. vespertinâ, inter suspiria ad Christum Redemptorem ardentissima vitam in his terris suam placidè finivit vidua pia & honesta *Elisabetha* Hauerin. Ab hujus ergo relictis liberis rogati, ut ad exequias præsentia sua cohonestandas Cives Aca-

Academicos programmate publico invitaremus, multa habuimus, quæ ad officium hoc prolixè præstandum & nos hortarentur, & studiosam juventutem excitare atque impellere deberent.

Nata fuit ipsa die professo Martini Episcopi biennio post bellum Germanicum; atque ita annum ætatis sexagesimũ septimum excessit. Primos ætatis suæ annos propter inopiam in familiis ferè alienis, maximè ex ordine literatorum; ita exegit, ut propter fidelitatem & diligentiam cara haberetur.

Quoniam ergo in munere sui, quantumvis humilis & contempti, functione præcepto Apostolico obtemperare semper studuerat, ut serviret τοῖς κυρίοις κατὰ σάρκα, μετὰ φόβου καὶ τρόμου, ἐν ἁπλότητι τῆς καρδίας, μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλείαν ὡς ἀνθρωπάρεσκοι, ἀλλ' ὡς δοῦλοι τοῦ χριστοῦ; *& voluntatem DEI ex animo cum benevolentia & mansuetudine obiret*; In hac etiam vita experta est veritatem promissionis Apostolicæ; *quòd boni, quod quisque fecit, præmium à DOMINO reportet.*

Inter alios enim, quibus operam incuranda potissimùm culinâ fidelem & promptam per aliquot annos navârat, herum & fautorem nacta Virum cl. & excellentissimum, Dn. *Bartholomæum Schonbornium*, Me-

dicinæ D. & Professorem aliquando hîc publicum, illo & suadente & adjuvante, matrimonium contraxit cum *Johanne Hauero*, qui & ipse simili in vitæ genere vivens, ministeria sua multis in hac urbe per annos non paucos probârat.

In primis verò manus ille impigendit & exarandis artificiosè literis elegantiâ, non tantùm favorem sibi plurimorum conciliavit, sed etiam in describendis Studiosorum testimoniis lucelli non nihil collegit, & in Matricula, quam vocamus, Academiæ perpetuum reliquit industriæ suæ monimentum, descriptis eorum nominibus, qui sub diversis Rectoribus jus literariæ Civitatis fuerant per annos sanè plusculos consecuti.

In hujus ergo matrimonio per annos XV. menses VI. vivens, duorum liberorum mater facta est, quos & superstites reliquit, Anno enim M. D. XXCVI. mensis Iulii die XIX. Filiam marito peperit *Margaritam*, quæ corporis debilitatem ex utero materno allatam, pietate & aliis fœminei sexus virtutibus, in primis verò literarum etiam cognitione non vulgari compensare studuit. Sexto post anno, *Christi* nimirum nati M. D. XCII. Januarii mensis die XXIV. filium

Digitized by Google

nixa est *Johannem*, qui inter Pictores nunc locum suum tuetur.

A primo verò initi conjugii tempore, non solùm quàm diu maritum habuit curarum domesticarum socium; Sed illo extincto, in viduatu annorum XIII. & quod excurrit, atque ita per annos continuos undetriginta hoc unum egit, ut precio tolerabili cibum Studiosis juvenibus præbendo, bene de literis mereretur. Quo in officio quanta cum dexteritate, mansuetudine, tolerantia & solicitudine fuerit versata, non dubitamus, quin apud remotissimas etiam nationes prædicare soleant & possint innumeri.

Postremum vitæ annum ferè totum in valetudine adversa, qua ipsis feriis natalitiis anni superioris tentari cœpit, transiit, & matronæ Christianæ laudem, ad quam in Vita universa adspirare visa fuit, fine etiam actæ ætati consentaneo, cumulare, DEO vires subministrante, studuit: atque ita nudius tertius eâ, qua diximus, horâ in agnitione, confessione & invocatione Filii DEI Jesu Christi ex hoc ærumnarum hospitio emigravit.

Digitized by Google

Quæ cum ita sint, futurum omnino confidimus, ut in prosequendis & cohonestandis funeris exequiis, quæ postea hora all. finitâ concione, ex ipsius defunctæ ædibus, non procul à Collegio Friderici sitis, ad cœmeterium suburbanum ducentur, animi sui erga Studiosorum Nutriculam pium & sedulam affectum non tantùm suo; Sed in primis populariùm, amicorum, necessariorum, qui ante aliquot annos studiorum gratiâ hic vixerunt, & ad mensam *Elisabethæ Haueritæ* itarunt, suorum nomine cumulatè sint declaraturi: Idque ut faciant, & simul precibus piis hujus Academiæ Patriæque universæ salutem & incolumitatem Deo misericordi & omnipotenti commendent, magnopere censemus. P. P. Dominica I. Adventus, Anno M. DC. XV.

VII.

Nomine Rectoris & Consilii publici Significatio de aucto Cæ revisiæ precio;

EPictetum Stoicæ sectæ Philosophum, vitæ sanctissimæ virum, quem Lucianus etiam

etiam nulli Philosophorum alioqui satis æquus, Senis ad mirandi titulo dignatus est, summam Philosophiæ duobus verbis, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, comprehendisse legimus. Duo scilicet innuebat Philosophus ad vitam tranquillè & laudabiliter agendam unicè esse necessaria: ut & fortiter adversa toleremus, & ab illicitis temperemus voluptatibus.

Digna profectò sententia, quæ non parietibus columnisque, aut etiam annulis inscribatur & insculpatur; sed ab eis potissimũ, qui se tum Christianos, tum artium optimarum Studiosos profitentur, vitâ moribusque exprimatur. Utrique enim si alienæ se reipubl. cives esse cogitent, incivile esse meminisse debent, alienæ domi nimis esse curiosum; multo verò minùs ferendum, ut advena & peregrinus aliquis leges iis præscribere præsumat, inter quos non vivendi domicilium; sed commorandi hospitium sibi concedi præclarè intelligit.

Ejusdem Epicteti & hoc est, quòd unamquamque rem duas habere Ansas dixit; unam, qua prehendi & ferri queat; alteram, qua nequeat. Quicquid ergo nobis eveniat, non ea parte id apprehendendum esse, qua adversum, ingratum, & intolerabile esse videatur; sed eâ potiùs, qua animo tranquillo & mansueto leniter placideq; ferri potest.

Digitized by Google

Hæc præfari hoc tempore placuit, cùm significanda Civibus Academicis nonnulla forent, quæ scire ipsorum interest. Neminem autem omnium esse arbitramur, quia annonæ precium, propter illius proventum tenuiorem, in cunctis fermè, certè vicinis Germaniæ regionibus indies augeri & crescere ignoret. Frumenti verò cùm usus non minùs ad potum, quàm ad cibum præparandum sit necessarius: Æquitas scilicet ipsa postulat, ut qui panis precium mutari pro temporum conditione æquo animo ferunt; In potus, qui ex frumento & ipse conficitur, æstimatione idem fieri minimè mirentur aut indignentur. Sanè nō ita pridē hæc inita fuit ratio, ut quemadmodū pro frumenti valore mutato, pondus in pane variari solet; ita in potu similiter mensura mutaretur. Verùm, cùm eares incommoditates plurimas habuisset, & Serenissimi Electoris &c. Domini nostri clementissimi voluntatem hanc esse constaret, ut in liquidorum mensurâ hactenus in hac civitate usurpatâ, nihil novaretur: Post accuratam deliberationem communibus Academici simul & Opidani Senatus suffragiis decretum & constitutum fuit, ut à die publicati decreti per annum sequentem ad precium cerevisiæ tam advectitiæ, quàm nostratis, in singulas mensuras, quæ Canthari nomine vulgo appellantur, nummus unus addatur. Des-

Digitized by Google

Definitum item fuit precium, quo dolia, quæ vocamus, integra cereviſiæ probæ, pro temporis diverſitate, Academicis vendi deberent: eaq; ratione cautum eſt, ne de immunitatibus munificentiæ Principali literatorũ Ordini conceſſis quicquam deceſſiſſe, jure queri quisquam poſſit.

Omnia deniq; ad eum finem ſunt directa, quod ex decreti tenore, qui volunt, cognoſcere pleniùs poſſunt, ut neq; iis, qui conficiendæ ad neceſſarios uſus cereviſiæ curã, ſumptuoſam ſanè & non prorſus periculi omnis expertem, ſuſtinent, detrimentum ſit rei familiaris timendũ; & qui emptã victitant cereviſiã, nihil ſibi fraudis, quantũ humanã poteſt caveri diligentiã, metuendum eſſe ſciant.

Ut autem non dubitamus, quin perſpecta decreti hujus æquitate boni omnes neceſſitatem illius temporũ difficultati, quam ſingulorum parentes domi ſuæ fortè non minorẽ, experiuntur; ſint adſcripturi, & hoc quicquid eſt oneris æquis animis toleraturi: ita ſi quis præter ſpẽ & expectationẽ noſtram ſecus ſe animatũ celare non potuerit; Eum monitum volumus, ut contra Deũ, qui meſſem ſuo arbitratu aliàs uberiorem, aliàs parciorẽ largitur, fruſtra ſe fremere & murmurare cogitet, & ſimul meminerit, non impune ferre eos, ſi qui civitatis, in qua peregrinãtur, leges cõvellere aut violare non verentur.

Oramus autem Deum æternum & misericordem, ut omnium mentes animosque ita flectat ac gubernet, ut agnitâ harum difficultarum causâ, in seriâ resipiscentiâ & vitæ emendatione ad eum se convertant, a quo caritas annonæ, perinde ut aliæ pœnæ & calamitates publicæ, immittitur.

Ita enim futurum est, ut animi humilis patientiâ paternam hanc castigationem accipientes, etiam atque etiam caveant, ne cõtumaciâ præfractâ & immoderatione impiâ ad graviorem indignationem animadversionemque Deum cum inevitabili suo damno & periculo, ultrò provocent atque irritent. P. P. Novemb. die XXVI. An. M. DC. VI.

IIX.

Exequiæ Annæ, conjugis Iohannis Goldefreund *Prætoris.*

VIx dici aut cogitari quicquam ad laudem muliebris, maximè verò in conjugio legitimo, vel commendationem glorioſius, vel consolationem efficacius potest, quàm quod Petrus Apostolus non solùm viris præcipit, ut

Digitized by Google

ut cum uxoribus κατὰ γνῶσιν ac scienter cohabitent, prudentiam intelligens ad regendam uxorem necessariam: verùm etiam vult, ut muliebri vasi, tanquam infirmiori, honorem habeant, adjecta insuper ratione gemina, quòd & uxores cohæredes sint gratiæ vitæ, & cavendum etiam atque etiam, ne conjugum impediantur preces.

Verùm enimverò quia ex justiciæ divinæ decreto hæc pœna in hac vita eidem muliebri sexui est constituta, ut cum dolore, & quidem ejusmodi dolore sobolem pariat, cum quo Scriptura sacra exquisitum & ferè incomparabilem cruciatum angoremque comparare solet: Ne quis inde infeliciores esse uxores, quam maritos existimet; insignem Paulus Apostolus consolationem illis proponit, mulierem pronuncians servatum iri διὰ τῆς τεκνογονίας, de tota scilicet natura, ut Theophylactus ait, muliebri sive genere universo loquens.

Rursus autem, ne quis cœlibes aut steriles servari posse neget, aut ex sola liberorũ procreatione salutem pendere existimet; quas præterea virtutes in uxore Christiana requirat, satis apertè declarat; nempe *Fidem*, tanquam fontem veri cultus Dei, & veræ invocationis; *Dilectionem*, qua continentur honesta erga maritum, liberosque & alios ne-

Digitized by Google

cessarios officij; *Sanctificationem* item, quæ pudicitiam sive castitatem & fidem conjugalem intelligit.

His omnibus σωφροσύνην addit, quæ moderationem in voluptatibus, in cibo potuq; in gestu denique & conversatione cum aliis quotidiana complectitur.

His virtutibus ornatam uxorem nudius tertius morte præmatura amisit vir prudens & honoratus, *Jobenses* Holdefreundt, hujus civitatis Prætor. Is enim post prioris conjugis ante aliquot annos mortuæ, obitum adversa secunda transiens, matrimonio sibi junxit virginem tum lectissimam parentum optimorum filiam optimè moratam & sanctè educatam.

Mater enim vidua ex familia honorata genus ducens, marito & filiis superstes, matronæ piæ & honestæ testimonium ab omnibus etiam maximum promeretur luculentum. Pater verò *Petrus Otto*, Philosophiæ & optimarum artium Magister, & Mathematum Professor olim publicus, non solùm decus, dum vixit, hujus Academiæ fuit eximium, sed desiderium etiam sui reliquit maximum, anno salutis M.D.XCIV. die mensis Augusti XXIV, qui Bartholomæi Apostoli memoriæ sacer est, è rebus humanis, cum Rectoris munus gereret, sublatus & honoris ergò in templo arcis inter B. LUTHERI, Philippi aliorumque hujus

hujus Academiæ procerum ac luminum monumenta tumulatus.

Cùm hujus ergo viri filia ANNA, quæ Iunii mensis die XIV. An. M.D.XXCVI. nata matris in Baptismo nomine appellata fuit, is, quem dicebamus, *Johannes* Goldefreundt, tum Senator primarius, nuptias hic ante biennium Octobris die XXVI. celebravit.

In hoc conjugio cùm jam specimina virtutum, quas in uxore Christiana Apostolus requirit, indies plura ederet, & ex benedictione divina ante IV. hebdomadas mater facta esset filioli, qui in Baptismo FRIDERICI nomen accepit, post paucos à puerperio dies illo orbata, verum esse experta est non tantùm id, quod poeta dixit:

Nascentes morimur, finisq; ab origine pendet:

verùm etiam stimulum doloris in parentum cordibus sentiri acerrimum, quando soboles & prima, & tam tenella amittitur.

Ut autem tanto sunt ardentiores στοργαὶ Φυσικαὶ πρὸς τὰ τέκνα, quanto meliores naturæ sunt: Ita minimè mirum est aut insolitum, mœrori insperato nonnunquam etiam rectissimè institutos & educatos succumbere.

Interim tamen hoc ad mitigandũ dolorem efficacissimũ est, quòd parentes pii sciunt ad infantes fide & invocatione parentũ ad Filiũ Dei allatos, eiq; per Baptismum insertos pertinere promissione *Christi* dulcissimâ, *talium esse regnũ Dei. & nõ esse voluntatẽ Patris sui, ut pereat unus de parvulis istis.* His

His & aliis consolationibus cùm se sustentaret fœmina optima; non solùm facilè in voluntate divina post filiolum ad vitam meliorem præmissum acquievit: Verùm etiam ad emigrationem ex hac vita ærumnosa, Deo vocante, fuit promptissima, cùm Apostoli illud ad se quoque accommodaret, & sermone crebro usurparet: ἐμοὶ γὰρ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν κέρδος. Atque ita XIV. dierum intervallo filiolum subsecuta, nudius tertius circa octavam vespertinam inter preces ad *Christum* Servatorem pias placidè obdormivit.

Reliquum est, ut cives Academici tum benevolam erga viduum mœstissimum animi sui affectionem declarent; tum memoriæ viri clarissimi & excellentissimi *M. Petri Ouenii* hunc honorem habeant, ut illius & filiæ postremum pietatis & humanitatis officium, in prosequendis hujus exequiis prolixè præstent; & viduæ altero senectutis suæ baculo spoliatæ socios sese in luctu acerbissimo participando & sublevando præbeant. Efferetur autem piè defunctè funus ex ædibus vidui postea hora II. in cœmeterium extra urbem. P. P. die XII. Decembris Anno M. DC. XV.

Invit

IX.

Invitatio ad recitationem legum Scholasticarum.

MIrari aliquis non immeritò possit, cur præceptum DEus de frequentissimè repetenda Legis suæ lectione ac meditatione aliquoties iterate atque inculcare voluerit. *Verba hæc*, inquit Deuteron. VI. v. VI. *quæ ego vobis hodie præcipio, in corde habetote, & filiis vestris inculcatote; de his domi belligz, de his cubantes surgentes dz loquimini: Hæc manibus vestris insignia alligatote; hæc inter oculos frontalia habetote; Hæc domorum vestrarum postibus, & portis vestris inscribitote.*

Ejusdem libri cap. XXII. v. XII. lex de fimbriis in quatuor angulis vestimentorum faciendis breviter repetitur; quam legem Num. *XV.* v. *XXXIIX.* & seqq. ita traditam legimus: *Admone Israelitas, ut in posterum fimbrias in vestimentorum suorum limbis faciant; ut eis videndis omnium præceptorum DOMINI recordentur, nec sequantur cogitationes suas; sed magis præceptorum DOMINI memores ea faciant, Deoq; suo sancti sint.*

Verùm enimverò novit DEus, quale figmentum homo sit, ejusmodi scilicet, quod omnem

omnem animi cogitationem & conatum, omniaque studia inde à pueris ad deteriora in dies singulos conferat. In primis verò ita comparatum esse ingenium hominum, ut quemadmodum illa, quæ ad oculos non revocantur, neque in usu sunt, neq; manum quotidie tactumq; patiuntur, facilè periculũ sirus adeunt: ita quicquid frequens cogitatio exercet ac renovat, id memoriæ nunquam subducatur, quæ nihil perdit, nisi id, quod non sæpe respexit.

Itaq; gratiæ semper agendæ Deo, qui nihil prætermittit, ut nos in via veritatis retineat; & si quando aberravimus, ut sanè aberramus sæpissimè; clementer nos revocat ac reducit.

Cæterùm illud quoq; consideratu dignissimum, quòd cùm Deus in omnibus Decalogi præceptis singulos, non plures appellarit, quasi ad unum hominem ea dirigantur, ut magistratus ac subditos, primos imosq; interse exæquaret: De hujus præcepti observatione peculiari lege Reges commonefacere voluit, cujus legis verba singula, si sapiant, in auribus Principum tonitrua esse præclarè Johannes Saresberiensis scribit.

Extat autem illa Deuteronomii cap. XVII. v. XIIX. & seqq. *Postquam sederit Rex*

Rex in solio regni sui, hanc sibi legem, accepto à sacerdotib. Levitis exemplari, in volumine describito, eamq; apud se habeto, omnibusq; diebus vitæ suæ legito; ut discat Dominum Deum suum timere, omnibusq; hujus legis verbis, atque institutis pareat.

Regum utique & magistratuum gesta, virtutum incitamenta; & quot illorum verba, tot morum institutiones sunt. Ut ergo legendæ sine intermissione legis laborem & exercitium nemo sibi molestum existimet; exemplum universis proponitur ipsius Principis, qui legem & quotidie, & omnibus diebus vitæ legere jubetur, quasi qua die legem non legerit, ea non dies ipsi vitæ, sed mortis sit. *Tum* enim *magistratus officio suo laudabiliter funguntur, cùm in splendore publicæ dignitatis memores sunt propriæ conditionis, & sic attendunt propriæ conditionis statum, ut non deveniant publicæ dignitatis gradum.*

Hujus legis considerationem dubium non est, quin ante oculos habuerint illi, qui structura in communitate ac societate Academica magistratui Scholastico non minus, quàm ipsis Scholasticis religiosè servanda tradiderunt. Obligatum enim cujuslibet semestris Rectorem voluit, ut indicto per publicum programma Scholasti-

corum

Digitized by Google

eorum conventu, tum recitanda & prælegenda curet Universitatis statuta, quibus discentium præcipuè vitam, mores que & actiones gubernari voluerūt; tum orationem instituat partim ante statutorum prælectionem, partim post eandem jam peractam, tempori præsenti & muneri suo convenientem & accommodatam.

Cùm ergo ante oculos nobis obversentur non solùm statura Fundatoris Academiæ hujus, Principis laudatissimi; verùm exemplaetiam eorum, qui ex Principum, Comitum, Baronum & Professorum publicorum ordine ad clavum hujus Academiæ sedentes, nihil istius legis observatione habuerunt antiquius: Decrevimus crastino die, Christo prosperante, muneris nobis demandati hac in parte officio pro virili fati facere.

Qua in re etsi solam hanc significationem satis momenti habituram confidimus apud universos & singulos, qui jurisdictionem agnoscunt Academicam, ut ad auscultanda & Statuta, & eâ, quæ in medium à nobis proferentur, cras hora IX. in Auditorio Collegii D. Friderici maximo, frequentes adsint: Tamen ita sibi persuadeant singuli velimus, quantò prolixiùs & cumulatiùs observantiam erga Fundatorem laudatissimum in hoc officii genere suam declaraverint, tantò

tantò id nobis gratius & honorificentius futurum. P.P. Decemb. XVII. An. M.DC.XV.

X.

Exequiæ Henrici Boxhammeri Lubensis Silesii.

ETSI præclarè cum illis agi certum est, quos ex hac mūdi efferi & deliranti caligine matura Dens misericors ad lucem illam Cœlestis Academiæ clarissimam evocat & abducit. Tamen & privatim justas dolendi causas habent, quorū liberi, clientes, necessarii vel alumni studiorum grata ad nos missi, præmaturâ morte ereptos lugent; & publicè ad Ecclesias, respublicas & Scholas ejus calamitatis pars maxima redundat, quando bonis orbantur ingeniis.

Nam quanti requirantur labores sumptusq;, nemo expertus nescit, priùs quàm eos asequantur profectus boni & ingenuosi adolescentes, ut eum fructu versari in Academiis possint. Eorum verò & laborū & sumptuum commoda omnia videntur amittere qui suos amittunt.

Quo magis verò docti & periti gubernatores in omnibus ordinibus & vitæ generibus opus sunt, quando monstrosa passim emer-

Digitized by Google

gunt & inquieta ingenia: quis non agnoscit, tanto magis Ecclesiæ & reipublicæ vicem eis deplorandam, cùm illi obeunt, quorum opera plurimis servire poterat? Ac profectò nihil boni augurari possumus, cùm recordamur, quot parentum optimorum filios præclarè educatos ac moratos tum superiores aliquot, tum hic etiam ad finem jam decurrens annus nobis, imò verò toti Patriæ eripuerit.

In qua consideratione & ad Deum misericordem nos convertimus, atque oramus, ut venturas clades, quarum signa haudfallacia nobis ostendit, clementer avertat ac mitiget; & Cives Academicos hortamur, ut suis nobiscum vota conjungant, & ad declarandam tum solicitudinem suam de patriæ salute, tum affectionem animi erga ordinis nostri homines & commilitones propensi funeris hodierni deductionem comitatu frequentiore cohonestent.

Efferentur enim postea hora III. ex ædibus M. Bernhardi Pfanzarti in cœmeterium suburbanum, & Christiano ritu in *sinum terræ omnium matris* inferentur cruviæ juvenis pii atque eruditi, HENRICI *Borbemmeri Lubensis Silesii*, de quo ex popularum relatione ista habemus, quòd Anno Christi M. D. XCI. Lubenæ Silesiorum urbe

fir

& patre quidem viro reverendo & docto, *Nicolao Boxhammero*, Ecclesiæ Prausnicensis Pastore ac vicinarum Superintendente, sene venerando & de Ecclesia Christi præclarè etiamnum merente; cujus pater, Henrici avus *M. Stephanus Boxhammerus* & ipse Ecclesiæ minister & Pastor Harensis in Silesia fuit. Matrem verò Henricus habuit fœminam omnium sui sexus virtutum laude præstantem *Hedwigem* Weigelin, ex familia item honorata ortam.

Ab his ad studia pietatis & bonarum artium tanquam hæreditaria, mox à prima pueritia diligenter adsuefactus, post percepta feliciter illorum principia, cùm ex ephebis jam excessisset, Uratislaviam missus, totum ibi septennium fuit commoratus, & modestiam diligentiamque suam egregiè præceptoribus probavit.

Inde verò & ætate & judicio jam confirmatiore ad nos venit, & in album literatæ Civitatis adscriptus fuit, mensis Aprilis die XXIX. anni superioris M. DC. XIV. Ab eo tempore juvenis probi & diligentis officio satisfacere semper studuit, ut & parentum aliorumque expectationi responderet, & præclarum aliquando vitæ laudabiliter inter nos actæ testimonium ad eos referre posset.

Digitized by Google

In primis verò diligens fuit in audiendis concionibus sacris, in adeundis Theologorum lectionibus & disputationibus, intelligendis item & meditandis sacræ Scripturæ libris; quippe qui studia fuit gloriosissimum ad propagationem instituendæ veræ de Deo Doctrinæ. Hunc verò instituto & vitam habuit consentaneam, quam ita egit, ut & præceptorum & commilitonum, quibus familiariter notus fuit, favorem ac benevolentiam sibi conciliarit.

Cùm autem circa Nonas Iulias in febrem incidisset; ab eo tempore vires pristinæ ac sanitatem integrã adeò nõ potuit recuperare, vt pejùs in dies ferè singulos habere visus fuerit: Donec ad extremũ accedente aliquot dierum diarrhœa & cerebri convulsione, die mensis hujus XII circa horam quintam vespertinam reliquas vires prorsus amisit. Unde cùm vitæ finem appropinquare intelligeret, qui in toto morbo quotidie cõfessionem filii Dei seriam repetere solitus esset, ejusdem diei vesperã, in agnitione & confessione peccatorum suorum, fiduciaque apprehendente meritum unici Salvatoris nostri Jesu Christi, Cœnæ Dominicæ perceptione religiosa ad emigrationem beatam voluit instrui ac præparari.

Reliquum triduum cùm in extrema imbecillitate exegisset, die XV. hujus mensis, & sensibus integris, & loquelæ facultate recuperata, cùm per horas aliquot sectissimarum è verbo Dei sententiarum & precationum recitatione devota, tranquillitatem animi in una Dei misericordis voluntate gratiaque placidissimè acquiescentis, non sine astantium admiratione lætitiaque declarasset; ipsa hora noctis XII. Deo creatori animulam suam reddidit.

Ut autem non dubitamus, quin ad lætandum Patris optimi & consanguineorum luctum, hæc de exitu Henrici Boxhammeri testificatio momenti plurimum sit habitura: Ita gratum illis erit, si supremum pietatis & humanitatis officium à studiosa juventute prolixè eidem præstitum cognoverint; quod ut faciant ii, qui nostri sunt, & populares officiosè rogant, & nos magnopere censemus. P. P. die XVII. mensis Decemb. Anno M. DC. XV.

Digitized by Google

Ad Scholasticam Iuventutem.

Dicamus bona verba! Salus remittitur, Salutem
Cunctis Salute ferens gaza è cœlestè bonitum
Omnigenûm mundum, qualem quantumq; nec auri
Humanæ licitum est audire, oculove tueri,
Nec lingua effari, tacita nec fingere menti,
Qualem JOVA parauit amanti propter AMI-
TUM. (MEN
MULIERIS en tandem Nox optatissima Se-
cessit, antiqui plantæ furiale cruentæ
Qui caput elidat COLUBRI Quæ gaudia Pa-
trum
Pectora Thariadûm exultantia pertentabant,
Quando suo fortunandas IN SEMINE cunctas
Audibant GENTES: Ea gaudia didit in omnes
Nox felix populos, dum vagorem PUER edit
In stabulo NATUS NOBIS, & FILIUS idem
A JOVA NOBIS DATUS. *Ut Patresq; Synedrî*
Et SCEPTRI *Isacida perdant decus inclytum: At alvi*
Virginei Fructus, Spesq; & Fiducia GENTIUM
OMNIUM *adest: Scalisq; datur consendere ab*
Tellure ad celsi reserata Palatia cœli. (imt
angu-

Digitized by Google

Angelici venit unde chori, velut agmine facto,
Turma triumphabunda, novumq; per aëris oras
Hymnisona ciet ore Melos: SIT GLORIA summo
Vera PATRI; TERRIS PAX candida, & una VOLUNTAS
Humanæ Genti sit. & intemerata Voluptas!
Desilit abrupto DEUS æthere, & invuba Proles
VIRGO parit, sine Patre Hominem, sine Matre DEUM; Qui
Fœdere mirando PERSONA junctus IN UNA,
Et titulum ex meritis gerit EMANUELIS, Opusq;
Re probat, atq; habitans cœlum Mortalibus astat.
Divini RORIS latices, languentibus ægris
Gratum desuper auxilium demittit & ÆTHRA
JUSTICIAM DESTILLAT, apertaq; TERRA SALUTEM
Fundit, Justitiæ comitem. DE CAUDICE TERMES
Surgit ISSÆO. Licèt undiq; & undiq; RADIX
Arida sit succisa; Tamen STOLO nobilis affert
Flores & fructus. Pueri ante crepundia Bacam
Extima, & Aurora populi demittere colla
Et certant humiles triplicato manere cunas
Accumulare, DEUM testati Hominemq; Puellæ
Matris adornatum in gremio, quem sideris ardens
Fax regalis in Eois monstraverat oris.
Nempe JACOBÆI jam illustrat SIDERIS ortus
Secla hominũ, quos Sol Oriens & Cadens & salutat.
Nec verò extremos opus est te currere ad Indos,
Vatibve altivolas Thesbita opture quadrigas,

Aut

Aut medio Angelica libratus in aere dextra
Immotis liquidas pene verres ut gressibus auras:
Et De Corde Patris *natum ante exordia*
Mundi

Verbum *contempleris inenarrabile*, Carne
Humana indutum, *atq*; *a Virginis ubere Matris*
Pendentem in stabulo Herbis Hominem, *Deum*,
Oscula desigens, *& promens munera labris*.
Esto in Corde Fides, Confessio *in* Ore,
salutis

Justificat, Hodie Tibi *nascitur unicus* Autor,
Atq; *tuo parat aureolas in pectore Cunas*
Ipse sibi: *Modò pande fores*, *scelerisq*; *remotis*
Sordibus, *Hospitium da purum*, *atq*; *Hospite tanto*
Dignos fume animos, *neu muneris arguat hujus*
Immemorem te Festa dies; *quo gratior* Aræ
Nullas bonæ Domino, Aræ *fur dona* Ministris.

P. P. Feriis Natalitiis Emanuelis,
Inchoantibus annum Christianum,
M. DC. XVI.

FINIS.

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z18038660X
Vol 1
Österreichische Nationalbibliothek
+Z180386702
Vol 2
Digitized by Google